BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
24 G
24

12-6.F.6

Digitized by Google

Digitized by Google

DE
MUNDO
DISSERTATIO
ANDREÆ SPAGNII
FLORENTINI
E SOCIETATE JESU.

ROMÆ MDCCLXX.

APUD FAUSTUM AMIDEI
IN VIA CURSUS.

EX TYPOGRAPHIA LAURENTII CAPPONI
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

SANCTO ALOYSIO
GONZAGÆ
SOC. JESU

ADMIRANDO INNOCENTIÆ
EXEMPLO
ET STUDIOSÆ JUVENTUTIS
PATRONO BENEFICENTISSIMO

ANDREAS SPAGNIUS EJUSD. SOC.

D. D. D.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANDREAS SPAGNIUS S.J.

LECTORI SUO S. D.

DISSERTATIONES noſtræ, libris duobus comprehenſæ, altero *De Cauſſa Efficiente*, altero *De Bono, Malo, & Pulchro*, ſuperioribus annis in lucem editæ, & plurimos, ac certe plures quam ſperare, aut vero ſuſpicari, exigui ingenii noſtri, noſtræque modicæ facultatis probe conſcii, auſi eſſemus, ſtudioſos fautoreſque feliciter nactæ, ut tertiam hanc nunc edere in animum induceremus, effecerunt, ſi forte pari benignitate atque favore exciperetur; majores, ſi id contigerit, ſumturi animos, aliaſque deinceps atque alias haud diſſimili argumento, ſi vita ſuppetet, ſuperique annuerint, edituri. In hac autem, ut ſtatim unoque conſpectu totius operis ratio cognoſcatur, non niſi novem hæc, quæ ſequuntur capita, tractanda ſuſcepimus.

I. Mundum opificium eſſe plane admirandum.
II. Non temere ac caſu extitiſſe.

III. Optimum quidem eſſe, at non ea ratione, qua eum eſſe optimum Leibnitius opinatus eſt.

IV. Potuiſſe quidem ab omni æternitate conſiſtere.

V. Sed reapſe non conſtitiſſe.

VI. Materiam illius omnem repente, unoque atque eodem temporis puncto creatam, formatam vero atque diſpoſitam ſex dierum intervallo fuiſſe.

VII. Eos autem dies ad Autumni initium pertinuiſſe; neque tanto annorum ſpatio ab noſtra hac ætate diſtare, quanto ii, qui ſacrorum bibliorum auctoritatem detrectarunt, diſtare voluerunt.

VIII. Dei providentia omnia ac ſingula mundana regi atque adminiſtrari.

IX. Qui finis condendi Mundi admittendus ſit, quique repudiandus.

PAULUS

Digitized by Google

PAULUS ANTONIUS RAFFAGNI

SOCIET. JESU

In Provincia Romana

PRÆPOSITUS PROVINCIALIS.

CUm Librum, cui titulus, DE MUNDO DISSERTATIO, a P. ANDREA SPAGNI Societatis Noſtræ Sacerdote conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtate Nobis a R. P. LAURENTIO RICCI Præpoſito Generali ad id tradita, facultatem concedimus, ut typis mandetur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu Noſtra ſubſcriptas, & Sigillo Noſtro munitas dedimus.

Romæ 9. Decembris 1769.

Paulus Antonius Raffagni.

APPRO-

APPROBATIO.

Cum juſſu Reverendiſſimi Patris Magiſtri S. P. A. perlegere debuerim *Diſſertationem de Mundo* a R. P. Andrea Spagnio e Societate Jesu conſcriptam, non ſolum nihil offendi, quod Religioni & bonis moribus non congrueret, ſed omnia pro ea doctrina & eruditione, quæ ex aliis ab eodem Cl. Viro jam editis Libris mihi perſpecta erant, pertractata inveni, maxime quæ de ſtructura Mundi, ejuſque creationis fine diſſerit, & quæ contra fautores exiſtentiæ Mundi per Caſum, ejuſque æternitatis, & contra Leibnitianos abſurdi cujuſdam optimiſmi propugnatores ſtatuit. Quare opere pretium cenſeo, ut opus tam utile typis propagetur.

Romæ apud SS. Vincentium & Anaſtaſium in Trivio die 8. Februarii anni 1770.

Thomas Gabrini C. R. M. Sacræ Theologiæ Lector emeritus, & in Diœceſi Tuſculana Examinator Synodalis.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſ. Patri Mag. Sacr. Pal. Apoſtol.

Dom. Jord. Patriar. Antioch. Viceſg.

IMPRIMATUR.

F. Thom. Auguſtinus Ricchinius Ordin. Prædicatorum Sac. Palat. Apoſt. Magiſt.

ORDO

Digitized by Google

ORDO DISSERTATIONIS

PROPOSITIO PRIMA.

M*Undus eſt admirabilis.* Pag. 1

SECTIO PRIMA. *Argumentum a magnitudine partium Mundi præcipuarum.* 1

Articulus primus. *A Planetis.* 2

Artic. II. *A Cometis.* 6

Artic. III. *A Stellis Fixis.* 13

Artic. IV. *A ſimilitudine Planetarum cum terra.* 20

SECT. II. *Argumentum a numero corporum cæleſtium.* 29

SECT. III. *Argum. a diſpoſitione corporum cæleſtium.* 33

SECT. IV. *Argum. a numero brutorum.* 35

SECT. V. *Argum. a numero vegetabilium.* 58

SECT. VI. *Argum. a ſtructura corporum organicorum.* 70

SECT. VII. *Argum. a conſideratione hominis.* 82

SECT. VIII. *Objectiones, quæ negant terræ ſtructuram eſſe admirabilem.* 109

PROPOSITIO II.

I*Mpoſſibile eſt tum moraliter, tum phyſice, tum metaphyſice Mundum hunc eſſe a caſu.* 121

SECT. I. *De adverſantibus propoſitioni.* 121

SECT. II. *Argumenta pro impoſſibilitate in genere, ut Mundus ſit a caſu.* 126

SECT. III. *Argum. pro impoſſibilitate morali Mundi per caſum.* 127

SECT. IV. *Argum. pro impoſſibilitate phyſica mundi per caſum.* 131

SECT. V. *Argum. pro impoſſibilitate metaphyſica Mundi per caſum.* 134

SECT. VI. *Objectiones contra impoſſibilitatem Mundi per caſum.* 140

PROPOSITIO III.

M*Undus creatus non eſt omnium abſolute optimus.* 163

SECT. I. *Mundus in aliquo ſenſu dici poteſt optimus.* 163

SE-

Digitized by Google

SECT. II. *De adverſantibus propoſitioni.* Pag. 165
SECT. III. *Argumentum I. pro propoſitione ex limitatione perfectionis eſſentiali in creaturis.* 169
SECT. IV. *Argum. II. Ex poſſibilitate Mundi hoc perfectioris.* 173
SECT. V. *Argum. III. Ex poſſibilitate Mundi ſine peccatis.* 178
SECT. VI. *Argum. IV. Ex libertate Divina creandi Mundum quemvis.* 179
SECT. VII. *Argum. V. Ex impugnatione rationum Adverſariorum.* 181
SECT. VIII. *Objectiones Adverſariorum pro ſuis rationibus.* 184
SECT. IX. *Argum. VI. Ab abſurdis, quæ ſequuntur ex Optimiſmo.* 195
SECT. X. *Objectiones pro abſurdis vindicandis.* 198
SECT. XI. *Argumenta contra Malebranchii optimiſmum.* 206

PROPOSITIO IV.

M*Undus potuit eſſe ab æterno ex extrinſeca ſibi neceſſitate.* 209
SECT. I. *De ſenſu propoſitionis, & de iis, qui pro illa, & contra illam ſunt.* 209
SECT. II. *Argumenta pro propoſitione.* 214
SECT. III. *Objectiones ex parte Dei creantis.* 215
SECT. IV. *Objectiones ex parte Mundi creati ab æterno.* 220

PROPOSITIO V.

M*Undus non eſt ab æterno neque quantum ad materiam, quatenus hæc ſit a ſe, neque quantum ad diſpoſitionem materiæ, neque quantum ad animas hominum.* 223
SECT. I. *De adverſantibus propoſitioni.* 223
SECT. II. *Argumenta contra æternitatem Mundi, quantum ad materiam quæ a ſe exiſtat.* 229
SECT. III. *Argumenta contra æternitatem Mundi, quantum ad diſpoſitionem materiæ.* 236
SECT. IV. *Argumentum quoddam Cheynes contra æternitatem hujus Mundi oſtenditur inefficax.* 244
SECT. V. *Argumentum contra æternitatem Mundi, quantum ad animas hominum.* 249

Artic.

Artic. I. *Prima ratio creationis animarum in tempore ex Sacra Scriptura.* 250
Artic. II. *Secunda ex Patrib., Concil., & conſenſu Doctor.* 253
Artic. III. *Tertia ab excluſione aliarum opinionum. Excluditur illa, quod animæ ſint pars Dei.* 255
Artic. IV. *Excluditur illa creationis omnium animarum extra corpora ab initio Mundi.* 260
Artic. V. *Excluditur illa creationis omnium animarum ab initio Mundi intra totidem corpora.* 266
Artic. VI. *Excluditur illa animarum exiſtentium per traducem.* 273
Artic. VII. *Excluditur illa de materialitate animæ.* 281
SECT. VI. *Objectiones pro æternitate Mundi.* 287

PROPOSITIO VI.

M*Undus quod pertinet ad omnem illius materiam, non tamen omni deſtitutam forma, creatus eſt unico inſtanti, & quidem die Dominico: formatus autem & diſpoſitus in diverſa re & loco corpora ſex dierum proprie talium ſpatio.* 304
SECT. I. *De adverſantibus propoſitioni.* 304
SECT. II. *Argumen. pro ſingulis propoſitionis partibus.* 307
SECT. III. *Objectiones ex authoritate.* 313
SECT. IV. *Objectiones ex ratione.* 316

PROPOSITIO VII.

M*Undus conditus eſt tempore Autumni, Sole ſcilicet in prima ſui productione collocato in interſectione illa eclipticæ cum Æquatore, quæ facit æquinoctium autumnale: & etſi a quanto jam tempore conditus ſit, determinari accurate non poſſit, attamen non eſt ejus antiquitatis, quæ non conſonet cum Sacra Scriptura.* 323
SECT. I. *Argumenta pro conſtitutione ſolis ſub initium Mundi in æquinoctio autumnali.* 324
SECT. II. *Argumentum pro ambiguitate circa determinatam Mundi ætatem.* 330
SECT. III. *Argumentum contra opiniones de antiquitate Mundi extra limites S. Scripturæ.* 334

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO VIII.

DEus habet de omnibus & ſingulis creaturis providentiam. 346
SECT. I. De ſenſu propoſitionis, & iis, qui illi adverſantur. 346
SECT. II. Argumenta pro propoſitione. 350
SECT. III. Objectiones ex parte Dei. 356
SECT. IV. Objectiones ex parte Mundi. 360

PROPOSITIO IX.

FInis creationis Mundi per modum cauſſæ vel realiter, vel per modum noſtrum cogitandi diſtincta a Deo, ſive ut ajunt Finis cujus, per quem motus fuerit Deus ad hanc creationem, nullus eſſe poteſt: per modum vero rationis, qua modo noſtro intelligendi illam voluit, ſive Finis quia, eſt Divina Bonitas: finis autem per modum termini, ad quem ordinata eſt Mundi creatio, ſive Finis cui, ſi ſermo ſit de fine cui omnium ultimo, eſt Gloria Dei: ſi autem de fine cui non ultimo, ſed immediato, totius quidem terræ cum omnibus, quæ in illa ſunt brutis animalibus, & aliis ſpecie diverſis corporibus, non vero aliorum corporum cæleſtium, eſt homo: ſingularum vero partium Mundi immediatus finis cui eſt ille, ad quem deſtinatæ immediate fuerunt a ſuo Creatore, qui in multis clare ſe manifeſtat. 367
SECT. I. Finis creationis Mundi per modum cauſſæ, a Deo vel realiter vel per modum noſtrum cogitandi diſtincta, nullus eſſe poteſt. 368
Artic. I. De iis qui huic propoſitioni adverſantur. 368
Artic. II. Argumenta pro poſita theſi. 370
SECT II. Finis creationis per modum rationis, qua Deus modo noſtro intelligendi illam voluit, eſt Divina Bonitas. 374
SECT. III. Deus in creatione Mundi habuit pro fine cui omnium ultimo ſuam gloriam. 376
SECT. IV. Deus in conſtruct. hujus terræ, & omnium brutorum ipſius habuit homines pro fine cui immediato. 382
SECT. V. Homines non fuerunt finis cui immediatus, ſaltem unicus, creationis aliarum a terra longe ſejunctarum partium Mundi. 396
SECT. VI. Deus in creatione ſingularum partium hujus Mundi habuit pro fine cui immediato illum, qui in multis illarum eſt evidens. 403

DE

DE MUNDO

DISSERTATIO

ANDREÆ SPAGNII

E SOCIETATE JESU

PROPOSITIO I.

Mundus eſt admirabilis.

1. PROPOSITIONEM declarabo per hæc argumenta: 1. A magnitudine corporum, quæ ſunt illius præcipuæ partes: 2. Ab eorum numero: 3. Ab eorum diſpoſitione: 4. A numero Brutorum: 5. A numero Vegetabilium: 6. A ſtructura Corporum organicorum: 7. Ab Homine. Deinde objectiones quaſdam diſſolvam.

SECTIO PRIMA.

Argumentum a magnitudine partium Mundi præcipuarum.

2 PArtes Mundi præcipuæ ſunt præter Solem & Terram noſtram, quam incolimus, immanes illi globi Cæleſtes, ex quibus alii dicuntur ſtellæ errantes, quo nomine veniunt il-

Digitized by Google

læ, quæ diſtantiam ſuam ab aliis ſtellis in dies mutant, quia Solem circumeunt motu quodam ſingulis proprio, eæque dividuntur in Planetas & Cometas: aliæ vero dicuntur ſtellæ fixæ, quæ ſcilicet in eadem ſemper inter ſe diſtantia obſervantur. Declarationem argumenti adgredior a Planetis.

Articulus Primus

A Planetis.

3. Planetæ diſtinguuntur in primarios & ſecundarios. Primarii ſunt ſex, Saturnus, Juppiter, Mars, Venus, Mercurius, & Sol tandem juxta ſyſtema Tychonicum, Terra vero juxta Copernicanum. Secundarii, qui etiam ſatellites dicuntur, noti ſolum a ſæculo decimo ſeptimo ſub ejus initium poſt inventionem Teleſcopii ſunt Luna una, quæ circa Tellurem noſtram movetur, & quatuor, quæ circa Jovem, & demum quinque, quæ circa Saturnum revolvuntur. Ex his omnibus ſeptemdecim corporibus conſtat illud, quod dicitur ſyſtema Planetarium, quibus etſi erronum nomen, hoc enim Græcum *Planetæ* ſignificat, impoſitum ſit, quaſi ſine lege per ſpatia cæleſtia vagentur, nihilominus compertum jam eſt tam certa & conſtanti methodo ſingulos progredi, ut Aſtronomi poſſint determinata ipſorum loca diſtantias & ſitus, etiam pro annis futuris accurate prædicere.

4. In his Planetis Saturnus, qui cæteris diſtantior eſt a Sole, debiliorem lucem præſefert, nec gyrum ſuum circa illum abſolvit, niſi ſpatio annorum circiter triginta, & eſt noſtra hac terra longe major. Multo autem adhuc major eſt Juppiter læta amabilis luce, qui proxime a Saturno occurrit, orbitam minoris amplitudinis motu ſibi proprio annis circiter 12. percurrens. Ac circa Jovem quidem revolvuntur quatuor ſecundarii Planetæ, ſeu ut ajunt ſatellites ad varias ab ipſo diſtantias. Circa vero Saturnum quinque, qui præterea circumcingitur annulo quodam per ordinarium Teleſcopium plerunque viſibili, cujus quidem craſſities etſi nobis ferme inſenſibilis ſit propter ſuam a noſtris oculis diſtantiam, conjicitur tamen, ut ait Wi-

Whiſtonus (1) eſſe circiter mille milliaria, latitudo autem certe eſt milliaria circiter 21000, & tantundem eſt ipſius a Saturni corpore diſtantia circumquaque. Qui ſequuntur Planetæ, ſunt quidem ſinguli minores noſtra hac terra, ſed adhuc ſunt globi ingentis magnitudinis. Atque hi ſunt Mars, qui lucem ſubrubram reflectit, & intra duos fere annos periodum ſibi propriam complet: deinde Venus, quæ ſplendore ſuo cæteros Planetas ſuperat, & menſibus fere octo gyrum ſuum circa Solem deſcribit, nec unquam ab eo videmus diſtare majori ſpatio, quam gradibus circiter 47. Tertio Mercurius, qui minimus eſt ex Planetis primariis, clara tamen luce ſplendens, & menſibus fere tribus orbitam ſuam circa ſolem percurrit, nec ultra 28 gradus ab eo digreditur. Eſt tandem Luna, quæ propter minorem præ cæteris diſtantiam ſuam a Terra, circa quam intra dies circiter 27. motu ſibi proprio revolvitur, nobis poſt Solem majorem ſui exhibet ſpeciem, cum revera Mercurio ipſo ſit minor.

5 Subductis rationibus Whiſtonus in Prælectionibus tum Aſtronomicis, tum Phyſico-mathematicis (2) ſic ex Flamſteedio determinat in milliaribus Anglicis Terræ & Planetarum diametros.

Solis	763460	Terræ	7935
Saturni	67870	Lunæ	2175
Jovis	81155	Veneris	7906
Martis	4444	Mercurii	4240

Aliam parum ab hac differentem determinationem in milliaribus pariter Anglicis idem Whiſtonus profert in ſuis Principiis Aſtronomicis (3). Aliam adhuc magis ab his diſcrepantem ex eodem deſumptam, ſed neſcio a quo ejus opere habet Cheyne (4).

Ex diametris porro inferuntur ſuperficies & ſoliditates ſingulorum. Superficies in milliariis Anglicis quadratis, & ſoliditates in cubicis ſunt juxta citatum Whiſtonum proxime ut ſequitur.

 Super-

(1) Whiſt. Aſtron. Princ. par. 2. pagin. 22.

(2) Id. Præl. Aſtr. 7. in fine, pag. 85. Id. Præl. Phyſ. num. 84. pag. 292.

(3) Id. Aſtr. Princ. par. 3. propoſ. 4. pag. 55.

(4) Che. Princ. Filoſ. cap. 5. §. 12. pag. 123.

	Superficies	Soliditates
Solis	1813 200 000 000	23 000 000 000 000 000
Saturni	14 000 000 000	160 000 000 000 000
Jovis	20 000 000 000	280 000 000 000 000
Martis	60 000 000	44 000 000 000
Terræ	200 000 000	266 000 000 000
Lunæ	14 000 000	5 000 000 000
Mercurii	55 000 000	39 000 000 000

Mitto alias, quæ ex aliis Aſtronomis poſſent afferri horum determinationes, ut illas Derhami (1), qui multo majores dimenſiones ſingulis tribuit, & illas Nicolai de la Caille (2), qui aliquas minores, alias vero majores facit. Duas tamen de his tabulas non omittam. Altera ſit illa quam eruo ex Wolfio (3), quæ magnam habet ab omnibus jam dictis differentiam. Ea utendo ſignis, quibus indicari ſolent ſinguli Planetæ eo ordine, quo antea nominati ſunt, ſic habet.

	Diametri	Superficies	Soliditates
☉	152	23 104	3 511 808
♄	20	400	800
♃	28	784	21 952
♂	$\frac{11}{12}$	$\frac{5}{6}$	$\frac{10}{13}$
♁	1	1	1
♀	$1\frac{3}{4}$	3	$5\frac{1}{3}$
☿	$\frac{4}{19}$	$\frac{1}{5}$	$\frac{7}{9}$

Altera tabula eſt illa, quam de la Lande in ſua *Motuum cœleſtium notitia* (4), juſſu Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſiis edita anno 1766, dicit deductam eſſe (5) *ex obſervationibus recentiſſimis, & calculis accuratiſſimis*, iterum prolata in ſimili libro pro anno 1767 (6), quæ non parum ab illa differt, quam olim

(1) Der. Aſtro-Theology.
(5) Caill. Aſtron. num. 170. pag. 84.
(6) Wol. Elem. Aſtron. §. 521. pagin. 528.
(4) Lan. Connoiſſ. des mouvem. art. Dimenſions des Planetes pag. 120.
(7) Id. Ibi. pag. 159.
(4) Id. Ibid. pag. 131.

olim propoſuerat in eodem libro pro anno 1762 (1), & eſt hujuſmodi.

	Diametri	Soliditates		Diametri	Soliditates
☉	107	1 217 420	♁	1	1
♄	$9\frac{1}{2}$	868	☾	$\frac{3}{11}$	$\frac{1}{49}$
♃	11	1 246	♀	$\frac{17}{18}$	$\frac{4}{5}$
♂	$\frac{52}{100}$	$\frac{1}{6}$	☿	$\frac{1}{3}$	$\frac{1}{24}$

6. Idea clarior rationis illius, quam inter ſe hæ Planetarum dimenſiones habent, excitatur ab illis, ut Graveſande (2), qui has delineando oculis ſubjiciunt. Etſi autem diſcrepantia aliqua ſit inter Auctores in hujuſmodi corporum cæleſtium quantitatibus, nihilominus omnes in eo conveniunt, quod ſinguli Planetæ ſint molis ſatis inſignis. Differentia naſcitur ex eo, quod nondum conveniant Aſtronomi in quantitate tribuenda parallaxi Solis, ex qua dependet determinatio ipſius a terra diſtantiæ, qua ſemel cognita cæteræ omnes inferuntur, ut alibi (3) dico. Ab hujuſmodi incertitudine circa accuratas corporum prædictorum dimenſiones excipitur noſtra Terra, quia illæ quæ ad eam pertinent, colligi non debent per methodum diſtantiæ ſuæ a Sole, ſed per actualem obſervationem. Quoniam tamen hoc ipſum multarum rerum cognitionem requirit, & induſtriam ſingularem, omnino difficile eſt. Duplici enim via ut luculenter declarat Whiſton (4), magnitudo terræ quæſita eſt, vel ope ſolius Geometriæ oculos e terra non elevando, vel ope etiam Aſtronomiæ conjungendo cum terreſtribus cæleſtes obſervationes: ſed prima via, quæ jucunda contemplantibus accidit, inutilis eam adhibentibus invenitur propter errores ex diverſis cauſis provenientes, qui non permittunt, ut rite principia geometrica poſſint propoſito applicari. Secunda itaque via ſecurior quidem eſt, at multis difficultatibus impedita, inter quas illa eſt, quæ naſcitur ex figura Terræ, cujus cognitio prærequiritur ad hanc de amplitudine Terræ quæſtionem determinan-

(1) Id. Ibid. pag. 216.

(2) Graveſ. tr. de reb. Cæleſt. ad finem Elem. Phyſ. Muſſch. §. 37. pag. 26.

(3) Diſſert. de Attract.

(4) Whiſt. Præl. Aſtron. 2. prop. 2. pag. 12.

Digitized by Google

nandam. Hinc tanta habetur in hac re diverſitas opinionum apud Auctores. Omiſſis illis veterum, Anaximandri, Eratoſthenis, Poſſidonii, Maimonis, & aliis temporum proximiorum, de quibus citato loco meminit Whiſton, ille acquievit in menſura Picardi omnium ſuo tempore accuratiſſima, quæ telluris diametrum ſtatuit eſſe pedesPariſienſes circiter 3 923 564. At Buffonius in ſua Hiſtoria naturali ex aliis poſt Picardi tempora habitis obſervationibus colligens diametrum iſtam eſſe leucarum 3000, quarum ſingulæ ſunt pedes Pariſienſes 13200. determinat longitudinem diametri terreſtris pedes 39 600 000.

Articulus II.

A Cometis.

7. Venio ad Cometas, quo nomine appellantur Stellæ, quæ ex improviſo in Cælo apparent, plerunque caudatæ, & aliquamdiu viſibiles, quo tempore obſervantur ſingulis diebus certo intervallo promoveri, aliqui quidem ſecundum, alii vero contra ordinem ſignorum. Communis jam ſententia eſt poſt Nevutonum illos eſſe corpora Mundo coæva, ex quibus illi, qui ad noſtrum ſyſtema ſolare pertinent circumeunt Solem conſtitutum in foco illorum orbitæ, quæ proinde curvitatem ſuam Soli obvertit, non vero convexitatem, de quo nullum poteſt eſſe dubium, poſtquam Caille (1) advertit eſſe Cometas, qui gradus etiam 180 orbitæ a ſe deſcriptæ nobis exhibent conſpiciendos: eſt autem impoſſibile curvam reſpectu obſervatoris, adeoque & Solis convexam ſub angulo graduum 180 apparere: Igitur cometarum orbita non eſt Solem verſus convexa, ſed curva. Atque hæc omnino Ellipſis eſt in aliquibus quidem magis, in aliis vero minus, in omnibus autem valde excentrica reſpectu orbitæ Planetarum, adeoque in Solem gravitant ſicut Planetæ, & ita moventur, ut deſcribant circa Solem areas temporibus proportionales, & quadrata temporum periodicorum ſint ut cubi diſtantiarum ſuarum. Ex eo autem, quod Ellipſes ab illis deſcriptæ ſint tam oblongatæ, fit ut tunc ſolum conſpicui

(1) Caill. Aſtron. num. 183. pag. 87.

Digitized by Google

cui ſint nobis, cum perihelii evadunt. Aliam Jacobus Bernoullius anno 1682 propoſuit de Cometis opinionem, quæ eſt illos non moveri circa Solem, ſed circa quemdam planetam nobis ſemper inconſpicuum propter ipſius exiguam molem reſpectu diſtantiæ ſuæ a Sole, quam ſtatuit eſſe ſemidiametros orbis magni, ſeu eclipticæ 2583, eoſque tunc primo viſibiles nobis reddi, cum ad Perigæum accedunt. At quoniam opinio hæc non ſolum gratuita eſt, ſed minus etiam obſervationibus reſpondet, nullius ſuffragium invenit. Non ſunt igitur Cometæ ſatellites ullius Planetæ: ſed ipſimet circa Solem revolvuntur, atque ex acceſſu illorum ad Solem communiter jam deducitur origo caudarum, quæ in illis apparent, quatenus illæ nihil aliud ſint, quam magna halituum & vaporum copia, quæ e Cometa nimium incaleſcente erumpit. Sicuti enim fumus nunquam in ignem, a quo excitatur tendit, & denſior eſt circa ipſum corpus quod fumat, quam procul ab ipſo, ita hæ caudæ ſemper in partem Soli averſam protenduntur, atque aliquæ illarum tam amplæ aliquando ſunt, ut Cometa anni 1680 caudam traheret longitudinis graduum pluſquam 50.

8. Veteres diſtinxerunt Cometas in caudatos, barbatos, & crinitos, unde Tullius illos vocavit Stellas cincinnatas, quæ diverſæ appellationes etſi natæ ex ignota ipſis cauſa retineri adhuc poſſunt, dummodo ex illis non inferamus diverſam unius cometæ ab alio naturam, ſed ſolum diverſas exhalationum apparentias tamquam conſequentias neceſſarias majoris vel minoris propinquitatis ad Solem. Ita Cometa qui vehementer incaleſcit a Sole, magnam vaporum copiam ad magnam diſtantiam exhalat, qui pro diverſo ſitu, quem habeant reſpectu obſervatoris, dicuntur barba vel cauda: & contra qui parum caloris propter majorem diſtantiam concipit, craſſos tantummodo vapores emittit, qui parum ſupra corpus ipſum Cometæ ſe erigunt, & proinde crines audiunt. Cometarum numerum Ricciolius uſque ad annum 1651 ſtatuit eſſe 154, eos ſolum computans, de quibus Auctores diſtincte meminiſſe vidit, ſed Stanislaus de Lubienietski liberalius ſe gerens in ſua prægrandi *hiſtoria univerſali omnium cometarum a Diluvio uſque ad annum* 1665, numeravit 415. At qui de iis dumtaxat rationem habent, qui ab

Aſtro-

Aſtronomis obſervati fuerunt, multo minorem numerum exhibent, & Halleyus quidem ſolum quatuor ſupra viginti recenſuit, datis per calculum elementis theoriæ illorum, ex quibus tres Whiſtonus expunxit (1) in ſuis *Aſtronomicis principiis* Anglice editis anno 1725, quia dubitavit non eſſe a quibuſdam aliis diverſos. Caille vero in ſua tabula, in qua complexus eſt (2) *quicquid certi habetur de Cometis*, tres ſupra quadraginta uſque ad annum 1748 numeravit. Lande tandem hos dicit uſque ad annum 1764 eſſe 51, a quo tempore alii etiam viſi fuerunt, & unus ſub finem anni proxime elapſi 1769.

9. Conjecerant jampridem plures Philoſophi teſte Eſchinardo (3), *Cometas non minus quam Planetas regulariter moveri, atque eſſe perpetuos*: Et Apollonius Myndius prædixerat fore ut aliquando exiſteret, qui id ita eſſe ſuaderet, cui ſimilia ſcripſit Seneca (4): Quod primus omnium non infeliciter tentavit Caſſinus (5), ut advertit etiam Whiſtonus (6). Sed non multo poſt apertius affirmavit, declaravit, & ut ait Cotes (7) certiſſime demonſtravit Nevutonus in ſuis Philoſophiæ principiis, ſed non primæ editionis, quibus innitens Halleyus Cometographiam quamdam edidit, quam Whiſtonus Commentariis illuſtratam iterum protulit in ſuis Prælectionibus Phyſico-Mathematicis. Hos ſequuntur jam paſſim alii, ut Whiſtonus ipſe tum loco citato, tum alibi, Maupertuiſius (8), Dunthorne (9), & Cheyne (10), apud quem plura videri poſſunt partim conjiciendo, partim affirmando ab illo compendioſe expoſita circa Cometarum indolem, phænomena, & uſum. Horum autem authorum argumenta, quibus concludunt Cometas Planetarum inſtar circa Solem revolvi, ſunt hæc. Primo quidem quia Cometæ talem ad nos lucem emittunt, qualis convenit corpori, quod illuminatur a Sole, neque enim vivida eſt & clara, ſed triſtis, & pallida,

(1) Vvhiſt. Aſtr. Princ. par. 2. pag. 23.

(2) Cail. Aſtron. §. 571. pag. 157.

(3) Eſch. Curſus Phyſico-math. tr. 2, cap. 7. num. 165. pag. 168.

(4) Sen. Nat. quæſ. lib. 7. cap. 21. & 25.

(5) Caſſ. in Acad. Scient. Pariſ. ann. 1699. pag. 177.

(6) Whiſt. Aſtron. Princ. par. 2. pagin. 22.

(7) Cot. Præfat. ad Philoſ. Nevuton. §. Solis virtutem pag. 21.

(8) Mauper. Oeuvres. Syſt. du Mond. Coſmolog. pag. 33.

(9) Dunth. Tranſ. Philoſ. ann. 1751. num. 43. pag. 281.

(10) Che. Princ. Fil. cap. 5. §. 18. pagin. 134. & §. 23. pag. 149.

lida, & trans denſam atmoſphæram erumpens, quæ exprimitur ipſarum ſtatu in perihelio. Secundo quia diviſo toto tempore, quo videntur, in partes duas, obſervatur eorumdem velocitas & diameter ſemper augeri uſque ad dimidium illius temporis, & deinde per eoſdem gradus minui utrumque, uſque dum inconſpicui redduntur, quod arguit illos per curvam incedere, & in perihelio verſari, dum maxima eſt eorum velocitas, & diameter. Tertio dependenter ab Aſtronomicis obſervationibus demonſtratum eſt a Nevutono (1), & aliis deinceps, illos eſſe Luna ſuperiores, in regione planetarum verſari, & aliquos longe diſtantiores eſſe ipſo Saturno, cujuſmodi ſunt illi quatuor, quorum deprehenſa periodus creditur a Whiſtono, qui quærens quam rationem habeat lumen, quo pro media eorumdem diſtantia a Sole illuſtrantur, poſito quod illud Saturni ſit $\frac{1}{90}$ ejus, quod habet terra in ſimili media diſtantia, ſtatuit (2) illud primi Cometæ eſſe $\frac{1}{324}$: Secundi $\frac{1}{357}$: Tertii $\frac{1}{625}$: Quarti $\frac{1}{6642}$.

10. Cognita hac ipſorum ſupra terram elevatione deficit illud veterum aliquorum fundamentum, quo concludebant illos eſſe meteora ſublunaria, ut videre eſt apud Eſchinardum (3) qui undecim diverſas auctorum ſententias circa Cometarum materiam ibidem enumerat; in quibus commemorat tum ibi, tum alibi (4) etiam illam, quæ vult Cometas eſſe vaporationes Solis, quam probabilem cenſuerunt juxta eumdem Auctorem Scheinerus, & Galilæus, & deinde etiam Hevelius apud Wolfium (5), cui accedit illa Jo: Kepleri, qui (6) cometas arbitratus eſt eſſe craſſiorem quamdam partem liquidi ætherei congregatam neſcio qua virtute, & a Sole illuminatam, & ex natura loci in motum concitatam, & brevi evaneſcentem. Quarto quia inter illorum & planetarum motus duplex dumtaxat diſcrimen habetur. Alterum, quod non omnes cometæ moventur ab Occaſu in Ortum, ſed aliqui etiam ab Ortu in Occaſum, aliqui ab Auſtro in Boream, & aliqui a Borea in Auſtrum, & per omnes

(1) Nevut. Philoſ. Princ. lib. 3.

(2) Whi. Aſtron. princ. par. 3. prop. 4. Coroll. pag. 64.

(3) Eſch. Curſ. Phyſico-Math. de Aſtron. cap. 7. num. 165. pag. 105.

(4) Id. Ibid. Quæſt. xi. num. 245. pag. 296.

(5) Wol. Elem. Aſtron. §. 1169. pagin. 580.

(6) Kepl. Cometarum Phyſiolog.

Cæli plagas. Alterum eſt, quod nullus Cometarum præbet ſe conſpiciendum per integram ſuam revolutionem, ſed alii ſolum per arcum 80, vel 100 graduum, alii vero per aliquem aliquanto majorem. Quinto quia regularem hunc motum in illis obſervarunt conſtanter Aſtronomi accuratiores, ut Tycho, Hevelius, Caſſinus locis a Wolfio (1) citatis, & nuper anno ſcilicet 1759 vidimus id confirmatum in eo cometa tunc obſervato, quem jam olim conjecerant Nevutonus & Halleyus complere ſuam circa Solem periodum intra annos circiter 76, id cum illis colligentes ex eo, quod characteres obſervati ab Appiano in Cometa anni 1531 viſi fuerint iidem ac in iis, qui apparuerunt Keplero & Longomontano anno 1607, ſeu poſt annos 76, & anno 1682, ſcilicet idem locus perihelii, eadem in perihelio velocitas maxima, idem planum orbitæ, & eadem tandem diameter apparens in iiſdem orbitæ locis. Quare jam tunc prædixerant illum rurſus appariturum poſt ſimile tempus, quod accurate definire, nondum eſt permiſſum deficiente adhuc propter illorum tam rarum reditum, & brevitatem temporis quo conſpiciuntur, neceſſaria ad hanc determinationem cognitione tot elementorum, quot enumerat Keillius, ubi in ſua Aſtronomia agit de calculo motus cometarum art. 1, & 2, quibus addi debet etiam animadverſio ad ſitum Planetarum, qui pro majori vel minori diſtantia, quæ inter ipſos & Cometas intercedat, perturbare debent actione ſua eorumdem motus. Propter quas cauſas Clerautius magnam ſibi ingenii & induſtriæ gloriam comparavit, dum aggreſſus prædicere reditum Cometæ anni 1682, cui periodus annorum 76 ex dictis attributa fuit, ita omnia revocavit ad calculum, etiam perturbationes illas, quas ipſius motus pateretur ex Planetarum attractione, Jovis præſertim ac Saturni, qui ſenſibiliter Cometam hunc, dum eſſet Aphelium verſus attrahere poterant, ſi eamdem Cœli partem tenerent, ut libere affirmaverit coram Academicis Pariſienſibus in ſolemni ſtudiorum inſtauratione ſub medium Novembris anno 1758 illius reditum tardiorem fore 20 circiter menſibus, quemadmodum reipſa contigit cum tanta ipſius fama, ut vulgo jam Cometa ille anni 1759 Clerautianus appelletur. Thomas Barker, qui de

(1) Wol. Elem. Aſtr. §.1157. pag.577.

de his retardationis cauſis non cogitavit, vel non inquiſivit, fruſtra principium & finem hujus reditus pro ſingulis anni 1758 menſibus definivit in Tranſactionibus (1). Fuit quidem jam ante Antonius Ghiſlerius, qui in præfatione ad ſuas Ephemerides editas anno 1720 diſſeruit de recurſu Cometarum, & anno 1733 tractatum vulgavit *De prædictione Cometæ anni 1736*. Sed hic revera, quem credidit debere eſſe illum, qui anno 1668 obſervatus fuerat, non apparuit.

11. Ex adſerta Cometis natura non abſimili illi Planetarum ceſſavit, ſin minus apud vulgus, ſaltem apud Philoſophos opinio illa, quod Cometæ inducant vel ſignificent magnas in rebus humanis viciſſitudines, quas major Veterum pars funeſtas & lacrymabiles prædicabat, paucis ſolum contradicentibus, inter quos eſt Vincentius Guiniſius (2), qui læta omnia potius ab illis propugnat enunciari. Si enim quis excipiat periculum cujuſdam mutationis in terreſtri Atmoſphæra, quoties illi ita accedant, ut quos eructant vapores ſub formam caudæ, Atmoſphæræ noſtræ immiſceantur, nihil de cetero eſt, quod in hanc terram poſſint efficere. Quæ ſiquis adhuc ſibi non perſuadet, ad illud ſaltem animum advertat, quod Propheta monet, (3) *A ſignis Cæli nolite metuere, quæ timent Gentes*.

12. Quemadmodum autem Planetæ ex certo Cæli ſpatio, quod vocant Zodiacum non exeunt, ita ſuum etiam quaſi Zodiacum eſſe pro omnibus cometis viſum eſt Caſſino, quem his verſibus, qui Conſtellationès ad illum pertinentes comprehendunt, deſignavit.

Antinous, Pegaſuſque, Andromeda, Taurus, Orion

Procyon, atque Hydrus, Centaurus, Scorpius, Arcus

ſcilicet Sagittarii. Sed alii hoc admittunt vere dici de pleriſque Cometis, non autem de omnibus, affirmantes ut Caille (4) illos per omnes Cæli plagas detegi.

13. De Cometarum Trajectoria, hoc eſt linea, quam ipſi deſcribunt, fuit opinio Kepleri, illam eſſe rectam, ſed Hevelius (5) deprehendit phænomena excludere hunc motum rectilineum,

(1) Tranſ.an.1755.uum.57. pag.347.

(2) Guin. Allocut.Gymnaſticæ. Allocut.7. pag.174.

(3) Jerem. cap.10. v.2.

(4) Cai. Aſtron. num.16. pag.36. Id. ibid. num.177. pag. 87.

(5) Hev. Cometogr. lib.9.

neum, & exigere parabolicum, quod confirmavit Doerffelius, qui viam Cometæ anni 1680 ex ſuis obſervationibus repræſentavit conficere orbitam parabolicam, & approbarunt Nevutonus (1); & Halleyus (2), qui docuerunt, quomodo per calculum innixum in trajectoria parabolica poſſint ſingula Cometarum loca reperiri. Revera tamen illorum orbita ne parabolica quidem eſt, cum Parabola non ſit curva in ſe rediens, qualis omnino requiritur ad reditum Cometarum, qui jam eſt extra controverſiam. Eſt igitur Ellipſis admodum oblonga, cujus proinde centrum a foco tantum diſtat, ut tenuis illa hujus ellipſeos portio, quam nobis conſpicuus Cometa deſcribit, confunditur cum Parabola, juxta quam Aſtronomi elegerunt determinare ſingula Cometarum loca, potius quam juxta Ellipſim, quia inutiliter ſe ſubjicerent calculo nimis prolixo & moleſto, qualis eſt in Ellipſibus valde oblongis, ſeu ut ajunt valde eccentricis.

14. Hujus compreſſæ ellipſeos notionem aliquam magis diſtinctam ſuffecit Whiſtonus, dum ſicuti diſtantiam mediam a Sole quorumdam cometarum, ut ſupra vidimus, determinavit, ita etiam rationem protulit, in qua eſt aliquorum diſtantia maxima ad minimam. Atque incipiendo a cometa Soli viciniore invenit (3) pro hoc, quem dicam primum, maximam diſtantiam eſſe ad minimam, ut 60 ad 1. Pro ſecundo ut 100 ad 1. Pro tertio ut 20 000 ad 1. Ex quibus infertur, quomodo ſe habeat maximus calor ad minimum, cui ſinguli Cometæ ſemel ſubjacent in ſingulis circa Solem revolutionibus, faciendo ſcilicet quadratum rationis diſtantiarum jam poſitæ, quandoquidem calor corporis eſt in duplicata ratione inverſa ſuæ a Sole diſtantiæ. Quare maximus calor ad minimum pro primo Cometa eſt circiter ut 3600 ad 1. Pro ſecundo ut 10 000 ad 1. Et pro tertio, ut 400 000 000 ad 1. Non eſt igitur mirum, quod Nevutonus (4) ex calculo collegit cometam anni 1680 habuiſſe perihelium Soli tam proximum, ut debuerit incaleſcere 28 000 vicibus magis quam faciat tellus noſtra per æſtatem. Quare fingendo fuiſſe ejuſdem molis, ac eſt terra, & rurſus ex ferrea materia, vix ſpatio annorum 50 000 frigidus evadet.

ARTI-

(1) Nevut. Princ. Phil. lib. 3. prop. 40.
(2) Hall. in Actis Lipſ. ann. 1707.
(3) Whi. Aſtron. princ. p. 2. pag. 24.
(4) Nevut. Princ. Philoſ.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

A Stellis fixis.

15. VEnio ad Stellas fixas. Hæ habent molem Sole hoc noſtro non minorem, & ſunt totidem Soles propria ſibi luce ſplendentes, ut jam olim ſtatuerunt Jordanes Brunus, Galilæus, Keplerus, Carteſius locis citatis a Ricciolio (1), quibus ille & vulgo jam recentiores ſubſcribunt, impugnantes tum Anaxagoram, qui juxta Plutarchum (2) dixit ſtellas iſtas eſſe lapides ex terra ab æthere abſorptos, & vehementia revolutionis accenſos: tum Xenophanem, qui credidit eſſe carbones ex inflammatis nubibus ardentes: tum Metrodorum, qui a noſtro Sole illas lumen recipere voluit, quod deinde tenuerunt Albategnius, & Vitellius, & recentius Reinholdus, Blancanus, Scheinerus, & Conimbricenſes. Probatur autem hæc Fixarum natura cum Whiſtono (3), Cheyne (4), Derhamo (5), Monteiro (6), quia ea luce, quam in ipſis obſervamus vegetam & vividam, non lucerent, ſi a Sole illam mutuarentur, & nobis reflecterent, propter immanem ipſarum diſtantiam a nobis, & noſtro hoc Sole, quæ tanta eſt, ut vix ulla inveniatur eſſe illa, quam habet Saturnus planetarum omnium remotiſſimus in ipſius comparatione. Quare non ſolum longe debilior eſſet earum fulgor, ſi eſſet per illuminationem Solis, quam is ſit, quem videmus in Saturno, qui, etſi ſit poſt Jovem maximus Planetarum, fulget longe minus ac fulgent Stellæ fixæ omnium judicio, præterquam Scheineri, qui citatur tamquam id vocans in controverſiam in Diſquiſitionibus mathematicis num. 35: Sed nullus omnino in illis eſſet fulgor juxta notam legem, quod quantitas lucis projectæ in aliquod corpus a corpore lucido ſit in ratione reciproca duplicata ſuæ diſtantiæ ab illo, quæ in Fixis eſt perquam maxima, ut mox oſtendam. Inviſibiles igitur nobis

(1) Ricc. Almag. lib. 6. cap. 2. nu. 4. pag. 395.
(2) Plut. de Placit. lib. 2. cap. 13.
(3) Whiſt. Præl. Aſtron. 4. num. 8. pag. 43.
(4) Chey. Princ. Philoſ. cap. 5. §. 17. pag. 132.
(5) Der. Aſtro-Theol. B. 2. ch. 2. pag. 22.
(6) Mont. Phil. Aſtron. Phyſ. nu. 301. pag. 177.

nobis eſſent ſtellæ fixæ, ſi unice per Solem lucerent. Montanarius (1), & recentius Whiſtonus (2) ex majori illa vel minori aut luce, aut magnitudine, quæ in aliquibus ipſarum aliquando obſervatur, collegerunt illas etiam ſubjacere ſuis maculis modo majoribus, modo minoribus, ut ſine controverſia jam eſt accidere noſtro huic Soli.

16. Quod diſtantia fixarum a Sole ſit tanta, quantam innui, ſuadetur I. quia illæ ſine controverſia ſunt ultra ſphæram Saturni, planetæ omnium remotiſſimi, cum ab illo noſtris oculis per ſui interpoſitionem ſurripiantur. II. quia per Teleſcopia quævis omnium optima non ſolum nullo modo amplificatur illarum diameter, ut accidit dum ea adhibentur in obſervandis corporibus, quæ ad menſurabilem diſtantiam ſint collocata, ſed potius minuitur, & tamquam lucida puncta exhibentur, propterea quod dum per tubum opticum inſpicitur objectum ſatis lucidum, vel impeditur diſſipatio quædam radiorum lucis proveniens ab exiguis atomis per aerem volitantibus, & lumen ad nos reflectentibus extra lineam, in qua primo diriguntur, vel potius retina recipit minus vehementem impreſſionem, & eam, quæ non facit, ut etiam fibræ immunes a radiorum percuſſione, ſed primis vicinæ commoveantur, quemadmodum arbitratus jam fuit Orlandus in notis ad *tractatum de rebus cæleſtibus* (3), ex Graveſande magna ex parte deſumptum, quem addidit ad finem Elementorum Phyſices Muſſchenbroekii juxta ſecundam ejus editionem, quæ eſt poſt annum 1745, in quorum alterutro vel utroque conſiſtit ea diametri magnitudo, quæ in ſideribus apparet nudo oculo, & illa eorum ſcintillatio, verius quam in interpoſitione vaporum, qui eorumdem radios præcidant, ut Whiſtonus (4) propugnat minus cohærenter ad ea, quæ ſupra ſtatuit ſcilicet quod per Teleſcopium fixæ videntur tamquam lucida puncta utique continuo lucentia, & non per intervalla. Aſtronomi paulo antiquiores, qui hanc opticam illuſionem non adverterunt, poſtularunt, ut diametris fixarum concederetur quadrans

(1) Mon. Sparizione di alcune Stelle, in fine libri, Proſe de' Signori Academici gelati di Bologna.

(2) Whiſt. Aſtron. Princ. par. 3. circa fin. num. 18. pag. 79.

(3) Orl. ad §. 201. pag. 81.

(4) Whi. Prælect. Aſtron. 4. num. 9. pag. 44.

drans vel triens primi minuti: ſed poſt Hugenium (1), ut obſervat Whiſtonus (2), nemo jam eſt, qui hujuſmodi poſtulata proponat, nec fateatur credendum Teleſcopiis, quæ ſtellas fixas, ut lucida puncta repræſentant. Quod ita eſſe confirmatur ex eo, quod dum aliquis Planeta producit relate ad nos illarum Eclipſim, illæ non paulatim, ſed unico temporis momento inconſpicuæ redduntur.

17. III. Quia ut congruenter ratiocinatus fuit Hugenius, (3) Sirius collocatus per noſtras cogitationes in loco Solis, nobis appareret ut Sol: ergo tantæ circiter molis eſt Sirius, quantæ eſt Sol. Antecedens perſuaſit ingenioſa commentatione, cujus quaſi ſubſtantiam dumtaxat referam; qui illius vim clarius velit expoſitam, ipſum conſulat, vel Whiſtonum (4), aut Wolfium (5), qui eamdem retulerunt & adprobarunt. Tubum ille certæ longitudinis utrinque apertum ex altero ſui extremo ita obduxit, ut exiguum dumtaxat foramen reliquerit, cui appoſuit globulum vitreum: ex altero deinde extremo Solem contemplatus, illum invenit tali modo imminutum in magnitudine & ſplendore, quali nobis apparet Sirius, qui habetur pro una ex Fixis nobis proximioribus: atque hinc non ſolum rite intulit, quod ſi Sirius in eo loco, in quo eſt Sol collocaretur, ille in hypotheſi, quod æqualis eſſet cum Sole magnitudinis, & ſplendoris, ejuſdem nobis diametri & ſplendoris appareret, ac Sol, ſed etiam collegit diſtantiam Sirii a terra eſſe ad diſtantiam Terræ a Sole, ut 27 664 ad 1. Quare in hypotheſi, quod diſtantia Solis a nobis par ſit 24 000 ſemidiametris terreſtribus, & ſemidiametro terreſtri tribuatur longitudo milliariorum 3 923, eſſet diſtantia Sirii a nobis milliarium 2 604 620 928 000, quam ſcilicet globus ſumma vi emiſſus a tormento bellico, qui nihil primæ ſuæ velocitatis, qua 600 pedes minuto ſecundo abſolvit, unquam amitteret, non tranſcurreret niſi ſpatio annorum fere 700 000; navis vero, quæ 50 milliaria ſingulis diebus conficeret, non ſuperaret, niſi intra annos 30 430 400, ut ex ipſo Hugenio refert Nievventitius (6).

IV.

(1) Hug. Coſmoth. lib.2.
(2) Whiſ. Præl. Aſtron.4. §. Phænomeu. quartum pag.30.
(3) Hug. Coſmoth. lib.2.
(4) Whiſt. Præl. Aſtr.3. pag.32.
(5) Wol. Elem. Aſtr. §.1116. pa.568.
(6) Nievv. The. Relig. Phil. Contempl.24. ſect.54. pag.818.

18. IV. quia in hypotheſi terræ circa Solem ſe moventis, cum fixas una anni tempeſtate aſpiciamus ab uno extremo diametri orbitæ terreſtris, & alia ab alio extremo longe inter ſe remotis, deberent illæ in diverſis locis apparere, ſive ut ajunt, deberet ſe prodere aliqua in illis parallaxis, ſi ad aliquam diſtantiam poſitæ eſſent, cum qua haberet ſenſibilem aliquam rationem tota hæc diameter; Nam ſicuti dum corpus aliquod in medio cubiculi pendulum reſpicimus a duobus ejuſdem cubiculi extremis, illud referimus ad diverſa lacunaris puncta, quæ minus ſemper inter ſe diſtant, quo major eſt illius penduli elevatio, adeoque diſtantia ab oculo, ita pariter reſpiceremus fixas diverſis anni temporibus in diverſis Cæli locis, ſi illorum diſtantia a terra non eſſet reſpectu diametri orbitæ terreſtris enormis, & quaſi infinita, quod magis etiam explicatum videri poteſt apud Orlandum (1). Atqui parallaxis fixarum eſt tam exigua, ut nondum tuto affirmari poſſit quanta ſit: Igitur illarum a nobis diſtantia eſt omnino inſignis. Flamſteedius quidem & Hookius putarunt olim ſe parallaxim aliquam in fixis deprehendiſſe, ſed ipſos ex alibi (2) dictis conſtat ſe decepiſſe. Wolfius autem ſuadet (3) parallaxim *in proxima fixa non poſſe uno ſcrupulo ſecundo majorem aſſumi*, qualem Bradlejus apud Muſſchenbroekium (4) admiſit. Qua poſita conficitur eodem obſervante Muſſchenbroekio (5) Sirium eſſe ad diſtantiam longe majorem illa, quam paulo ante vidimus Hugenium conjeciſſe, eam ſcilicet, quam globus e tormento bellico expulſus non percurreret niſi ſpatio annorum 104 *166 666 636*. Atque hæc quidem concluditur in aſſumpta parallaxi unius ſcrupuli ſecundi. Quare ſi ne hæc quidem admitti poſſit, ſed minui adhuc debeat, ut ex recentiſſimis obſervationibus Euſebius Amort (6) dicit conſtare, jam fixarum diſtantia extra noſtram ipſam imaginationem ut ita dicam collocatur. Quod ſi praxes Aſtronomis notæ tam enormes diſtantias a nobis concludunt in Sirio fixa nobis proximiori, facile eſt videre per regulam proportionum, quam lon-

(1) Orl. Not. ad tract. de reb. Cæl. ad fin. Elem. Muſſch. §.147. pag. 62.

(2) Diſſ. de Motu.

(3) Wolf. Elem. Aſtron. §.608. pagin. 457.

(4) Muſſ. Elem. Phyſ. §.846. pag. 5.

(5) Id. ibid. §.83. pag. 128. & §.846. pag. 5.

(6) Amor. De Mundi ſyſtem. ſect. 1. cap. 5.

longius removeant illas, quæ ſextuplo diſtantiores creduntur. Nam cum ex iis aliæ majores, aliæ minores appareant, ut ſoleant dividi in ſex magnitudines, jure creduntur illæ majores apparere, quæ ſunt proximiores noſtro Soli: ceteræ autem per varios gradus apparere minores, prout per varios gradus a noſtro Sole remotiores ſunt. Hæc enim magnitudo apparens, ex dictis naſcitur non jam ex eo, quod ſint aliquæ Stellæ, quæ per Teleſcopium inſpectæ non ſint tamquam puncta lucida, ſed ex eo, quod majorem aliquæ ipſarum vivacitatem luminis a minori illarum a nobis diſtantia dependentem habeant, unde illa naſcitur oculorum illuſio.

19. Atque hinc crediderim fieri, ut Auctores teſte Wolfio (1), unanimiter numerent aliquas in ſtellis primæ magnitudinis, ut Aldebaran ſeu Oculum Tauri, Rigel, Alhabor ſeu Sirium, Capellam, Cor Leonis, Caudam Leonis, Spicam Virginis, Arcturum, Summam in pede Centauri, Lucidam Lyræ, Fomahant, Canopum in Temone navis Argo, Acarnar in extremo Eridani: de aliis vero controvertant inter ſe quo in loco habendæ ſint; Sunt enim qui primæ pariter magnitudinis dicunt eſſe Procyonem in Cane minori, Humerum Orionis, Cor Scorpii, & Lucidam Centauri, & ſunt contra, qui hoc negent. Scilicet illæ in controverſiam cadunt, quæ cum aliquantulum recedant a vivida luce pro diverſa oculorum diſpoſitione, aliquibus multum, aliis vero parum recedere videntur. Eſt quidem Whiſton (2), qui credit verius poſſe diverſitatem in magnitudine apparenti fixarum naſci non jam a nimis diverſa illarum a nobis diſtantia, ſed ſolum ex diverſitate realis ipſarum magnitudinis, quemadmodum noſcimus magnitudinem diverſam realiter eſſe in Planetis. De qua ipſius opinione equidem illud dumtaxat dico male eam deduxiſſe ex ſuppoſitione, quæ nequit ex nuper dictis attendi, parallaxeos Flamſteedianæ, quam ille credit repertam eſſe eamdem in tribus Stellis fixis non parum diverſis in magnitudine apparenti.

20. Quoniam autem totidem Soles eſſe Stellas fixas evincitur,

(1) Wolf. Elem. Aſtron. §. 249. pagin. 384.

(2) Whiſt. Aſtron. Princ. par. 3. corol. num. 17. pag. 78. Id. Præl. Aſtr. 4. n. 8. pa. 42.

tur, ſatis opportune infertur illarum ſingulas eſſe centrum ſyſtematis ſimilis illi, in quo nos ſumus, & vulgo Syſtema Planetarium dicitur, & proinde circa illas eſſe ſuos Planetas, quemadmodum ſunt circa noſtrum Solem, quos ſuo Fixæ illæ fovent calore, & quodammodo animant, in iiſque illas quaſcunque creaturas, quas Deo placuerit creare, ibique collocare, quibus ſuus Sol vitam & pulchritudinem impertiatur, ut ex tota rerum creatarum univerſitate laudes reſonent Dei Creatoris & omnium bonorum Auctoris. Illationem hanc deducunt paſſim jam Auctores, ut Caille (1) poſt Jordanum Brunum, infeliciter in hac re impugnatum a Keplero (2), ut ſuadet Wolfius (3). Sicuti igitur Sol hic noſter eſt propter ſuos Planetas, non propter commentitium aliquem influxum in Stellas fixas, ità Fixæ ſemel quod totidem Soles ſint, ſatis abſurde creduntur ad hunc vel ſolum vel præcipuum finem eſſe, ut huic noſtræ telluri, quæ eſt ex minoribus globis in ſpatio cæleſti collocatis, famulentur imaginario quodam influxu, vel tenui illa luce, quæ per noctem ad nos ex ipſis aliquando pervenit. (4) *Divinæ Sapientiæ*, ſic Orlandus, *minime congruens videretur, ſi fixæ ſolitarie conditæ, nullaque juxta poſita fuiſſent corpora, quæ harum luce & calore foverentur; Nihil enim fruſtra a Deo creatum affirmari poteſt*. Wolfius (5) conſtituit Stellas illas, quæ aliquando in Cælo per aliquod tempus viſæ ſunt, eſſe Cometas alicujus fixæ, qui nobis facti fuerint conſpicui ex eo, quod tunc in ſuo Aphelio verſarentur. Cui opinioni illud accedere argumentum exiſtimat Beniaminus Martinus (6), quod regulariter Stellæ iſtæ temporariæ apparent in via lactea loco ſcilicet, ubi plures hujuſmodi Soles conſtituti ſunt. Si in hypotheſi, quod Fixæ ſint centrum ſyſtematum noſtro huic ſimilium, inquiramus cum Cheyne (7), quot hujuſmodi ſyſtemata paris amplitudinis, quæ eſſent totidem ſphæræ, collocari poſſent circa hoc noſtrum Planetarium ſyſtema, invenimus eſſe duodecim circiter vel tredecim,

(1) Cail. Aſtron. num.13. pa.35.
(2) Kepl. Epit. Aſtron. lib.1.
(3) Wol. Elem. Aſtr. §. 1123. pagin.570.
(4) Orl. in Not. ad tract. de reb. cæleſt. ad fin. Elem. Muſch. §.2. pa. 12.
(5) Wol. Aſtr. §.1128 pa.571.
(6) Mart. Gram. de. Scienze. par. 2. cap. 6. pag. 142.
(7) Chey. Princ. Filoſ. cap. 5. §. 20. pag. 142.

Digitized by Google

cim, & totidem reapſe numerantur ſine controverſiâ ex dictis Fixæ primæ magnitudinis. Sin autem circa hoc primum ſphæricorum ſyſtematum ordinem inquiramus, quot aliæ ſimilis magnitudinis ſphæræ diſponi poſſint, invenimus illas eſſe circiter quinquaginta, & totidem revera numerantur Fixæ ſecundæ magnitudinis. Ex quo conficitur arbitrariam non eſſe hanc hypotheſim, quod non ſolum Stellæ fixæ ſint totidem Soles, ſed etiam totidem centra ſyſtematum noſtro ſimilium.

21. Porro quando ſint circa fixas ſui Planetæ, profecto illi debent eſſe nobis inviſibiles. Nam ſi concipiamus nos removeri a noſtro hoc Sole tantum, quantum remoti ſumus a Fixis, jam Sol nobis tamquam Fixa appareret, jamque nullum noſtrorum Planetarum videremus, tum quia lux illorum ad nos non perveniret propter ſuam debilitatem, tum quia diametri Orbitarum, quas ipſi circa Solem deſcribunt, eſſent quid minimum ex tota illa diſtantia, qua nos ab illis diſtaremus, & proinde inſenſibiles eſſent, & quaſi collectæ in puncto Solis: & a fortiori inſenſibiles eſſent ipſæmet diametri ipſorum planetarum: ergo ſimiliter planetas, qui ſint circa fixas, neceſſe eſſet inviſibiles nobis eſſe. Hæc illorum inſenſibilitas nobis in terra degentibus ſic etiam declaratur. Diametri corporum minores videntur, quo major eſt illorum diſtantia ab oculo, ſive ut ajunt, apparentes diametri ſunt in ratione inverſa diſtantiæ a ſpectatore, ſaltem quando ſermo eſt de diſtantiis, quas ſolemus magnas appellare. Ita apparens Solis diameter, qui nobis Terricolis eſt triginta ſcrupulorum, ſi Jovicolæ per mentem evadamus, appareret ſex ſcrupulorum: Nam quinquies circiter longius Sol diſtat ab Jove, quam a Terra: & ſi Saturnicolas ſimiliter nos fingamus, eadem Solis diameter appareret trium ſcrupulorum, cum ſit dupla diſtantia Solis a Saturno, quam ab Jove: adeoque cum diſtantia ut unum det apparentem diametrum Solis, ut 30, erit propter inverſam rationem apparentia ejuſdem diametri ut 3 in diſtantia ut 10, qualis eſt diſtantia Saturni a Sole, utpote dupla illius, quam habet Juppiter ab eodem Sole. Quis igitur poſſit videre Planetas, qui circa Fixas revolvantur, ſi ipſemet Sol ad diſtantiam Saturni tam exiguus evadit?

22. Modus hic cogitandi de fixis ad diverſas diſtantias po-

ſitis & conſtitutis in centro totidem ſyſtematum Planetariorum pertinet ad illud, quod dicitur novum Mundi Syſtema, ut ait Derham (1), quia recentiorum Philoſophorum eſt. Veteres enim communiter viſi ſunt ſupponere Cælum fixarum claudere ſphærice univerſitatem rerum corporearum, in cujus centro tellurem volebant collocatam. Quod Ariſtoteles quidem credebat hoc modo demonſtrari, Centrum omnium gravium eſt centrum Mundi: Sed centrum terræ eſt centrum omnium gravium; ergo centrum terræ eſt centrum mundi. In quo argumento etſi verum non ſit haberi petitionem principii, ut poſt Galilæum dicunt Auctor artis cogitandi (2), & Sebaſtianus Pauli in eleganti Diſſertatione, qua Syſtema Copernicanum declarat, inſerta ſub nomine Tedalgi Penei in Miſcellanea variorum Opuſculorum Venetiis edita anno 1740 (3), attamen negari non poteſt majorem propoſitionem, quæ tempore Ariſtotelis poterat apparere gratuita, eſſe jam evidenter falſam, cum videamus Satellites circa Jovem & Saturnum moveri, adeoque in illos, non in terram gravitare. Si hujuſmodi cognitiones de numero & magnitudine corporum cæleſtium affulxiſſent Senecæ, quidnam dixiſſet, ut homines a terrenis ad cæleſtia contemplanda adduceret, qui vi earum, quas pro ſuo tempore habebat maxime limitatas, dixit (4) *Punctum eſt iſtud in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna diſponitis, minima etiam cum utrinque illis Oceanus occurrit*, quibus ſimilia protulit deinde etiam Plinius (5).

ARTICULUS IV.

A ſimilitudine Planetarum cum Terra.

23. Leviter delibatis, quæ ad magnitudinem & naturam Fixarum pertinent, redeo ad Planetas noſtri Syſtematis, de quibus cum Wolfio (6), aliiſque juvat obſervare quanta cum terra hac noſtra intercedat ſimilitudo. In primis non habent illi lucem ſibi propriam, ſed eam ſolum, quam a Sole recipiunt; Nam ſi totam partem, quam Sol reſpicit ad nos obver-

(1) Derh. Aſtro-Theol. a Diſcours prælim. pag. 14.

(2) Art. de penſer. par. 3. cha. 17. num. 2. pag. 314.

(3) Paul. tom. 2. pag. 375.

(4) *Sen.* Nat. quæſt. lib. 2. Præfat. pag. 793.

(5) Plin. Nat. Hiſt. lib. 2. cap. 68.

(6) Wolf. Elem. Aſtron. §. 524. pagin. 437.

verſam non habeant, illi videntur vel falcati, vel dichotomi, vel gibboſi, ut omnibus patet in Luna, & per Teleſcopia in Venere. Quod ſi Luna paucis diebus ante & poſt Novilunium præter tenuem ſui partem lucentem, oſtendat etiam reliquum globi tenuiſſimo quodam lumine ſparſum, id accidit, quia tunc terra ſecum jacens in eadem quaſi linea ſub Sole, totum fere ſuum diſcum multo ampliorem Lunari eidem obvertit, a quo tantum recipit lucis, ut ſit aliquid, quod ad nos iterum reflecti poſſit. Rurſus ſi alter Planeta alteri interponatur, ut impediat ne radii Solis ad illum perveniant, hic obſcurus apparet, vel nullo modo conſpicitur ex quibuſvis terræ locis oculus in illum convertatur, contra ac accidat in Sole, qui quia propria ſibi luce fruitur, illam non amittit niſi relate ad illa terræ loca, quæ ſunt intra umbram Lunæ jacentia. Et quando inter nos & Solem directe verſentur, Solis partem aliquam pro ſua magnitudine noſtris oculis eripiunt, ita ut aliqui ipſorum ut Venus & Mercurius tamquam maculæ quædam ſupra ipſius diſcum moveri videantur.

24. Hæc Planetarum cum Terra ſimilitudo, quantum ad illuminationem per Solem habet hanc diſſimilitudinem, quod calorem longe diverſum ſinguli habent. Calor enim a Sole excitatus in Planetis eſt in ratione inverſa quadrati diſtantiæ illorum ab ipſo, quandoquidem ſequitur rationem, qua lux ab ipſo diffunditur. Quare ex nota aliunde diſtantia ſingulorum Planetarum a Sole, definiri poteſt, qualis ſit ratio inter calorem unius, & illum alterius. Whiſtonus aſſumpta illuminatione terræ in media diſtantia a Sole pro unitate, illam ſingulorum Planetarum pro media eorumdem diſtantia ſic determinat (1). Corpori in ipſa ſuperficie Solis tribuit lumen ut 45 000

Mercurio	6	Marti	$\frac{4}{10}$
Veneri	2	Jovi	$\frac{1}{27}$
Terræ & Lunæ	1	Saturno	$\frac{1}{90}$

25. Alterum ſimilitudinis caput eſt in opacitate, & denſitate materiæ. Atque opacitas quidem rite infertur ex reflexio-

(1) Whi. Aſtr. princ. par. 3. prop. 4. coroll. pag. 64.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

xione lucis. Circa denſitatem vero nulla eſſe poteſt controverſia, ſiquidem ejus nomine venit quantitas materiæ ſub ipſorum volumine comprehenſa, quæ cum poſſit eſſe major vel minor, Philoſophi eruunt majorem eſſe in illis, qui Soli viciniores ſunt, quam in illis, qui longius diſtant, ita ut præeunte Nevvtono proponant etiam catalogum, in quo ſtatim apparet, quam rationem habeat unius denſitas ad illam alterius. Quoniam autem ſinguli hujuſmodi computum inſtituunt, quia putant accuratius in dies poſſe tractari elementa hujus calculi, ſcilicet diſtantias illorum a Sole, & diametros apparentes, ſubjiciam tantummodo tabulam, quam recentiſſime de la Lande propoſuit, ſtatuens modo qui ſequitur ſe habere hujuſmodi denſitates (1).

Mercurii	2, 040	Jovis	0, 292
Veneris	1, 270	Saturni	0, 184
Terræ	1, 000	Solis	0, 250
Martis	0, 730	Lunæ	0, 702

Atque hæc denſitatis gradatio mirifice congruit cum diverſitate caloris, quem ſinguli a Sole patiuntur ex neceſſaria conſequentia diverſæ eorumdem diſtantiæ ab illo, quia inquit Graveſande (2) *congruit & cauſis finalibus, ut denſior planeta ſit Soli etiam propior, cum materia omnis denſior ad operationes naturales obeundas majorem calorem requirat.*

26. Tertium ſimilitudinis caput conſiſtit in montibus, vallibus, atmoſphæra, & partibus non ſolum ſolidis ſed etiam fluidis, quæ non ſecus ac in terra, in planetis etiam reperiuntur. Argumenta quæ hæc perſuadent, dicam reſpondendo Joanni Cadonico, qui nuper hæc omnia negavit de omnibus planetis, quia inquit in Luna non ſunt montes (3), neque ullæ partes fluidæ ſive aquæ (4); Nam aliter haberet Luna atmoſphæram, in quam vapores vi Solis attraherentur, & quidem a fortiori, cum (5) *Luna tanto ſit terra hac Soli proximior; adeoque magis expoſita vi caloris ejus*: neque ſunt nives, & nubes, quæ etiam *fre-*

(1) Lan. Connoiſſ. des mouv. an. 1766 Art. Dimenſion. des Planet. pag. 120.

(2) Grav. De reb. Cæl. ad fin. Elem. Phyſ. Muſſchen. §. 260. num. 6. p. 117.

(3) Cad. Contutazione di Derham §. 5. pag. 23.

(4) Id. Ibid. §. 15. pag. 255.

(5) Id. Ibid. pag. 268.

(1) *frequentes ibi eſſe deberent*; Nam hæc nec nudis oculis videntur unquam per noctes ſerenas, nec novimus obſervata unquam eſſe ab ullo Aſtronomorum.

Reſp. nego aſſumptum. Valles & montes Lunares, quos jam olim Clearchus apud Plutarchum (2) ex conjectura ſtatuerat, ſunt jam ferme a duobus ſæculis, ſive ab inventis teleſcopiis extra controverſiam; Nam quicunque teleſcopio aliquo ipſam inſpiciat extra ipſius plenilunium, evidenter videt eſſe in ea partes altiores & partes humiliores; Ubi enim pars illuminata deſinit, & quando ea eſt dichotoma, hoc eſt illuſtrata per dimidium diſci nobis viſibilis, clare videbit collucere aliquas ipſius partes longe ab hemiſphærio colluſtrato poſitas, quas neceſſe eſt eſſe cacumina montium, quorum aliquos Ricciolius quidem ſubductis rationibus concluſit elevari perpendiculariter ſupra globum Lunarem circa octo vel undecim milliaria Bononienſia, adeoque longe altiores eſſe illis, quos habet noſtra tellus, quorum maximi ſunt altitudinis perpendicularis trium dumtaxat vel quatuor milliarium. At Derhamus (3), qui geometricam methodum menſurandi hos montes tradit, putans aliquem in obſervationibus Riccioli irrepſiſſe errorem, adhæret potius Hevelio, qui nullum ex montibus Lunaribus ſuperare dicit duo milliaria. Præterea in ipſa parte illuminata conſpiciuntur plura loca modo quodam inconſtanti obſcuriora, quod ſatis ſuadet eſſe campos montibus circumvallatos, qui donec a Sole ſatis oblique illuſtrantur, parum luminis ab ipſo participant. Similes montes eſſe in Venere perſuaſit jam Blanchinius in ſuis *Heſperi & Phoſphori novis phænomenis*. Pro illis aliorum planetarum deeſt quidem hæc oculis hauſta evidentia, ſed iidem ſufficienter deducuntur vel ex inæqualitate luminis, quod ab illorum ſuperficie reflectitur, ſeu maculis, quæ in omnibus deteguntur, qui permittunt ſe obſervari, vel ex analogia.

27. Quod pertinet ad Atmoſphæram Lunæ, hanc viſam eſſe ſatis manifeſte in quibuſdam Eclipſibus Solis totalibus teſtantur Tranſactiones Philoſophicæ locis citatis a Whiſtono (4). Et Wol-

(1) Id. Ibid. pag. 271.
(2) Plut. De facie in orbe Lunæ.
(3) Derh. Aſtro-Theol. B. 5. cha. 2. in Notis pag. 78.
(4) Whiſt. Aſtron. Princ. par. 3. coroll. pag. 68.

Wolfius ex ſuiſmet obſervationibus in ſimili eclipſi, concurrentibus aliis argumentis talem in ea atmoſphæram ſtatuit, qualis eſt circa tellurem, vaporibus & exhalationibus perſæpe infectam, quæ deinde (1) *ſub forma roris ac pluviæ denuo in Lunam recidunt*, *& fulgura emittunt*. Pro eadem eſt & illud argumentum, quod in Solis Eclipſibus non totalibus optime reſpondeant obſervationes cum calculo, quoties ſupponantur radii Solares, qui radunt peripheriam corporis Lunaris refringi lineam verſus, quæ e centro Lunæ ad oculum deducatur per inflexionem quatuor ſecundorum, quam jam olim Eulerus (2), cui nuper ſuffragatus eſt Sejourius apud de la Lande (3) tribuit Atmoſphæræ Lunari. Accedit, quod aliquibus aſtronomis citatis a Wolfio (4) contigit videre planetas accedentes ad Lunam mutare figuram ſuam circularem in ovalem, quod tamen non accidit conſtanter, ut aliæ obſervationes teſtantur apud eumdem Wolfium (5). Quoties vero id accidit, toties habetur planus quidam effectus refringentis atmoſphæræ, quam aliunde Whiſtonus (6) dicit terreſtri rariorem, & Eulerus citato nuper loco millies rariorem eſſe determinat. Pro atmoſphæra aliorum planetarum ſunt etiam ſua argumenta, inter quæ pro Jove eſt illud, quod ſupra eamdem ejus diſci partem ad nos obverſam aliquando maculæ quædam obſervantur, quæ alias non apparent, quod non poſſe explicari niſi per alterationem atmoſphæræ Jovis Eſchinardus (7) credidit, ipſique confirmavit Jo. Dominicus Caſſini ab eo interrogatus.

28. Quod tandem pertinet ad partes fluidas planetarum, illæ ex cognita ipſorum atmoſphæra plane inferuntur, & in harum numero collocantur jam paſſim a Philoſophis quædam, quæ in ipſis obſervantur maculæ. De aliquibus in particulari Lunæ maculis credo notum lippis & tonſoribus eas communi jam conſenſu ab Aſtronomis vocari maria, quia aliquid his ſimile eſſe arguunt tum ex tenujori luce, quæ ad nos reflectitur a diver-

(1) Wolf. Elem. Aſtron. §. 486. pagin. 430.
(2) Eul. Comm. Berol. ann. 1748.
(3) Lan. Connoiſſan. des mouv. anno 1767. art. Inflex. des rayon. pa. 250.
(4) Wolf. Elem. Aſtron. §. 475. pagin. 428.
(5) Id. Ibid. §. 478. pag. 429.
(6) Whiſt. Aſtron. princ. par. 3. Coroll. pag. 68.
(7) Eſchi. Cur. Phyſico-Math. De Aſtron. cap. 5. num. 150. pag. 145.

Digitized by Google

diverſis diſci ſui partibus, quod eſt effectus materiæ abſorbentis multos radios ſupra partes illas incidentes, qualis eſt in lacubus & mari: tum ex earumdem partium lævigata ſuperficie, quam præſeferunt in quadraturis: & Hugenio, qui in ſuo *Coſmotheoro* ex eo, quod in iis, quæ vulgo maria Lunæ dicebantur, obſervaret, inæqualitatem lucis, negabat eſſe vera maria, reſpondet Derhamus (1) inæqualitates illas lucis reputari poſſe totidem vel inſulas vel ſcopulos. Quare invaluit jam mos, ut in mappa Lunari, quam varii protulerunt juxta ſuas obſervationes, quædam maculæ inſigniores communiter diſtinguantur a reliquis per nomina marium, quæ Hevelius quidem deſumpſit ab illis, quæ habent ea terræ, ut mare Mediterraneum, Adriaticum, Caſpium: Ricciolius vero, quem plerique jam imitantur alia compoſuit prorſus diverſa, ut mare ſerenitatis nubium procellarum. Similiter maria Caſſinus apud eumdem Derhamum (2) arbitratus eſt eſſe in Jove faſcias illas a nobis per teleſcopium viſibiles, & alias in ipſo partes minus relucentes, ea motus ratione, quod ſi procul a terra Oceanum noſtrum intueremur, hic faſciæ in morem appareret, & alia ejuſdem maria viderentur loca reliquis obſcuriora, & quæ elevantur nubes in ejus atmoſphæra eſſent totidem maculæ figuræ inſtabilis, quales etiam in Jove deprehendit citatus Caſſinus diligentiſſimus hujus planetæ obſervator. Nec diſſimili ratiocinio idem concludi poteſt de Venere, & Marte, in quorum pariter diſco diverſæ partes inæqualis lucis conſpiciuntur. Quibus magnum etiam pondus acceſſit ex Sacris Literis, quæ præter aquas hujus noſtræ terræ nos docent eſſe alias aquas, (3) *quæ ſuper Cælos ſunt*, quas inquit Tirinus (4) eſſe *aquas proprie dictas & fluidas exigit clariſſima Scriptura, quæ ubique fere diſtinguit aquas ſuperiores a nubibus, & inferioribus aquis, & ita ſentiunt Patres & Doctores*. Si igitur procul a terra exſtant aquæ proprie dictæ & fluidæ, cujuſmodi non ſunt ſparſi per terreſtrem atmoſphæram vapores, nihil repugnat illas conijcere eſſe in quibuſvis planetis naturæ ſaltem analogæ cum noſtris aquis, ut dicit Cheyne (5). Ne enim hæ ejuſdem omni-

 no

(1) Der. Aſtro-Theol. a Diſcour. prelimin. pag. 31.
(2) Id. ibid. B. 5. ch. 4. pag. 85.
(3) Pſal. 148. v. 130.
(4) Tiri. ibid. pag. 130.
(5) Chey. Princ. Filoſ. cap. 5. §. 15. pag. 129.

no naturæ admittantur in omnibus ſaltem planetis obſtat, quod aquæ noſtræ in orbe Saturni ex calculo Nevvtoni (1) rigeſcerent, & in orbe Mercurii in vapores ſtatim abirent.

29. Ex hujuſmodi concluſionibus circa materiam, qua conſtant corpora planetarum abunde confutantur illi, qui metallorum nomina, quæ Chymici ad occultandas ſuas operationes impoſuerunt planetis, affirmarunt eſſe nomina, quæ horum naturam declarant. Hinc Solem dicunt eſſe aurum ignitum, Lunam argentum, Mercurium hydrargyrum, Venerem cuprum, Martem ferrum, Jovem ſtannum, & Saturnum plumbum. Neſcio quæ coloris ſimilitudo inter illa metalla, & illos Planetas, illorumque numerus reſpondens numero Planetarum per adjectum mercurium, qui proprie ſemimetallum eſt, confirmavit illorum errorem, qui quando cognoviſſent dari aliud verum metallum, hoc credo loco Mercurii poſuiſſent: Sed ſeptimum metallum circa annum 1741 primo innotuit, illud ſcilicet, quod Hiſpani vocant *Platina del Pinto* quaſi parvum argentum ex Pinto Meridionalis Hiſpaniæ loco erutum: alii Aurum album, quia per colorem quidem diſtinguitur ab auro, vix vero per pondus, & alias plures proprietates: alii Aurum laminoſum, vel abſolute laminam, quia eruitur in lamellis complanatis conformatum, de quo diligens examen inſtituit Wilielmus Levvis inſertum in Tranſactionibus Philoſophicis ad annum 1754 (2), & a Jo. M. de Turre, qui multos alios de hoc metallo ſcriptores recenſet (3), translatum in ſua Phyſices elementa (4).

Reſtat in argumento Cadonici illud de proximitate Lunæ ad Solem, quæ univerſaliter affirmatur major eſſe illa terræ. At hoc enim vero nemo, qui penitus hoſpes non ſit in Phyſica Cæleſti, unquam dicet; Nam novit Lunam in ſua oppoſitione cum Sole ſemper eſſe remotiorem Terra. Quod ſi Adverſarius credidit propiorem abſolute Soli, quam ſit terra, quonam modo deinde credidit debere in Luna eſſe nives frequentes & tales, quæ oculis etiam nudis viderentur? niſi hoc fortaſſe intelligat de ſolis nubibus. Eſt

(1) Nevut. Princ. lib. 3. prop. 8. Coroll. 4. pag. 51.
(2) Levv. num. 86. pag. 630.
(3) Tur. tom. 4. §. 937. pag. 238.
(4) Id. ibid. §. 947. pag. 242.

30. Eſt pro ſimilitudine planetarum cum Terra illud etiam argumentum, quod continuas patiantur diei & noctis viciſſitudines propter notam in illis circa ſuum axim revolutionem, quæ in illis planetis, qui maculas in diſco præſeferunt nobis conſpicuas, quemadmodum accidit in omnibus, præterquam in Saturno & Mercurio, deprehenſa eſt, ut ſequitur,

Jovis	Dies	0.	Hor.	9.	Min.	56.
Martis		1.		0.		40.
Veneris		0.		23.		0.
Lunæ		27.		7.		43.

Qua in re quædam digna ſunt, quæ animadvertantur. Alterum, quod cum ſit in Luna tam lenta circa ſuum axim revolutio, fit quidem ut per dimidium menſis ſit ibi dies, & per reliquum nox, quin tamen unquam accidat nox concubia, qualis in terra, propterea quod Terra lucem emittit per reflexionem in Lunam juxta Whiſtonum (1) quindeclupam illa, quam Luna ad nos reflectit. Alterum, quod dies Jovi aſſignata, ſive ejus ſupra ſuum axim integra vertigo ita compleatur ſpatio decem circiter horarum, ut harum dimidium ſemper ſit dies, & reliquum ſemper nox; Quod ſuadet directio macularum, quæ in Jovis diſco obſervantur, ex qua apparet ejuſdem axim eſſe in quovis Eclipticæ loco ipſi perpendicularem, adeoque ipſius æquatorem directe ſemper illuminari a Sole. Atque hinc ſequitur non contingere intra annum proprium huic planetæ, qui ex duodecim noſtratibus componitur aliam in ipſo æſtatem, nec aliam hyemem, niſi illas quæ proveniunt ab ejuſdem excentricitate, per quam modo eſt aphelius, modo perihelius. Comperta tam inſignis celeritas in vertigine Jovis ſufficit rationem communiter acceptam de figura ſenſibiliter elliptica, quæ in illo apparet ita ut major axis ſit ſecundum ipſius Aequatorem, & juxta Short apud de la Lande (2) ſit ad minorem ut 14 ad 13, quemadmodum de terra compertum eſt illam oblongatam eſſe ad æquatorem, & compreſſam ad polos. Tertium animadverſione dignum

 eſt,

(4) Whiſt. Præl. Aſtr. 8. num. 5. pagin. 55.

(2) Lan. Conn. des mouv. an. 1765. art. Inegal. dans les demidurees. pag. 177.

eſt, quod conſtat, circa Jovem ipſum revolvi quatuor Lunas, quæ maxime opportunæ ſunt, adnotante Cheyne (1), ut corpus Joviale tanto majus noſtra hac tellure, & quod in ſua a Sole diſtantia habet circiter vigeſimam quintam partem caloris, quo nos a Sole fruimur, poſſit retinere fluiditatem in ſuis humoribus, fluminibus, & oceanis ſibi propriis per vehementiores fluxus & refluxus ex Lunarum attractione provenientes, & recipere aliquod lucis & caloris augmentum. Remota enim eſt per celerem illam ſupra ſuum axim rotationem diuturnitas noctis, & ex multis illis Lunis tantæ amplitudinis, quanta eſt noſtra hæc terra ad diverſas ab ipſo Jove latitudines, collocatas, adeſt reflexio copioſior lucis. Similis animadverſio habet locum etiam in Saturno; de quo etſi non conſtet an ſupra ſuum axim convertatur, attamen hoc de illo pariter ex analogia concluditur. Atque ut pro ſua a Sole diſtantia omnium maxima reciperet aliquod lucis & caloris incrementum, creditur inſtructus quinque Lunis, & amplo illo anulo ipſum ad magnam diſtantiam circumambiente.

31. Tandem non eſt omittendum, quod a Planetis, ſicut a terra nunquam Sol plus nimio aut diſtans eſt, aut proximus. Quippe præter vim, qua ſinguli tendunt in Solem, manifeſtant eam ſibi impreſſam celeritatem in directum, quæ opportuna eſt ad deſcribendam circa Solem orbitam mediocriter ellipticam, omnium aptiſſimam ad illorum diuturniorem conſervationem, quia hoc modo, ut diſtinctius animadvertit Derhamus (2), non ſubjacent tantæ illi caloris & frigoris varietati, quantæ obnoxii ſunt Cometæ nunc Soli proximi, nunc vero ab illo remotiſſimi.

Ex tanta planetas inter & tellurem ſimilitudine quid conjici aut inferri poſſit, alii viderint. Equidem habeam præ oculis, quod Sacra Scriptura concludit, poſtquam meminit de quibuſdam præcipuis partibus hujus mundi, & effectibus materialibus, quos obſervare poſſumus, (3) *multa, inquit, abſcondita ſunt majora his, pauca enim vidimus operum ejus*, quæ verba intel-

(1) Che. Princ. Fil. cap. 5. §. 22. pagin. 147.

(2) Der. Aſtro-Theolog. B. 6. ch. 3. pag. 103.

(3) Eccli. 43. v. 6.

Digitized by Google

intelligi apte poſſunt etiam de iis, quæ ſunt in tot corporibus cæleſtibus per Cælorum ſpatia diſpoſitis, quorum aliqua magnitudinem habent procul dubio majorem noſtra hac terra, & de quibus illud ſine controverſia eſt, non fuiſſe ibi collocata ad hunc dumtaxat finem, ut nos aliqua illorum a longe videremus, aliqua vero ſolum poſt inventa teleſcopia aliquantulum detegeremus, etſi nunquam, ut ait Derhamus, (1) *quicquam de illis decerni poſſit, niſi per revelationem, vel per inſtrumenta longe perfectiora illis, quæ uſque ad hæc tempora habemus*. Qui cum Cornelio a Lapide (2) laudata verba interpretantur vel de Angelis, vel de iis, quæ præparata ſunt Beatis in Cælo, illi transferunt ex improviſo ſermonem, quem Scriptura antecedenter habuit de rebus materialibus, & ordinis naturalis, ad immateriales & ſupernaturales. Dum addunt ab illis verbis ſignificari ea etiam, quæ in maris & terræ viſceribus abdita ſunt, & quæ apud exteras gentes nobis incognita latent, neſcio quo fundamento arbitrentur in his locis contineri aliquid præſtantius ſpeciebus plantarum & animalium vulgo etiam cognitis, ita ut verum ſit *majora his abſcondita eſſe*. Dum tandem volunt per ea verba indicari novos in infinitum mundos, quos Deus creare poteſt, vim inferunt contextui, in quo cum ſermo ſemper fuerit de exiſtentibus, importune creditur concludere cum poſſibilibus.

SECTIO II.

Argumentum a numero corporum cæleſtium.

32. PRopoſitio declaratur a numero corporum cæleſtium, & quidem illorum, quæ ſunt majora, omiſſis ſcilicet planetis & illorum Satellitibus. Hic numerus uno verbo dicitur nobis innumerabilis. Nam etſi poſt Hipparchum, qui primus ante Chriſtum numerare cæpit ſtellas, earumque loca determinare, ut antiquæ a novis, quas ipſemet obſervavit ſuo tempore, diſcernerentur facilius & ſecurius in poſterum, multi circiter qua-

(1) Derham. Aſtro-Theol. Diſcour. prelim. circa finem pag. 34.

(2) Lap. in citat. locum pag. 411.

quadringentas determinaverint eſſe illas, quæ oculo nudo diſtinctim ſupra noſtrum hemiſphærium conſpiciuntur, ad quas pertinet Stellarum diviſio in ſex diverſas magnitudines: oculo vero armato ultra 3 000 non proceſſerit Flamſteedius (1), a quo hujuſmodi catalogum ultimo habemus abundantiorem cæteris, qui ante ipſum dederunt, quos nominat Wolfius (2), qui tamen numerus videtur facile augeri poſſe per aliquam methodum ex iis, quæ nitide habentur propoſitæ a Pallo in Commentariis Trevoltianis (3); nihilominus qui illas per Teleſcopia inquirit, non jam myriadas, ſed centenas myriadum myriadas detegit: neque in his illarum multitudinem ſiſtere certi ſumus, cum non dubitemus inſtrumenta, quibus utimur, apta non eſſe ad ſubjicienda oculis, quæ in quavis diſtantia ſint poſita.

33. Pro hujuſmodi ſtellis, quæ Teleſcopio deteguntur facilius reperiendis vel deſignandis maxime utilis accidit illa totius Cæli vetus partitio in aliquot numeratas partes, quas Aſteriſmos ſeu Conſtellationes vocant, quia ſub certis hominum brutorum aliarumque rerum imaginibus magna ex parte confictis arbitrario vel ridiculis de cauſis, comprehenſæ fuerunt plures ſtellæ omnibus viſibiles, de quarum aliquibus fit mentio etiam apud Job (4). Octo olim ſupra quadraginta ex his numerabantur, ſcilicet incipiendo a Polo Arctico, Urſa minor, Urſa major, Draco, Cepheus, Caſſiopea, Andromeda, Perſeus, Auriga, Corona Borealis, Hercules, Lyra, Cygnus, Ophiuchus, Serpens, Sagitta, Aquila, Antinous, Delphinus, Equuleus, Pegaſus, Trigonum Boreale, Aries, quod ſignum eſt primum ex illis, quæ dicuntur Zodiaci, & duodecim ſunt cum eo ordine ſe conſequentia, quo jam illa refero, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Arcitenens, Capricornus, Aquarius, Piſces, Cetus, Orion, Eridanus, Lepus, Canis major, & minor, Argo navis, Hydra, Crater, Corvus, Centaurus, Lupus, Ara, Corona Auſtralis, & Piſcis Auſtralis. His poſt apertam ab annis circiter trecentis expeditam navigationem in aliud terræ hemiſphærium, additæ ſunt hæ duodecim, Pavo, Grus, Toucan, Phœnix, Dorado, Piſcis volans, Hydrus, Chamaeleon, Muſca,
Avis

(1) Flamſt. Hiſtor. Cæleſt.
(2) Wolf. Aſtron. §.244. pag.382.
(3) Mem. de Trev. ann.1737. ar.39.
(4) Job. 9. v. 9.

Avis indica, Triangulum Auſtrale, & Indus. Atque cum inter hos Aſteriſmos multæ aliæ reperirentur, quas informes nominabant, ſcilicet ſub nulla forma, ſeu figura comprehenſas, ideo recentiores aliqui celebres Aſtronomi alios addiderunt, cujuſmodi eſt Quercus, ſeu Robur Carolinum complectens ſtellas inter Argum navem, & Centaurum, additum ab Hevelio, & ſic ab illo appellatum, ut gratificaretur Carolo II. Britanniæ Regi, & ſimili jure Bartſchius, & Hevelius deſignarunt Camelopardum, Monocerotem, Leonem minorem, Lyncem, & Canes venaticos. Ex his maximi olim uſus erant duodecim ſigna Zodiaci, utpote quæ diſtinguunt viam, quam Sol tenet intra annum, & quorum obſervatio primis poſt diluvium temporibus monebat homines de tempore, quo diverſos fructus colligerent, vel his aut illis exercitationibus ſe dederent, ut non ſemel animadvertit & declarat Pluche (1). Eadem deſignari jam ſolent per hos characteres ♈, ♉, ♊, ♋, ♌, ♍, ♎, ♏, ♐, ♑, ♒, ♓.

Ex quibus octo præſeferunt ſtatim imaginem ſigni, unde illis nomen factum eſt. Primus enim repræſentat cornua Arietis: ſecundus caput bovis: tertius prout olim deſignabatur, cornua geminorum hædorum ſibi ex adverſo poſita, quandoquidem ſignum Gemini olim pingebatur per duos hædos: ſeptimus exhibet Libram: octavus Scorpionem vel ſaltem armatam ipſius caudam: nonus Sagittarii inſtrumentum: undecimus decurrentes aquas, ſive Aquarium: & duodecimus Piſces.

34. Per hujuſmodi aſteriſmos, qui omnem ſtellarum multitudinem comprehendunt, facile certiores reddimur de iis, quæ de novo detegantur, ut de illis 36, quas Galilæus monuit in ſuo *Nuncio ſiderco* ope Teleſcopii ſe reperiſſe in Plejadibus præter ſeptem illas oculo nudo viſibiles, quibus Plejades conſtant, vel de 188, quas Rheita (2) teſtatur ibidem ſe numeraſſe: & de illis, quas idem Galilæus in enſe & cingulo Orionis numeravit uſque ad 80: & de 21, quibus nebuloſam capitis ejuſdem Orionis conſtare dixit: & de 12, quas Hugenius (3) ibidem

(1) Pluch. Spect. de la Nat. Tom. 1. Entr. les Plantes. ſub finem.
Id. Ibid. Tom. 4. Entr. le Zodiaque.

(2) Rhei. Oculus Enoch. lib. 4. cap. 1 memb. 7.

(3) Hug. Syſtem. Saturni.

dem deprehendit: & de 2000, quas in toto Orione Rheita numeravit. Viam lacteam multorum opinio eſt ſplendore ſuo a cæteris Cæli partibus diſtingui propter congeriem plurium fixarum, quæ ibi ad varias diſtantias diſtributæ ſunt, atque illos laudant, qui id jam olim apud Manilium ſuſpicati fuerunt (1).

Denſa ſtellarum turba corona
Contexit flammas, & craſſo lumine candet,
Et fulgore nitet collato clarior orbis.

Idem conjiciunt alii de aliis ſtellis, quæ Nebuloſæ communiter appellantur, ut de Præſepi in Cancro, de illa in aculeo Scorpii, & de alia in oculo Sagittarii, poſtquam aliæ, quæ olim habebantur nebuloſæ, deprehenſæ ex dictis ſunt eſſe complexum Stellarum.

35. Hujuſmodi ſtellis, quæ ita fixæ in Cælo ſunt, ut ſemper poſſint conſpici, addantur illæ non paucæ, quæ Fixæ temporariæ appellari poſſunt, quia nihil habent, neque de Planetis neque de Cometis, ſed aliquamdiu videntur, aliquamdiu occultantur, & ut plurimum paulatim evaneſcunt. Celebris eſt multorum ſcriptis maxime Tychonis Brahæi illa, quæ in Cathedra Caſſiopeæ ad novembrim anni 1572 primo apparuit immobilis Stella ſuperans ſub initium in ſplendore & magnitudine Lyram & Sirium, quæ gradatim tandem evanuit menſe Martio anni 1574; & nunquam amplius deinde viſa. Mirabilis etiam eſt illa, quæ in collo Ceti poſt Joannem Phocylidem Holvvaldam in Decembri anni 1638 diligentius coepta eſt obſervari, quæ intra dies 330, modo major ac lucidior, modo minor & obſcurior etiamnum deprehenditur referentibus Bullialdo, Hevelio, Caſſino, aliiſque citatis a Nievventitio (2), & Wolfio (3), qui meminit de aliis, ut ajunt, novis ſtellis: quibus addo Whiſtonum iterum iterumque (4) de his agentem, cujus etiam opinio eſt, has eſſe Stellas fixas ſimilis naturæ cum Sole noſtro, in quarum ſuperficie concreſcant tantæ fæces, ut illarum adſpectum nobis vel partim, vel omnino, vel ad tempus breve, vel ad longiſſimum auferant, quemadmodum in Sole noſtro videmus

(1) Manil. lib. 1. Aſtron.

(2) Nievv. The. Relig. Phil. Contem. 24. ſect. 59. pag. 824.

(3) Wol. Elem. Aſtr. §. 1124. pa. 570.

(4) Whiſ. Præl. Aſtron. 5. pag. 47. Id. Aſtron. Princ. par. 3. Coroll. num. ult. pag. 79.

mus per Teleſcopia coaleſcere aliquas maculas, quæ ipſius partem aliquam modo majorem modo minorem noſtro adſpectui ſubripiunt. Hanc opinionem ſequuntur etiam Malebranchius (1) & Orlandus (2), qui determinate deinde loquens de Stella in collo Ceti (3) putat probabilius eſſe illi contigiſſe ſuperficiem magna ex parte infectam maculis, quæ dum ad nos obvertitur per ſuam circa proprium axim revolutionem, neceſſe eſt ut totam ſtellam reddat nobis inviſibilem. Wolfius ex dictis ſupra, & alii ſuſpicati ſunt, hujusmodi novas ſtellas eſſe Cometas alicujus fixæ, qui in maxima diſtantia ab illa tunc ſint, quando nobis apparent. Alias de iiſdem opiniones, de quibus tot tantique Aſtronomi citati a Derhamo (4), & Wolfio (5) poſt Ricciolium loquuntur, apud hos ipſos invenientur. Interea oculis ipſis ſubjicitur, primo quidem a nobis numerari non poſſe Stellas Cæli, ut Scriptura dixit, (6) *Enumerari non poſſunt ſtellæ Cæli*; & alibi, (7) *Inſpice Cælum, & numera Stellas, ſi potes*, quæ in ſenſu literali ſumi poſſe ac debere jure poſt ſimiles animadverſiones concludit Ricciolius (8): Secundo vero ſolum Deum illarum Creatorem non modo hunc numerum noſſe, ſed quidquid ſingulis proprium eſt penitus intelligere juxta illud, quod ſcriptum eſt; (9) *Qui numerat multitudinem Stellarum, & omnibus eis nomina vocat*. Tertio tandem obrui mentem noſtram conſideratione Potentiæ Dei ex iis ſolis operibus, quæ confuſe intelligere poſſumus.

SECTIO III.

Argumentum a diſpoſitione corporum Cæleſtium.

36. PRopoſitio declaratur III. a diſpoſitione hujuſmodi corporum. Illa in iis, quæ ſubjacent noſtris obſervationibus, cujuſmodi ſunt Planetæ talis eſt, ut omnium opportuniſſima ſit. Planetæ enim qui majori mole ſunt, ad majorem a Sole,

E circa

(1) Malebr. de Inquiſ. Verit. lib. 6. pa. 2. cap.4. §. Stellas fixas pa. 435.
(2) Orl. in Not. ad tract. de reb.Cæl. ad §. 24. pag.20.
(3) Id. Ibid. Not. ad §.205. pag.85.
(4) Derh. Aſtro-Theol. B. 2. cha. 3. pag. 18.
(5) Wolf. Elem. Aſtron. §. 144.
(6) Jerem. 33.
(7) Geneſ. 15. v.5.
(8) Ricc. Almag. lib. 6. cap.6. nn.5. pag 413.
(9) Gen. cap.15. v.5.

circa quem revolvuntur diſtantiam poſiti inveniuntur, ut ad orbitam ſuam peragendam latior etiam campus concederetur. Rurſus ſinguli tendunt in Solem ea vi, quæ eſt inverſe, ut quadratum ipſorummet diſtantiæ a Sole, quæ utpote conjuncta cum directione iiſdem eodem tempore impreſſa in directum facit, ut ipſi deſcribant lineam circa ipſum Solem, quæ in ſe ipſam redit, & tempus quod inſumunt in hac linea integre deſcribenda, invenitur conſtanter eſſe ut radix quadrata cubi diſtantiæ illius a Sole, in qua ſinguli ſunt. Præterea linea hæc, quam deſcribunt, ellipſis quædam eſt, in cujus alterutro foco Sol verſatur: Quod in cauſa eſt, ut illorum diametri intra unam ipſorum periodum ſemel appareant minimæ, cum longius diſtant a Sole, & ſemel maximæ, cum omnium minime diſtant. Elliptica autem orbita illis data eſt, quia ut ait Derhamus (1), congruentior hæc eſt vel ad illam agendi potentiam etſi inſtrumentalem & paſſivam, quæ data eſt materiæ, vel ad illas, quas ſtatuit Deus leges, juxta quas ſingulæ partes materiæ in ſingulas agerent; In hypotheſi enim, quod orbita illis deſcribenda conſtituta fuiſſet circularis, periculum erat, ne brevi per ſpiralem vel a Sole abirent in infinitum, vel in Solem ipſum inciderent. Eademque ratio ab eodem Derhamo affertur de electa ea gravitatis lege in materia, quæ eſſet in ratione reciproca quadrati diſtantiæ ipſius a centro, in quod dirigeretur, cum poſſet eligi aliqua alia ratio, quæ excogitari poteſt, ut ratio inverſa cubi, vel alterius cujuſvis potentiæ. Atque hæ leges non ſolum obſervantur in planetis primariis circa Solem ſe moventibus, ſed etiam in ſecundariis, cujuſmodi ſunt unus Terræ, quatuor Jovis, & quinque Saturni ſatellites. Ordinatiſſima hæc diſpoſitio corporum cæleſtium, quæ noſtris oculis ſubjecta ſunt, arguit ordinatiſſimam pariter eſſe illam, quæ eſt in aliis omnibus, quorum tenuis ſolum apparentia nobis conceſſa eſt, cujuſmodi ſunt Stellæ fixæ. Quod enim nobis nullo ordine per Cæli ſpatia diſperſæ videantur, non alia naſcitur de cauſſa, quam ex eo, quod extra locum conſtituti ſimus, ex quo aptitudinem diſpoſitionis illorum poſſimus contemplari. Non aliter ac quæ oculis præclaram ſui ſpeciem præbent militum acies, ſi ex opportuno loco inſpiciantur,

(1) Derh. Aſtro-Theol. B. 3. ch. 3. pag. 35.

Digitized by Google

tur, eædem nihil niſi confuſam multitudinem hominum apparent iis, qui ex minùs commodo loco eas proſpiciant.

SECTIO IV.

Argumentum a numero Brutorum.

37. PRopoſitio declaratur IV. a numero animalium Brutorum, quæ in hac noſtra tellure obſervantur. Horum ſingula etiam omnium minima, & a nobis nihili habita Philoſophi omnes cum S. Auguſtino (1) fatentur eſſe quid eſſentialiter perfectius Sole & Stellis; Hæc enim corpora ſunt inertia, at unumquodque illorum habet in ſe principium activum. Horum autem multitudo & varietas tanta eſt, ut ad illorum minus incompletam cognitionem acquirendam, & facilius retinendam diſtribui ſoleat ab Authoribus in certas quaſi legiones & cohortes, ſicuti nuper fecit Joannes M. de Turre in Tomo ſeptimo ſuorum Elementorum Phyſicæ anno 1768 Neapoli edito cum opportunis multorum Iconiſmis. Illa incipit a tali brutorum genere, quod proxime accedit ad plantas, & infimum genus eſt, & in illud deſinit, quod propius ad hominem accedit gradatione tam tenui, ut ſpecierum proximarum diſcrimen fugiat attentionem noſtram. Ita animantia quædam rupibus ſemper adhæreſcunt, a quibus diviſa ſtatim moriuntur: alia ſunt quæ ſenſum dumtaxat tactus & guſtus præſeferunt: alia etiam auditum: alia olfactum: alia etiam viſum. Senſus autem hi incredibilem habent in illis graduum diverſitatem; ut nihil dicam de varietate ſenſuum internorum, qui ſub nomine inſtinctus veniunt.

38. Porro tria elementa, aqua, aer, & terra, ſunt triplex quodammodo ærarium, in quorum unoquoque Mundi creator Deus conſtituit tria animantium diverſa genera, ſub quibus tot ſpecies continentur, ut illarum numerum nemo mortalium adhuc fuerit aſſequutus. Piſces dicuntur aquarum incolæ. Sacra Scriptura illos vocat (2) *reptilia*, & de illis pronunciat, (3) *Illic* (in mari) *reptilia, quorum non eſt numerus.* Quot enim ſunt di-

E 2 ver-

(1) S. Aug. de Civit. lib. 11. cap. 16.
(2) Geneſ. cap. 1. v. 20.
(3) Pſalm. 103. v. 25.

verſiſſima genera in iis, quæ vivunt in aqua aut dulci aut ſalſa dumtaxat, præter illa, quæ in utraque bene ſe habent. Cete nomen eſt proprium cuidam generi piſcium mole inſignium, ad quod pertinent primo Balænæ, ex quibus parvæ reputantur, quæ longitudinem habeant pedum 60, aut 70, cum ſint aliquæ ſupra pedes 100 uſque ad 200. Hæ modo, qui deſcribitur a Pluche (1), capiuntur in Oceano magis Boreali, quoniam ab illarum carne extrahitur copioſum oleum, utile medicis, pictoribus, pellionibus, lanariis, & iis qui ſaponem conficiunt, & picem illinunt navibus. Sub eodem genere ſunt Orcæ, quæ differunt a Balænis, quia Orcæ habent dentes, quibus illæ carent, & eorum loco donantur quibuſdam quaſi raſtris longis plures pedes, quæ veneunt ſub nomine oſſium Balenæ. Quare non eſt legitima imago illa, quam de Balænis dat Plinius, quod ſit (2) *caro immenſa dentibus truculenta*. Sunt & Monocerotes, ſive Unicornes ſic dicti propter eburneum cornu, quod a capite protenditur per pedes 14, & etiam amplius, eleganter conformatum in cochleam figuræ conicæ, ipſorumque dentes ex ebore pariter ſunt longe candidiori, quam illi elephantorum, & pluris proinde æſtimati. Huc ſpectant etiam Phyſeteres, Piſtres, & Canis Carcharias dictus, qui fauces habet armatas triangularibus dentibus in quinque aut ſex ordines diſpoſitis, & tantæ capacitatis, ut admittant integrum etiam hominem. Dentes hujus piſcis habentur jam lapides illi, qui in inſula Melita effodiuntur, crediti olim fulmina intra humum extincta, aut linguæ ſerpentium, unde Gloſſopetræ audiunt, quæ factæ ſint petroſæ, dum illuc appulſum S. Paulum unus ex illis lædere tentavit.

39. Qui aliquas ideas piſcium mediocris magnitudinis quærat, illorum ſaltem, quibus veſcimur, author eſſem ut conſuleret primo patricios, tum cives, & tandem plebem. Patricii enim ad ſuas menſas ſolos admittunt Accipenſeres, Rhombos, Dentices, Gladios, Umbras, Xyphias, Auratas, Mullones, Lingulacas, Muræenas, Loligunculas, Oſtreas, Majas, Lupos, & alios, qui pluris emuntur. Cives autem: cum contenti eſſe debeant illis, qui minoris venduntur, nominabunt Capitones, ſeu

(1) Pluch. Spett. de la Nat. Ent. 4. tom. 2. Les Poiſſons. pag. 327.

(2) Plin. lib. 9. ca. 6.

ſeu Mugiles, Paſſeres, Congros, Scaros, Cântharos, Mænas, Pelamydes. Plebs autem illos, qui teruntii æſtimantur, Sæpias, Rayas, Polypos, Paſtinacas, Tincas, Lucios, Cyprinos, Barbos, & parvos Leuciſcos. Inter piſces edules ſunt etiam anguillæ, trutæ, ſalmones, clupeæ, thymalli, gotii, muſtellæ. Sed his auditis noverit de aliquibus dumtaxat piſcibus mentionem factam eſſe, qui in remotioribus ab Italia regionibus fortaſſe minus noti ſunt, & alios eſſe alibi, qui ſibi penitus ignoti ſunt. Quare ut melius inſtruatur opus erit; recurrat ad Auctores, qui de Ichthologia ſcripſerunt, Ariſtotelem, Plinium, Ælianum, & Oppianum inter antiquos, & inter recentiores Rondeletium, Geſnerum, Aldrovandum, Ruiſchium, Scheuzerum, alioſque multos, qui tamen faſſi ſunt identidem contingere, ut deprehendantur aliqui piſces, qui novam quamdam ſpeciem videntur conſtituere.

40. His relictis argumentum inſigne admirabilis aquatilium multitudinis exhibent conchilia, quæ teſtacea audiunt a teſta duriſſima ſimul & leviſſima, qua operiuntur, quemadmodum cruſtacea alia dicuntur a dura cruſta, quam circumferunt, ut eſt in cammaris, cancris, aſtacis, ſquillis. Quam multa illa ſint, docent ampliſſima muſæa, quæ ex hujuſmodi teſtis inſtruuntur, quorum aliæ univalvæ, aliæ bivalvæ, aliæ multivalvæ ſunt, & quamplurimi Auctores, qui de his ſcripſerunt. In quibus laudantur præcipue Philippus Bonanni, qui agit de Conchis Marinis, in ſuo libro *Recreatio mentis & oculi* Italice edito Romæ anno 1681, & Latine 1684. Et Martinus Liſter, qui hiſtoriam Conchyliorum bivalvium edidit Londini an. 1685. Et Georgius Everhardus Rumphius, a quo habemus theatrum Cochlearum, Concharum, & Conchyliorum Lugduni Batavorum anno 1711. Et Theodorus Klein, qui protulit Tentamen methodi Oſtracologicæ, ſeu diſpoſitio naturalis cochlidum & concharum Lugduni Batavorum anno 1753. Et Argenville, qui edidit Conchyologiam Pariſiis anno 1757. In conchis ſunt muſculi, & pinnæ his ſimiles, ſed mole majores, qui quando volunt in aliquo loco conſiſtere, ex ſe emittunt contra ventos & tempeſtates quaſi anchoras quaſdam, multa fila loco immobili conglutinata, ex quibus auctore Pluche (1) in Sicilia nobiles telæ

(1) Pluche Spett. de la Nat. tom. 1. Ent. 5. §. Je ne doute pag. 158.

telæ contexuntur. Sunt conchæ, quæ margaritas producunt, quibus in ſeries uniformes diſpoſitis ornatæ mulieres magnifice ſe circumſpiciunt. De harum productione memini me legiſſe exiſtimatum eſſe, illas eſſe totidem guttas roris in ipſas delapſi, dum apertis valvis liberum aerem reſpirarent, qui deinde iiſdem clauſis induruerit: ſed melius idem Pluche (1) opinatur illas naſci ex eo humore, qui cum deberet expandi, & concreſcere in teſtam, propter malam habitudinem animalis intra ipſum coadunatur & condenſatur, non ſecus ac calculi in aliis animalibus generantur. Obſervat enim has non reperiri in omnibus hujuſmodi conchis, quia non omnes illarum incolæ ſunt infirmæ, & ejuſdem coloris eſſe cum illo, qui reſpondet ſupra teſtam in loco, cui illæ adhærent, ita ut rubra inventa ſit concretio loco unionis in eo loco, quo rubra erat faſcia. Sed præter dotes ſingulis ſpeciebus proprias, fere communis omnibus eſt eximia cum ſumma varietate pulchritudo. Idem Pluche, qui de aliquibus conchiliis magis ſingularibus figuram exhibet & declarat, advertit illorum (2) *Dictionarium nondum eſſe completum*. Ex Plinio hanc hujus nomenclationis particulam referam. Sunt (3) *plana concava longa lunata, in orbem circumacta, dimidio orbe caeſa, in dorſum elata: levia rugata denticulata ſtriata: vertice muricatim intorto, margine in mucronem emiſſo, foris effuſo, intus replicato: jam diſtinctione virgulata, crinita, criſpa: canaliculatim pectinatim diviſa, imbricatim undata, cancellatim reticulata: in obliquum, in rectum expanſa: denſata porrecta ſinuata: brevi nodo ligata, ſolo latere connexa, ad plauſum aperta, ad buccinam recurva*. Nihil dicam de illorum nitore coloribus & ornamentis. De his legi poteſt Daniel Bartolus (4), qui ea qua pollebat eloquentia & peritia linguæ Etruſcæ contexit eorum concinnam enumerationem, quam tamen poſtquam in longum pertraxit, dolet ſe deficere a vocabulis, quibus alia a ſe viſa & obſervata exprimat, concluditque nullum Regem ædes ſibi fabricaſſe, quæ pares ſint illis, quas Deus conſtruxit pro hoc animalculorum genere, quæ diligentior Anatomia coacta eſt contemnere tamquam informia.

Con-

(1) Id. Ibid. §. Puiſque nouſ. pa 596.
(2) Id. Ibid. To. 5. Le Mer. pag. 581.
(3) Plin. lib. 9. cap. 33.
(4) Bart. Ricreaz. del Savio lib. 1. cap. 11.

41. Conchiliis ſunt qui adjungunt corpora illa lapidoſa, quæ e ſolo effodiuntur, & Belemnites appellantur propter ſimilitudinem, quam habent cum ſagittis, de quibus multi extant Auctores, quorum alii volunt eos pertinere ad genus animalium, alii ad genus plantarum, alii ad illud foſſilium. Sed inter animalia & quidem maris a pleriſque numerantur, quorum tamen aliqui negant eſſe conchilia, alii vero affirmant & acriter tuentur. Utriuſque partis argumenta brevi refert Jo. M. de Turre (1) pluris æſtimans illa, quæ negant Belemnites eſſe conchylia: pro qua tamen opinione est nuper Guſtavus Brander in Tranſactionibus Philoſophicis anni 1754 (2), contendens illos eſſe talem ſpeciem teſtaceorum, quæ in ignotis nobis maris alicujus vel locis vel profunditatibus naturaliter vivunt, & cujus aliqua individua in generali terræ ſubverſione ab aquis diluvii huc illuc diſſipata, & in aridis locis relicta induruerunt.

42. Particulare etiam teſtaceorum genus continent & componunt Corallia, Madreporæ, Urticæ Marinæ, Spongiæ, aliaque ſimilia, quæ nequicquam, ut mox planum faciam, Pluche & Jacobus Parſon propugnant eſſe plantas aquaticas, quemadmodum credita jam olim fuerunt ab antiquis, ut Ovidio (3) & Plinio (4). Gratis vero Vitalianus Donati in Philoſophicis Tranſactionibus eadem vult (5) pertinere ad quoddam creaturarum genus medium inter vegetabilia & animalia. Equidem ſentiam cum Peyſſonellio, qui ea ſtatuit eſſe teſtacea, quæ ita multiplicantur, & invicem adhærent, ut ſimilitudinem vegetabilium induant, non ſecus ac favi non ſunt vegetabilia, ſed apum opera, quæ in ipſis commorantur. In hanc enim ille ſententiam devenit ex ſuis obſervationibus annorum pluſquam triginta, eamque luculenter expoſuit in tractatu manuſcripto, quem de hac re dono miſit ad Regiam Societatem Londinenſem, etſi Gallus ille eſſet, & cujus compendium aliquod habetur in ejus Tranſactionibus (6) anni 1752. Eamdem propugnavit Bernardus Juſſieu in Commentariis Academiæ Scientiarum ad an- [illegible] num

(1) Tur. Elem. Phyſ. tom. 4. §. 1006. pag. 255.
(2) Bran. num. 97. pa. 803.
(3) Ovid. Metamorph. lib. 4. v. 744. pag. 104.
(4) Plin. lib. 32. cap. 2.
(5) Don. Tranſ. ann. 1752. num. 14. pag. 104
(6) Tranſ. an. 1752. nu. 75. pag. 445.

num. 1741, & tamquam certo veram ſupponit Buffonius (1) in ſua *Hiſtoria Naturali* Gallice edita anno 1749.

43. I. Objicit Pluche (2). Saltem corallia Comes Marſilii extra controverſiam poſuit pertinere ad genus plantarum ex floribus, quos in illis deprehendit aperto in aere contrahi, in aquis vero explicari.

Reſp. illos, quos Marſilius credidit flores nihil aliud eſſe, quam minima animalia, quæ in ſuis tubulis incluſa, cum intra aquam ſunt, foras aliquantulum erumpunt, quemadmodum alii attentius rem intuentes ſtatuerunt. Confirmatur reſponſio; quia cum certum ſit corallia in eam partem, quæ reſpicit fundum maris, ſuos ramos tendere, jam ſi plantæ eſſent, toto Cælo diſtarent a cæteris indubiis plantis, quæ ad ſuperficiem aquæ aſſurgunt, & non contra. Rurſus dicendum eſſet ſuppoſitos illos flores, vel incluſum in illis ſemen non jam decidere in ipſum fundum, ſed ſurſum aſcendere, ut iterum aliqua ſaltem horum pars impingens ſcopulis vegetaret, reliquis interea ad ſuperficiem aquæ aſſurgentibus. At quis unquam hæc obſervare potuit in illis locis quæ corallis abundant.

44. II. Objicit Parſon (3). Non ſunt eæ productiones excludendæ a genere Vegetabilium, quæ habeant ſpeciem, & characteres plantarum: & contra quas nihil profertur, quod evidenter demonſtret non poſſe eſſe vegetabilia: & quæ nullam rurſus habent proportionem cum robore & ſtabilitate illorum animalium, quorum dicuntur artificia: Atqui ita eſt de controverſis productionibus: ergo.

Reſp. conc. maj. & nego min. Species plantæ non habetur niſi in corallis, eaque non invenitur niſi in figura externa, quæ ramos repræſentat; Nam diſſecta quovis modo, & per microſcopium obſervata nullam organizationem præſeferunt, ſed merum inſectorum opus apparent, ut intelliget quiſque, qui illorum deſcriptionem & delineationem conſideret, quam varii protulerunt, inter quos eſt citato loco Pluche, & Joannes Ellis in Tranſactionibus (4) cum aliis, quos nominat. Quod vero duri-

(1) Buff. Hiſtoir. Natur. tom. 1. ch. 1. pag. 17.

(2) Plu. Spett. de la Nat. Tom. 5. Entr. 6. Le Mer. pag. 551.

(3) Parſ. Tranſ. an. 1752. n. 86. pa. 505.

(4) Ell. Tranſ. Philoſ. an. 1754. numer. 64. pa. 504. Id. Ibid. num. 84. pag. 627.

durities & ſtabilitas coralli & ſimilium longe diſcrepet a gracilitate inſectorum, hoc non favere adverſariis oſtendit tum exemplum cancrorum, qui quotannis teneri fiunt penitus abjecto duro indumento, quod paulatim renovant, non aliter quam ex dureſcente per diverſa ſtrata expiratione: tum illud mollium animalium, quæ in conchyliis vivunt, hoc eſt ſub amplo & petroſo cortice, qui circa ipſa concreſcit, & quidem in multis ſine controverſia ex molli illorum ſubſtantia, non ſecus ac videmus teſtas cochlearum reſtaurari, ſiqua ex parte frangantur, ex ſudore illo ſeu humore, qui ab illis expirat, & paulatim dureſcit.

45. Sed ut unde digreſſus ſum redeam, quanta rurſus eſt in omnibus aquarum incolis animalibus fœcunditas. Evidens eſt nullum eſſe anni tempus, quo maria & flumina ſuos piſcatores non ſentiant. Videmus quotannis certo tempore ingentem fieri piſcationem in Mediterraneo thynnorum, alecularum, & apuarum. Novimus in mari Britannico ſimilem harengorum multitudinem e Cimbrico Oceano turmatim æſtivo tempore venientem colligi. Appellunt ſæpe in Europæ portus naves ex remotiori Mundo plenæ ſalſamentis præcipue ex Aſellis marinis, quæ etſi vili pretio ſtent pro ſingulis libris, nihilominus ſua inſigni copia eorumdem dominos locupletant. Brevius fortaſſe æſtimari poteſt immenſa piſcium fœcunditas ex numero ovorum, quæ reperiuntur in illis, qui ſunt ovipari; Dantur enim aliquæ illorum ſpecies viviparæ, ut Cete, Delphini, & aliæ, quæ tamen in aliarum comparationem & paucæ ſunt, & minus multiplicantur, forte quia ad uſum & cibum vel noſtrum vel aliorum animalium non ſunt accomodatæ. In oviparis autem fuit, qui in una tinca 10 000 ovorum numeravit, 20 000 in uno cyprino, decies & etiam nonagies centena millia in uno aſello juxta Regnaultium (1), & Pluchem (2). Facilius numerantur ova teſtudinum, quia hæc molis ſunt tractabilis, & ad edendum ſuavia, & ab iis deponuntur in exiguis foveis, quas in arido maris litore ad hunc finem ipſæmet effodiunt, ubi calore Solis ſpatio dierum circiter viginti quinque excluduntur. Quævis autem teſtu-

F do

(1) Regn. Entr. Phyſ. tom. 4. Ent. 1. pa. 22.

(2) Pluch. *Spect. de la Nat.* tom. 2. Les Poiſſons. pag. 285.

res, proprietates, cantus, indolem non ita admiratur, ut poſtquam multa multi dixerunt, fateantur multa adhuc ſupereſſe dicenda. S. Baſilius aliquid de illis dicere aggreſſus profitetur, eſſe (1) *unum idem commune volucrum nomen, infinitas autem differentias, & inenarrabilem varietatem.* Poſſunt hæc diſtribui in quatuor claſſes. Prima eſt de majoribus, in qua Struthio celebris propter texturam, amplitudinem, & pulchritudinem plumarum, quarum uſus maxime eſt in tragicis perſonis, obtinet primum locum, niſi illi hunc primatum forte contendat Cuntur Peruana, de qua alibi (2) memini. Ad eamdem pertinent Aquilæ celebres propter ſublimem volatum: Anſeres, Anates, Querquedulæ, Tetraones propter ſuam pro libito in aquis & in aere commorationem: Pavones propter pulcherrimam totius corporis formam exceptis pedibus, & elegantes pennarum colores admirabili varietate diſpoſitos: Galli Gallinacei propter quemdam faſtum & arrogantiam: Falcones, Accipitres, Niſi, Hieraces, Milvi, Vultures propter ſagacitatem, qua ſibi victum ex aliorum animalium carne comparant: Alcedines, Ardeæ, Mergi, Corvi marini propter ſimilem induſtriam venandi piſces, quibus veſcantur: Grues propter prudentiam, qua in caſtris quodammodo manentes ſe dirigunt, & ordinem quo tranſmigrant: Ciconiæ propter pietatem in ſuos parentes jam ſenes: Pſittaci propter imitationem vocis humanæ: Gallinæ propter abdicatam quodammodo libertatem procul a domibus vagandi, & alia.

48. Secunda eſt de mediocribus, in qua ſunt columbæ manſuetæ & fœcundæ: turtures triſtes & gementes: Perdices, Phaſiani, Attagenæ, & aves dictæ externæ, menſarum deliciæ: Graculi & Picæ loquaces: Bubones, Noctuæ, Ululæ per umbras ſolum volitantes, & alia.

Tertia eſt de minoribus, in qua aliæ laudantur præcipue, quia jucundæ palato, ut Turdi, Coturnices, Miliariæ, Motacillæ, Alaudæ: aliæ quia pulchræ viſu, ut Carduelеs & Fringillæ: aliæ quia gratæ auribus, ut Acanthis, Linaria, Atricapilla, & præ ceteris Luſcinia. Hæc ſub veſperam quamdam quaſi muſicam Academiam in ſilvis aperit, in qua audias ſuaviſſimam vocem

 omnis

(1) Baſil. Hom. 8. in Hexam. (2) Diſſ. de Mulo. num. 77.

omnis generis modulationes unico hiatu diutiſſime variantem. Jam ludit & lætatur: jam gemit & lamentatur: jam ad notas altiſſimas aſcendit, jam in profundiſſimas dilabitur. Dum crederes ad extremum cantiunculæ properare per criſpam vocem, audis per aptiſſimam connexionem proponi aliam novis & velocioribus modis exequendam. Mitto alias multas ex minoribus avibus, quæ ſi minus participant de prædictis dotibus, alias tamen habent proprietates, quibus celebrentur. Tales ſunt Hirundines, quæ condicta die hyeme appropinquante omnes ab uno loco in alium commigrant, vel illæ ſaltem, quæ in Boreali terræ parte vivunt, abſconduntur in cæcis antris vel in ipſo aquarum profundo, inter ſe glomeratæ, ut referunt plures Auctores fide digni, quos citat Pluche (1).

49. Quartam dicam de minimis, in qua collocabo Trochilum, quem alii Regem avium per Ironiam credo appellant, fuſci coloris, incomptis plumis, ſed grati cantus: & Trochilum non criſtatum, elegans & concinnum animal: & duas illas ſpecies nobis ignotas, de quibus idem Pluche meminit (2): altera Colibrius dicitur, altera avis muſca. Colibrius deſcribitur nobis tamquam miraculum naturæ propter colorum venuſtatem, qua omnes aves ſuperat & propter parvitatem, qua ſoli avi muſcæ cedit. Collum habet rubrum, ventrem flavum, alas virides, pedes & roſtrum nigra, oculos quaſi ex chalybe perpolito, caput viride ſparſum aureis punctis, & ſupra caput criſtulam diſtinctam omnibus coloribus, qui ſunt in toto corpore. In multis qui citantur agentes de Avibus, celebratur maxime Willughbius, qui illorum delineationes nativis coloribus diſtinctas edidit. Recentius anno 1760 Briſſonius eorum volatilium ſibi cognitorum, quæ aves dicuntur, Ornithologiam edidit laudatam a Trevoltianis (3), quam habita ratione ſolum ad roſtrum, alas, crura, pedes, & pennas diſtribuit in ordines 26, ſub quibus collocat 115 genera, & ſub his 1500 ſpecies.

50. Terra obvia magis eſt ſingulis hominibus. Illa exhibet ubique innumeras animalium ſpecies ſibi proprias, quas in tres claſ-

(1) Pluche Spett. de la Nat. Les Oiſeaux. tom. 2. Entr. 2. pa. 147.

(2) Idem Ibid. pag. 97.

(3) Memoi. de Trev. ann. 1760. artic. 58. pag. 1299.

claſſes, quaſi in totidem mundos dividit Sacra Scriptura (1), Jumenta ſcilicet, Beſtias Terræ, & Reptilia. Jumenta juxta Interpretes ſunt animalia grandiora, quæ hominem præcipue juvant. In his equus, animal quadrupedum pulcherrimum, qui donec vivit uſus præſtat ac commoda omnis generis omni hominum ordini, quibus implendis abunde proviſum eſt per multiplicem quaſi illorum ſpeciem. Dantur enim equi collo craſſiores, amplis humeris, ventrioſi, & mediocri ſtatura. His quorum major copia eſt, trahuntur vel aſportantur pondera, volvuntur machinæ, & alicubi etiam ſolum ſcinditur ad ſemen recipiendum. Dantur contra equi erecti capite, ardentes oculis, leves collo, agiles inceſſu, graciles corpore, tenues cruribus. Hi quibus quædam Hiſpaniarum regna, & variæ Aſiæ & Africæ regiones abundant, nati ſunt ad militiam, ad venationem, ad triumphos, ad pompas; Prompti enim exequuntur equitis nutus, & vel in hoſtem irruunt, vel feram aſſequuntur, vel ſibi & ſeſſori plauſum artificioſe pedes movendo conciliant. Dantur tandem equi proceri corpore, colore inſignes, crinibus ſpectabiles, inceſſu magnifici, qui e Dania, Hollandia, & aliis Borealibus regionibus per Europam ſparguntur in ædibus Principum, quorum dignitati egregie inſerviunt, quoties urbes perluſtrant.

51. Quid dicam de Bobus, qui præcipuum ſunt Agriculturæ inſtrumentum, in qua poſtquam ab anno tertio, vel quarto ætatis uſque ad decimum patienter laborarunt, tamquam rude donatos ſinimus libere ſpatiari per abundantiora paſcua, donec pingues effectos e vita dimittimus, decorum quaſi ſepulcrum in noſtris ipſis viſceribus tribuentes, & ne illorum quidem pellem negligimus, quam in varios uſus convertimus. Mitto boves lactarias, quæ conceſſas ſibi per diem ad paſtum camporum herbas nobis inutiles reddunt veſperi commutatas in ſuccum lactis abundantem, quo pauperum menſa ſi panis accedat, lauta jam eſt: illa vero divitum diverſis deliciis, quarum lac eſt primum fundamentum cumulatur: arca tandem domini novis quotidie opibus diteſcit propter abundantem butiri & caſei mercem, quæ intra annum ex illis extrahitur, & ſine dubio tanti divenditur, ut ex

(1) Geneſ. cap. 1. 24.

ut ex hac ſolum parte ſubductis rationibus modo, qui peccat ex defectu, non vero ex exceſſu, concludat Pluche (1) referri quotannis ab una ex his bovibus fructum decem ſcutatorum.

52. His ſuccedunt oves, capræ, ſues. Ex ovibus fructum unius ſcutati percipi ſingulis annis communiter dicitur, maxime propter lanam, quam exacta jam hyeme nullo illarum incommodo tondemus. Ex capellis, quas S. Ambroſius jucundiſſime contemplatur (2) dumoſa de rupe pendentes, ubi dum pro aliis animalibus certa ſunt præcipitia, pro illis abundat ſine ullo periculo alimentum ſalubre electum & ſuave, præter ingentem lactis copiam habemus hædos, quibus libenter veſcimur, earumque pilus etſi aſperior, utilis tamen eſt ad conficiendos pannos, qui non ultimo ſunt in pretio. Sues, quibus cibi appetentiam excitant glandes, ſerum, furfur, corrupti fructus, ſcatentia vermibus grana, & omnia rejectanea, atque quiſquiliæ brevi creſcunt in magnam laridi & carnis maſſam, quæ etiam ſola ſuaviſſimam menſam inſtruit pauperibus & nautis: illis vero divitum condimentum aliquod affert & ornamentum.

53. Aſini etiam ad hoc primum brutorum genus pertinent, quorum ſola appellatio etſi propter quædam præjudicia videatur minus conveniens, ubi de rebus agitur dignitate & gravitate plenis, cum his tamen revera ita conſentit illorum etiam conſideratio, ut qui hanc negligat, illis aſcribi mereatur. Tanto enim jure aſinorum mentio hoc loco facienda nobis eſt, quanto opus eſt in ſermone de partibus ad Rempublicam conſtituendam & conſervandam neceſſariis loqui etiam de Ruſticis, & Artificibus vilioribus. Quæ quidem comparatio ſatis opportuna eſt; Sicuti enim gens illa ſordida inculta & contemptibilis eſt in conſpectu patriciorum & civium, ita aſellos ridemus comparatos cum equis: At ſicuti nihil ruſticis, calcariis, cæmentariis, ferrariis utilius, quin immo magis neceſſarium ad Rempublicam, quæ ſine illis jam deficit a victu veſtitu domibus, & nulla ſtatim evadit; ita ſublatis aſinis, qui natura ſunt ſimplici & manſueta: habitu corporis obdurato ad calorem, frigus & quamvis aeris intemperiem facile tolerandam: inceſſu non ita qui-

(1) Pluc. Spettac. de la Nat. tom. 5. Entr. 1. Les Paturages. pag. 53.

(2) S. Ambroſ. in Pſalm. 118. Octon. 16.

quidem celeri, ſed æquabili & diuturno: indigentia cibi minus quam mediocri, & cui minimo ſumptu ſatisfaciàs: his inquam ſublatis multum creſcerent diſpendia, & difficultates transferendi ex uno in alium locum, ut ex monte in agrum, & ex agro in urbem fructus, herbas, ſaxa, ligna, & omnia illa, quibus indiget Reſpublica ad dignitatem ſuam conſervandam & augendam.

54. Quid dicam de Elephantis mole corporea omnia alia terreſtria bruta ſuperantibus? ſed indole tam docili, ut puero etiam pareant, viribus tam robuſti, ut turres etiam plenas militibus ſuſtineant, corde tam impavidi, ut nullo armorum fragore terreantur: quibus cum breve caput datum ſit, quod humum non poſſit contingere ad paſcendum, & longi rurſus dentes, qui id impedirent, abunde tamen eorum commodæ refectioni conſultum eſt addito illorum naſo, ut loquar cum Lactantio (1) *molli ac flexibili membro, quo prendere, quo tenere quidlibet poſſent*, & ori ingerere. Quid jam dicam de Camelis natis ad magna pondera aſportanda, quæ non ſolum ſibi patiuntur imponi, ſed ad hoc quodammodo invitant humiliores ſe reddendo flexis genibus, dum ea recipiunt: quod faciunt etiam quoties illa ipſis detrahuntur.

55. Quid dicam de canibus? qui quamvis non ſint humano generi tam utiles beſtiæ, quam eæ, de quibus uſque adhuc memini, nihilominus dati nobis ſunt partim ad uſus magni momenti, partim ad ſolatium & oblectamentum ſingulare. Plures illorum ſunt ſpecies, quibus omnibus ita propria eſt eximia fidelitas, ut hujus ſymbolum communiter ſtatuantur. Qui longo & cirrato pilo ſunt, ſolertia excellunt docilitate & alacritate. Qui corpore robuſto donantur ut Moloſſi, omnium aptiſſimi ſunt ad cuſtodiam domus, gregis, & cujuſvis rei ſibi a domino commiſſam contra quoſcunque aggreſſores ſive homines ſive feras, quos, ſiquid illi audeant ſubripere, ſtatim audacia & furore vehementiſſimo invadent, proſtrabunt, lacerabunt. Qui odoratu magis valent, hi illorum animalium venationi aptantur, quæ latibula facilè invenient oculis omnium impervia, non tamen acutis illorum naribus, quarum ope ea inveniunt, & vel reti-

(1) Lactant. de Opific. cap. 5. pa. 765.

retinent, vel excitant ad nutum venatoris. Qui longis ſunt cruribus, corpore gracili, rictu acuto, velocitate vincent lepores in apertis campis currentes. Qui ſtaturam habent omnium minimam, & indolem factam ad recipiendas & habendas blanditias, quales ſunt Melithæi, diceres natos unice ad delicias & oblectamentum hominum. Mitto feles, ſine quibus ſingulæ domus inciderent in cruciatum olim datum Ægyptiis, ut a murium prænimia multitudine quammaxime vexarentur.

56. Venio ad beſtias terræ. Hoc nomine ſignificantur feræ ſilveſtres, ut Leo illarum Rex, Urſus, Leo, Tigris, Lupus, Lynx, Panthera, Rhinoceros, Cervus, Dama, Capreolus, Aper, Caſtor, Herinaceus, Vulpes, Hyæna, Martes, Glis, Sciurus, Melis. Harum indoles abhorrens urbes, & impatiens diſciplinæ eſt, ut ſcilicet haberent ſuos incolas etiam ſilvæ, deſerta, & antra. Mole quidem corporis ſunt pleræque ipſarum inferiores bobus, & equis, ſed natura feroces & indomabiles, ut plane appareret voluntate quidem Creatoris, non jam hominum induſtria jumenta eſſe nobis morigera, ita ut unus equiſo, aut bubulcus illorum gregi moderando ſufficiat. Edacitatem multæ illarum habent, quæ non herbis & frondibus ſatiatur, ſed cibo indiget robuſtiori, quem inexhauſta Creatoris largitas illis abunde ſufficit, ut videamus quam opportune bruta ad nos juvandos deſtinata, facta fuerint plena ſobrietatis, quæ aqua & fæno contenta eſſent, & carnem omnem ac ſanguinem recuſarent. Atque quia, quæ crudeliores ſunt, carnem maxime appetunt, ne fame compulſæ homines de die paſſim per campos & ſilvas aut itineri, aut agriculturæ, aut relaxationi vacantes aggrederentur & opprimerent ſimul cum ſuis jumentis, & gregibus, lucis odium quoddam indidit, quod illas in ſpeluncas conjicit, & uſque ad noctem retinet, in qua oriantibus jam hominibus, & contrario horrore tenebrarum coactis & incluſis intra urbes & domos ab illis inſuperabiles, quo receperunt etiam cicures beſtias, quibus utuntur, datum iiſdem eſt foris prodire vagari & prædari.

57. Reptilia juxta Bochartum apud Alphonſum Nicolai (1) ſunt animalia, quæ molem habent aliquam ſenſibilem, ſed nec aves

(1) Nico. Lez. 13. di Scrittura, pa. 104.

aves nec piſces ſunt, nec de genere inſectorum terreſtrium. Viperæ, Aſpides, Angues, Lacerti, Talpæ, Mures, Nitedulæ exemplo ſint hujuſmodi reptilium.

58. Quod autem pertinet ad Inſecta, Joannes de Turre (1) ſtabilitis eorumdem attributis genericis ea diſtribuit in ſex ſuprema genera, ſeu claſſes, ſumpto diſcrimine ab alis, ſub uno genere ponens quæ illis careant, ſub reliquis vero, quæ eas habeant numero vel figura differentes: atque diviſis ſingulis claſſibus in genera 121, & his generibus in ſuas ſpecies, colligit harum numerum 1491. Sed mihi ſatis ſit minus diſtincta partitio in quatuor dumtaxat genera. Primum eorum, quæ componuntur ex duabus vel pluribus partibus inter ſe unitis quaſi per filum, quod dicitur vertebra, cujuſmodi ſunt formicæ. Secundum eorum, quæ conſtant ex pluribus anulis elaſticis, communi membrana contectis, ut lumbrici. Tertium eorum, in quibus ſunt plures partes per modum totidem laminarum, quarum altera ſupra alteram blande illabitur. Huc ſpectant apes. Quartum tandem complectitur illa, quæ ad nullum ex dictis pertinent. Hujuſmodi ſunt limaces. Sub his autem generibus tot ſunt ſpecies, ut non cedant varietati quadrupedum avium & piſcium. Juvat de aliquibus in quovis genere diligentius meminiſſe.

59. Ad primum pertinent Aranei. Exoſi quidem illi ita ſunt, ut ipſum nomen ſtomachum pleriſque moveat: Microſcopium vero horribiles etiam reddit, exhibendo oculis dentatas & ſerratas oris forcipes, ſquamnoſum thoracem, minaces lacertos, piloſum ventrem, aduncos pedes. Nihilominus ſiquando illos offendimus aut prædantes, aut ſuas telas contexentes, jam gradum ſuſpendimus, & magna cum voluptate illorum induſtriam, ſolertiam, & velocitatem agendi obſervamus. Qui hæc diligentius contemplati ſunt, animadvertunt fila hæc eſſe gummi quoddam, quod ex papillis quinque ex infima illorum parte pendentibus pro libito exprimunt, quæ deinde invicem conſtringunt artificio ſingulis horum ſpeciebus proprio. Illi qui intra domos naſcuntur, ſuas telas in angulis diſponunt, fabricata ſibi in horum extremo habitatione utrinque aperta ad evadendum pro libito. Illi qui antra quædam, parietum foramina incolunt, & aranei

 nigri

(1) Tur. Elem. Phyſ. tom. 7. num. 124. pag. 204.

nigri dicuntur, alterius generis telam circa oſtium applicant circumquaque, minoris quidem amplitudinis, ſed majoris tenacitatis. Illi qui hortorum aranei dicuntur, fila hæc viſcoſa a punctis diametraliter oppoſitis ducunt in directum ad quoddam centrum, ubi ſtationem ſuam figunt: deinde in circulos invicem paralellos, & paulum inter ſe diſtantes alia ſuperimponunt, atque hoc modo rotundum rete formant, quod a mediocri vento utpote ipſi pervium non diſcinditur, ſed volantes muſcas retinet. Ad hujus exemplum illud venatores fabricati ſunt, quo per concubiam noctem lucerna in ejus medio poſita volucrum magnam vim capiunt, dum ea lumen verſus convolat expulſa improviſo fragore ab omnibus circumquaque locis. Hac aranei illi via victum ſibi comparant ex incautis inſectis, quæ his retibus impingunt; Neceſſario enim tunc fila diſtenduntur, & illos excitant, qui ſtatim in prædam non tam ſubito liberandam viſco, quo remoratur, inſiliunt, quam arcte circumligant, donec ſpem omnem vel effugiendi vel ſe defendendi ademerint, eaque in domum ſuam tandem deportata jucundiſſime depaſcuntur. Aliæ ſunt præterea araneorum ſpecies, ut nemo non videt, & tam inſignis fœcunditatis ſingulæ ſunt, ut Redius (1) ab uno illorum depoſita in ſuo nido ova fere ducenta numeraverit. Sed brevitas vitæ illis conceſſæ per aliquod ſolum anni tempus, & mutua inter ipſos crudelitas, qua ſe invicem vorant, non reddit illos ſupra alia inſecta nobis moleſtos.

Eſſet in hoc genere formicarum ſpecies, quæ utiliter conſiderari poſſet non ſolum quantum ad ortum, quem habent ex ovo, ſub forma primum minimorum vermium, & deinde nimpharum: ſed etiam quantum ad rationem vivendi inter ſe in modum bene ordinatæ Reipublicæ, quæ commeatu ſemper abundat, quippe ita omnes ab omni pigritia remotæ ſunt, ut crediderim alas ipſis ſeneſcentibus adnaſci, ut quæ ætate impeditur pedum agilitas, alis compenſetur. At opus eſt ad alia properare.

60. Ad ſecundum inſectorum genus pertinent præter vermes, qui ſemper in hoc ſtatu conſervantur, illi etiam, qui ex vermibus volatilia fiunt, poſtquam immobiles aliquandiu perſtiterunt in medio quodam ſtatu, qui chryſallidis, vel nimphæ dicitur.

(1) Red. Eſper. ſu la Generaz. degli Inſetti pag. 73.

citur. In his ſunt erucæ, quæ plantas verno tempore obſident ad paſtum avium, quibus & pullis, quos tunc nidis affixæ procreant, hac via magnifice conſultum eſt, data interea iiſdem inſectis ea ſagacitate & induſtria, per quam multa avium vim & venationem eludunt, vel abſcondendo ſe ſub foliis, vel ſe ex illis celeriter demittendo per filum, quod tunc ſuſpendunt & evolvunt cum invaduntur, vel fingendo per ſubitam immobilitatem ſe non eſſe de genere viventium, quæ inquirantur. Species autem erucarum fere totidem ſunt ac plantarum; Nam ſuas unaquæque producit ejuſdem coloris cum foliis, quibus ſolis, vel iis quæ ſint homogenea, ſingulæ paſcuntur, exceptis paucis, quibus herbæ omnes placent, & illis quæ etiam carnivoræ ſunt, & vivunt ex parvis muſcis, quibus ſupra ſe inſidentibus ex improviſo complicatæ potiuntur. Sunt rurſus tineæ, quæ pannis adhærentes per villoſam veſtem utrinque apertam, ex qua modo ex una ipſius parte, modo ex alia aliquantulum ſe exerunt, eoſdem paulatim depaſcuntur. Atque ſi accidat ut ex albo panno in aliud tranſmigrent alterius coloris, cito & ipſæ eumdem colorem induunt. Quoniam autem quantum Philoſopho placet harum contemplatio, dum vilibus aut obſoletis pannis contentæ ſunt, tantundem diſplicet, dum ſua etiam pallia invadunt, ideo ne huc tranſcurrant, modis omnibus ſtudet, adhibens modo rudiculas, quibus ova ſiqua ſunt excutit, modo aerem frigidum, aut fumum tabaci, aut alia, quæ illas deſtruant.

61. Bombyces tandem ſunt hic commemorandi, qui brevi vitæ ſuæ curriculo toti incumbunt ſericis nobis comparandis. Hi ante ſæculum VI æræ vulgaris ignoti erant Europæ; Nam juxta Pluchem (1), & Jo. Gualbertum de Soria (2) tempore Juſtiniani Imperatoris e Perſide delati primum fuerunt Conſtantinopolim, & deinde per totam Græciam, Italiam, & alias regiones diſſeminati. Sericæ tamen veſtes notæ jam antea erant, ſed inter pretioſas reputatæ. Sæculo enim quarto dicebat S. Baſilius, (3) *Fila bombycum Cæſaream uſque Seres tranſmittunt ad raras ac præmolles veſtes concinnandas*. Hæc autem animalcula apud Seres ipſos, Sinarum provinciam, & in Tunchino paſ-

 ſim

(1) Pluch. Spett. de la Nat. tom. 5. num. 1. pag. 58. Ent. 1. Les Paturages. pag. 85.

(2) Sor. Opuſc. tom. 1. degli Inſetti

(3) S. Baſil. in Fin. ho. 8. in Hexam.

ſim ſupra moros habitant, in quibus naſcuntur, vivunt, & operantur nulla indigentes hominum ſollicitudine. At apud nos ſolum intra domos ab omni aeris humiditate & intemperie, & ab omni ſquallore diligenter protectas educari poſſunt, adminiſtrato in ſingulos dies cibo ex novis mori foliis ſicco die pampinatis, quæ parum felici exitu ſupplentur illis urticæ, ſmilacis, & lactucæ. Curam, quam circa illos impendimus, compenſant erudiendo mentem, & augendo opes; mentem quidem erudiunt eorum, qui obſervent illorum ſtructuram, quæ videri poteſt apud Pluchem (1), & diverſos habitus, quos donec vermium formam retinent, induunt. Primo enim prodeunt nigra veſte, quæ paulatim cinerea evadit, & poſtea diſcinditur, & locum dat alteri nitidiori, quam nondum expleto menſe a ſe repellunt, & in aliam commutant: Opes autem augent, quia cum jam adulti facti ſunt, adgrediuntur pretioſum opus, ſericum filum longum plerunque pedes bis mille, etſi ponderis vix granorum duorum, quod apte conglobant in ovali folliculo, ſepulcro nobili, quo ſe ad breve circiter trium hebdomadarum tempus includunt, redituri ad novam vitam, non jam amplius vermes viſu turpes, ad motum tardi, addicti ſolo, & craſſo frondium cibo contenti, ſed papiliones pleni alacritate, venuſtate, & agilitate, ſpatii aerei incolæ, ſolo florum nectare avidi, tales demum, ut poſſint eſſe exemplum quoddam glorioſæ illius reſurrectionis, quam nobis bene viventibus Catholici ſperamus & credimus. Non eſt tamen expectanda hæc illorum metamorphoſis, quæ propter quaſi terrenas fæces, quas evaſuri animal aereum ſupra ſericum deponunt, illud prorſus inutile reddit, ſed opus eſt illam prævenire. Quod etſi non fiat, niſi vi caloris, qui incluſos vermes perdit, non eſt tamen timendum, ne eorum pariter ſpecies brevi extinguatur. Satis enim ſunt pauci, qui permittantur ad novum ſtatum pervenire, quoniam tantæ ſunt fœcunditatis papilionum fæminæ, ut ſingulæ brevi pariant ova pluſquam quingenta.

62. Ad tertium genus pertinent Scarabæi, & inſecta illa, quæ ex erucis transformantur in Papiliones, Apes, Veſpas, Crabrones, Muſcas, & alia volatilia. De Scarabæis pluſquam centum ſpecies

(1) Pluch. Spett. de la Nat. Entr. 3. §. Madame voici. pag. 175.

cies numerantur & deſcribuntur a Mouſeto (1), & Aldrovando (2), & totidem de Papilionibus, quorum alii per diem volitantes oſtentant pulcherrimum alarum apparatum, vividis coloribus, & bene ſibi reſpondentibus figuris diſtinctum, & elegantes antennas in lemniſcos deſinentes: alii vero ad ſpatiandum ſub maligna dumtaxat luce deſtinati veſtem gerunt elegantem quidem, ſed atris ſolum coloribus variatam, & antennas præſeferunt directas & acutas, quaſi ad itineris ſolum tentamentum, non vero ad pompam datæ ſint.

Ad Apes venio, de quibus cum multa dicta ſint a multis cujuſvis temporis ſcriptoribus, quæ pertinent ad illarum ortum, formam, modum vivendi, opificium, & indolem, recentiores præcipue attendendi ſunt Philoſophi, imprimis Reaumurius, qui ex ſuis obſervationibus plura nobis commentaria de his reliquit, & deinde illi, quos idem (3) laudat, quibus addam Bazinum, quem non video ab ipſo nominatum, cum cæteroquin citetur ejus Hiſtoria de Apibus; Hi enim in harum obſervatione diligentius ſe occuparunt, & per cryſtallina alvearia aſſequuti ſunt magnam partem eorum, quæ in illis moliuntur. Apes pertinent ad inſectorum genus, quæ ex ovo naſcuntur ſub forma vermium, quam diebus decem aut duodecim frequenter nutrita melle a matribus retinent & augent. Poſt hoc tempus cibum illis jam recuſantibus accurrit apis, quæ obducit cera ſingulas cellas, in quibus ſingula ſunt, quaſi ad fovendum illorum ſomnum, vel potius ad maturandam Chryſallidem, & ex illa novæ apis productionem, quæ poſt dies quindecim perrupto operculo erumpit alas explicans, quibus, cum primum exſiccatæ fuerint, jam ad prædam cum aliis per hortos & prata ſpatiatur, ſi fuerit ex iis, quæ ad operandum favos natæ ſunt. Nam Maraldus in Actis Academiæ Scientiarum Pariſienſis ad annum 1712 tres in unoquoque alveari apum ſpecies diſtinxit. Prima eſt artificum: Hæ ſunt apes minores mole cæteris, ſed numeroſiores, inſtructæ antlia circa os, qua mel colligunt, & condunt in ſacco mellario, in viſceribus incluſo, ex quo domum reverſæ per ductum quemdam, qui ab intima ejuſdem parte uſque ad os aſcendit,

(1) Mouſ. Theat. Inſect. lib. 1. capit. 14.

(2) Aldrov. lib. 2. de Inſect. cap. 4.

(3) Reaum. Des Inſectes, tom. 5. Memoir. 5. pag. 262.

dit, illud refundunt in cellas promptuarias. Armatæ inſuper ſunt aculeo, quem ex extrema corporis parte exerunt contra aggreſſores, & quo primam imprimunt plagam ſatis levem, qua plerunque contentæ ſunt. Nam ſi explicent etiam duas illas ſagittas, quæ intra ipſum continentur, non ita facile poſſunt deinde illas ad ſe iterum contrahere propter hamos, quibus cinguntur, atque hoc modo contingit ut animas in vulnere ponant, ſicut dicit Virgilius. Eædem ineptæ ad generationem creduntur.

63. Secunda ſpecies eſt earum, quæ dicuntur fuci. Hæ ſunt majores corpore, expertes aculeo, & ductu, quo hauſtum mel egerant, ipſarumque numerus comparatus cum primis, eſt in ratione unitatis ad 40, vel 60. Atque hæ creduntur mares, qui nunquam longius ab alveari diſcedunt, nec ullo operi incumbunt, ſed publico quaſi ærario aluntur, maxima tamen pars non amplius quam anno uno. Approximante enim Autumno ab artificibus apibus, quaſi ut ſibi conſulant pro hyemis tempore, quo de commeatu per æſtatem comparato vivant neceſſe eſt, adhibita ſi opus ſit vi expelluntur ab alveari, ut fame circa illud paſſim extinctæ jaceant, vel pluviis vento & avibus occidantur, cum cæteræ ad ſeptem vel octo annos vitam protrahant.

Tertia ſpecies eſt apis omnium maxima armata aculeo, & quæ creditur fæmina, quia compertum eſt ab ipſa deponi ova. Una plerumque eſt, & ad ſummum duæ aut tres in ſingulis alvearibus. Quare cum hæc olim diceretur eſſe Rex, nunc melius dicitur apum Regina. Illius fœcunditas intra unum annum extendi poteſt ad filios ſex mille & amplius generandos. Aucta multitudine, quam alveare non capiat, eodem momento temporis quaſi ex condicto juniores alio commigrant duce ſua Regina, novam ſibi terram inquirentes in cavo aut arboris, aut parietis, quod donec illæ invenerint, quibus fortaſſe hæc cura committitur, volitant per aera, & aliquando invicem congregantur circa ramum arboris ad inſtar racemi ab illo pendentes. Qui curant hoc examen ſibi captare, accurrunt crotalis, aut alio quovis canoro æris ſtrepitu, quo ipſarum conjunctio adeoque & poſſeſſio acceleratur. Illæ apto in loco collocatæ incipiunt jam ſuum ædificium a ſuperiori parte, quod paulatim in inferiores

res deducunt, & quam poſſunt dilatant. Brevi tamen illud conficiunt, quia aliæ inquirunt illius materiam, primo quidem gluten quoddam amarum, quod ex herbis, paleis, putridis lignis, & acidis liquoribus colligunt, cujus uſus erit in omnibus locis, quæ tuta debent eſſe ab externa inſectorum vi & aviditate: deinde ceram, quam inveniunt in flavo pulvere, quo florum ſtamina conſperſa ſunt, qui ſi abundat, ipſum in fundo calicis illorum delapſum: vel excuſſum colligunt volutantes ſupra illum totum corpus, cujus pilis quicquid ceræ eſt adhæret, ſin vero minor eſt in uno flore hujus ceræ copia, eam quæ in eo ſit, primis duobus pedibus, & ore congregant in faſciculum, eumque ope pedum mediorum ingerunt in cavitates, quas habent crura ultimorum pedum, quas poſtquam impleverint domum reverſæ: vel in cellas ad hoc comparatas ipſæmet hanc ſarcinam deponunt, vel ſub ipſam januam aliis deportandam tradunt. Cum harum ſufficiens copia jam habetur, adveniunt quæ invicem illas commiſcent, ſubigunt, purgant, ex eaque diviſiones & cellas componunt, quarum prima pars eſt pro prole educanda: ſecunda pro cera aſſervanda, quam opus eſt in promptu ſemper habeant vel ad obſtruendas cellas, vel ad ſuammet vitam conſervandam; Cenſet enim Reaumourius non ſolo melle apes vivere, ſed etiam cera, quam credit tum demum acquirere ſuam perfectionem, quando per ipſa viſcera pertranſierit: tertia tandem pars eſt pro melle in illis includendo, quod eſt ſuccus quidam, qui e planta extra poros florum, maxime Sole circa meridianum poſito, exſudans ab illis exſugitur; neque enim attendendi ſunt, qui olim putarunt eſſe rorem e Cælo decidentem, non ſolum quia gratis diceretur ſupra flores dumtaxat cadere, vel ſupra illos ſolum conſervari, ſed multo magis, quia compertum eſt rorem eſſe mellis exitium, quoniam illud diſſolvit & diſſipat.

64. Apes autem, quæ tres jam dictas favorum partes primo moliuntur, eaſdem nullatenus perficiunt, ſed ad hanc perfectionem & expolitionem aliæ incumbunt, quæ ſtabilem formam a primis jam datam diverſis operis membris ita in ſingulis partibus exornant, ut pulchra etiam viſu, & commoda habitatu evadant. Quibus finibus nihil opportunius eſt cellis hexagonis, quæ apte inter ſe conjunguntur, nihil vacui relinquentes, & cilin-

Digitized by Google

lindrica earum corpora melius ſovent, quam ſi eſſent figuræ cubicæ. Aliæ tandem ſunt, quæ cibum operariis miniſtrant, educentes e ſuo ſacculo mel ad ſingularum petitionem, quæ ſua antlia illud abſorbent, & ad incœptum opus ſtatim revertuntur. Similes apibus in multis, quæ pertinent ad figuram, modum naſcendi, vivendi, operandi ſunt Veſpæ & Crabrones, ut videre eſt apud Pluchem (1), qui etiam de muſcis & aliis inſectis differit.

Illud de indole apum non omittam, quod non deſunt, qui credant illam reddi poſſe hominibus morigeram, non ſecus ac ſunt greges paſtoribus. Sicut enim quando hi inſonant vel voce vel cornu, illi ſtatim congregantur, & quo paſtor ducit, moventur: ita etiam apes dicuntur, ad ſibilum apiarii educi poſſe ex alvearibus in prata, & ex pratis ad alvearia reduci. Equidem neſcio an ullibi noſtris temporibus vigeat hic mos, ſed videtur ille in uſu per Aſiam olim fuiſſe. Nam Cornelius a Lapide in illud Iſaiæ, (2) *Sibilabit ad eum*, citat S. Cyrillum, qui ait Prophetam hoc loco *alludere ad ſibilum apiariorum, qui apes educunt ad flores & paſtum, ac reducunt ſibilo*. Quod iis confirmat, quæ expreſſius idem Propheta inferius habet, (3) *Sibilabit api in terra Aſſur*: de quibus teſtimoniis nuper meminit Pluche (4), quaſi cohortans ad hunc uſum utiliter renovandum, quandoquidem cera, cujus tantus eſt uſus, non habetur niſi per apes.

65. Circa quartum tandem inſectorum genus ſiſtam in cochleis, quæ paſſim per campos hortos & vineas tempore meſſis & fructuum inveniuntur, ſuam ſingulæ domum ſecum deferentes, aliæ majorem, aliæ minorem, ſub diverſis figuris, quibus ſimiles habentur etiam in conchyliis. Illæ accedente hyeme recipiunt ſe in macerias, vel alia penitiora loca, & denſo quodam glutine obſtruentes domus ſuæ portam profundo ſomno totam hyemem fallunt. Aura jam tepente evigilant, & disjecto oſtii repagulo, foras prodeunt toto corpore, præterquam parte illa tergi, quæ ipſarum domum ſuſtinet, & etſi nullis pedibus præditæ ſint, moventur tamen ope rugoſæ pellis, quæ ventrem veſtit,

(1) Pluc. Spettac. de la Nat. tom. 1. Entr. 5. 7. & 8.

(2) Iſai. 5. v. 6.

(3) Iſai. 7. v. 18.

(4) Pluch. Spett. de la Nat. tom. 5. Entr. 1. Les Paturages pag. 85.

ſtit, cujus unam partem dum ſolo infigunt, quaſi elaſtro quodam aliam promovent: nec quamvis per declivia repant, & tota teſta onuſtæ ſupra parietes aſcendant, & ex arboribus & foliis pendeant, quibus avide paſcuntur, lapſum aut inverſionem timent, quippe viſcus pro libito exſudant ejus tenacitatis, quæ eſt neceſſaria. In hiſtoria Academiæ ſcientiarum Pariſienſis ad annum 1708, & 1709, harum propagatio deſcribitur per ova, quæ a ſingulis cochleis utpote utroque ſexu præditis humi deponuntur, ex quibus brevi excluduntur minimæ cochleæ, quarum loculamentum, prout ipſæ augentur, & ad ſuam maturitatem tendunt, ex ea ſcilicet parte qua illud patet, ipſum pariter amplificatur, & formam proinde ſpiræ recipit, cujus centrum eſt teſta primitiva. Dubitari autem non poteſt ex ipſo corpore animalis erumpere materiam illam, ex qua hæc teſta componitur per modum ſubtilis & mollis tunicæ, quæ paulatim concreſcit, & altera alteri cohæret uſque ad certum terminum; Nam ſi ejus pars aliqua tollatur, illa iterum ita reſtauratur, ut evidens ſit eſſe quaſi aſſutum ſegmentum, cujus extrema adhærent fracturæ ita, ut hujus labra conſervent eadem ſigna & limites, ac prius. Sæpe etiam accidit, ut diverſi coloris ſit hujuſmodi ſegmentum, quod ex eadem cauſa repeti debet, ac illa, quæ facit, ut communiter verſicolor ſit tota cruſta: hæc autem cauſa eſt diverſitas pororum & glandularum, quæ pro ætate, cibis, & valetudine animalis variari poſſunt.

66. Immenſo horum inſectorum numero addantur illa, quæ non alibi vivunt, quam in ipſis animalibus. Nam docente Franciſco Redio (1), & fuſe declarante, omne animalium genus, etiam oves & aſini, quæ duo Ariſtoteles, & poſt ipſum Plinius, & recentius Mouſetus (2) falſo exceperant, nutriunt in ſe proprios pediculos. Quæ nudis oculis obſervantur inſecta, deſinunt in illa, quæ unius puncti animalia vocavit Tertullianus. Quod ſi illos microſcopiis armemus, jam animalium brutorum novum immenſum theatrum nobis aperitur. Intuere acetum, videbis parvas, in illo anguillas: obſerva aquam in qua diſſolutum ſit granum piperis, apparebunt minuti vermes ſe moventes:

H &

(1) Red. Eſperien. ſulla Generaz. degl'Inſetti pag. 352.

(2) Mouſ. Theat. inſecto. lib. 2. capit. 23.

& nullus fere eſt ex liquoribus, qui ſic inſpiciantur, qui innumera animantia magnitudinis & figuræ ſingulis propriæ aliquo ſaltem tempore non habeat, ut nuper propugnavit Lazarus Spallanzani in *Nova Collectione Callogeriana* (1) contra ſingularem Buffonii, & Needhami opinionem, qui ea quæ in illis moventur, cenſuerunt eſſe moleculas viribus quibuſdam attractivis, & repulſivis agitatas, non autem vera animalia. Ipſa etiam inſecta, & quidem ex minoribus obſervantur per microſcopium habere ſupra ſe proprios cujuſque ſpeciei pediculos, ſicuti habent animalia grandiora. Redius deſcripſit (2) & oculis per figuram ſubjecit illos, quos ipſe cum aliis obſervavit in formicis tum alatis, tum non alatis. Unumquodque horum viventium genus, & multo magis omnia ſimul ſumpta vere extorquent a nobis admirationem, & evidens faciunt, eſſe ſupra noſtrum captum Divinam Potentiam in hujus Mundi creatione elucentem.

SECTIO V.

Argumentum a numero Vegetabilium.

67. Propoſitio declaratur etiam a numero vegetabilium, in quibus diſtinguendis & deſcribendis deſudarunt quavis ætate tam multi Philoſophi, ut ex illis, qui accuratius de iiſdem ſcripſerunt, Adanſonus in ſuis *Familiis plantarum* editis Pariſiis anno 1763 numeret chronologice 301. Ex horum induſtria notæ hactenus habentur ſpecies plantarum diverſæ 18655 apud Rayum citatum a Jo. M. de Turre (3), qui ſimul conjicit ex tot terrarum tractibus nondum obſervatis, plantas incognitas eſſe duplo majores numero cognitis. Illud ſaltem unanimiter profitentur Botanici, alias adhuc eſſe plantas, quæ poſterorum diligentiam in iis colligendis & obſervandis diu poterunt exercere. Quod ſi forte verum ſit, numerum diverſorum vegetabilium eſſe longe minorem numero diverſorum inſectorum, ut cenſet Buffonius (4), ſaltem individua in quibuſdam ſpeciebus, quæ magis

(1) Spall. Oſſervaz. Microſcopiche nel tom.15. pag.207.
(2) Redi ubi ſup. pag.155.
(3) Turr. Elem. phyſ. tom.6. n.313.
pag.362.
(4) Buff. Hiſtoir. Natur. tom.2. ch.1. pag.10.

magis utiles nobis ſunt, videntur numeroſiora, ut patet in tritico, quod quotannis germinat in omnibus fere telluris habitatæ regionibus, etſi aeris temperie diverſiſſimis ad manifeſtum Divinæ Providentiæ argumentum, quæ vult ea abundare, ſine quibus vita humana minus commode ſuſtineretur.

68. Vegetabilia terreſtria alia ſunt foliis prædita, alia his carent. Ex ſecundo hoc genere ſunt fungi & tubera. Ac fungorum quidem ſemen primus Micheli detexit anno 1728 in ſuis *novis generibus* plantarum, & confirmarunt, qui poſt ipſum ſcripſerunt Glediſch Germanus, Batarra, & Mazzolius (1) qui etiam de ſemine tuberum agit. Quin immo facile unuſquiſque idem fungorum ſemen quodammodo intueri poteſt, qui illos primum aqua diluat, & deinde hanc humi projiciat; videbit enim poſt aliquot dies eoſdem in eadem ſpecie erumpere. Porro fungis late humus aliquando veſtitur, & ipſæ etiam arbores ornantur: in quibus cum innumeræ ſint ſpecies, celebrantur maxime boleti, prunuli, pezitæ, ſuilli. Tubera vero intra ipſam humum tota creſcunt per modum mali cujuſdam, quin ſignum ullum radicis in illis appareat, eaque ſues ſolent eruere, dum rictu terram vertunt: atque quia illis non veſcuntur, niſi prius tamquam de cupediis inventis ſingularem lætitiam grunnitu declarent, accidit ut paſtores illum audientes accurrant, ſibique illis expulſis hujuſmodi delicias vindicent.

69. Sed Vegetabilia prædita foliis conciliant admirationem longe majorem. Talis enim eſt horum numerus, ut dividi univerſim poſſint in tres claſſes, in parva ſeu herbas: in mediocria ſeu plantas: & in magna ſeu arbores. Herbæ parum ſe ab humo extollunt, ſolum ornant, ſeque animantibus in cibum offerunt. Plantæ altius aſſurgunt, & quaſi invitant ad ſuas frondes contemplandas, vel fructus ſine ullo labore decerpendos. Arbores per ſpatia aerea ramos diffundentes errantibus avibus diverſorium & umbraculum etiam a longe demonſtrant.

Quam multæ ſint herbarum ſpecies admirabitur ſtatim, qui in medio alicujus prati ſe ſiſtat, & oculos in gyrum convertat. Centum ſtatim obſervabit unico obtutu diverſas herbas. Atque ſi ſecum habeat aliquem Botanicum, qui iis uti familiariter ſo-

 let,

(1) Mazz. to. 1. Collect. Opuſc. phyſic. Lucæ anno 1743.

let, ille de ſingulis ipſum docebit. Quod, inquiet, præ cæteris hic abundat eſt trifolium: nihilominus en tibi ad pedes jacet hinc rapulum, illinc cichorea: mihi autem qui de his peritus ſum, obverſantur ante oculos procul a nobis Senecio, Smyrnium, Bugloſſa, Eruca, Sonchus, Portulaca, Acetaria aliquibus gratiſſima. Si paulum moveamur dabo tibi tractanda modo ſerpillum & thymum: modo meliſophyllon & meliloton: modo chærophyllon & oxalidem: modo achillæam & centauream: modo fumariam & eupatoriam. Nec diu credo inquirenda erunt Anagallis, Plantago, Lapathum, Artiplexum, & aliæ ſexcentæ herbæ optimæ ad paſcendum, quæ tamen, prout in loco jacent plano vel declivi, umbroſo vel aprico, diverſæ videntur indolis. Mitto varias Lactucæ ſpecies, Intubum, Aſparagos, Spinacia, & ſuaviſſima Fragra, quæ in amplis hortorum areis diligenter exculta paſſim obſervantur, quos ſi ingrediaris olitore duce, ille indicabit cappari pendentia e rimis murorum: humi autem oſtendet mentam communem & hortenſem, nepetam, rutam, roſmarinum, nardum, crocum, amaracum, ocimum, ſalviam, ſaturejam, ſiſer, paſtinacam, petroſellinum, raphanum, rapum, betam, porros, cepas, allia, præter illas, quæ nullo etiam monente agnoſces, ut quæ producunt vaſtos cucumeres, immanes cucurbitas, & mediocres pepones. Mitto illas, quæ familiares ſunt in Medicina, ut Abſynthium, Marrubium, Malva, Seſelis, Senna, Sedum, Tuſſilago: & illas, quæ minus ſalubres vel noxiæ communiter habentur, Equiſetum, Peplos, Cicuta, Urtica, Filix, Lolium, Muſcus, Ruſcus, & leguminum vegetantium peſtis Orobanche. Multæ quidem ex omnibus herbis, quæ majoris ſunt uſus in omni quam late patet arte medica, videri poſſunt in hortis botanicis collectæ: ſed quaſi ibi eſſent in quemdam carcerem per injuriam compulſæ, minus explicant vigoris ac lætitiæ, & facile etiam fruſtrantur induſtriam, quam ſtudioſi adhibent in iis conſervandis: at in apertis campis etſi ventorum & tempeſtatum vim patiantur, & per hyemem horrido gelu, per æſtatem ferventibus radiis adurantur, nihilominus iterum verno tempore ad novam vitam redeunt tanto omnium viventium commodo, ut ſi forte propter inſolitam alicujus anni intemperiem ſolito rariora aut graciliora in aliqua provin-

cia

cia naſcantur, jam certa eſt ipſius ingens calamitas; Intereunt enim greges & armenta deficiente illorum alimento, jamque agris ipſis & agricolis vita deficit, & tota regio in ſitu jacet & ſquallore.

70. Venio ad ſecundam claſſem, vegetabilia mediocria. In hac turmatim animo occurrunt ea, quæ ad cibum, potum, & veſtitum immediate pertinent. Inter prima ſunt oriza, hordeum, ſiligo, avena, far, zea, vicia, ervum, milium, panicum, fabæ, phaſeoli, lentes, lupini, ciceræ, & cicera: & quæ præ cæteris nominanda ſunt frumentum Indicum, ex quo panis fit colonis acceptus & polenta omnibus jucunda: & triticum, cujus multæ ſunt ſpecies, & quod ſub omni quidem climate facile naſcitur, ſed ſub ipſam etiam quandoque meſſem exeditur improviſa rubigine, quam contrahit ex nebula veneficis exhalationibus plena, quæ ipſi diutius adhæreat. Diligentes tamen coloni peſtem hanc, antequam Sol incaleſcat, excutiunt tenſo fune, quem duo ex illis ſupra ſpicas circumducunt. Poſtquam etiam in horrea congeſtum eſt, cavendum a curculionibus, & a multis aliis cauſſis, quibus facile corrumpitur. At equidem novi hominem, qui feliciter & conſtanter illud conſervabat ponendo alternatim ſtratum aridæ arenæ, & ſtratum frumenti. De aliis rationibus idem conſequendi bis meminit Pluche (1). Sed ex hujuſmodi plantis id, quod in cibum adhibetur, eſt earum ſemen dumtaxat. Sunt & illæ, quarum fructus eduntur, ut ſolanum pomiferum, rubus idæus, groſſularia alba. Sunt & aliæ, quæ ipſæmet cibo ſunt, cinara, fœniculum, & omnium maxime abundans braſſica plurium, diverſarumque formarum, in quibus celebres ſunt pompejana, capitata, & cymoſa.

71. Ex plantis quæ ad potum adhibentur primatum ſine controverſia obtinent vites, ex quarum fructu vinum exprimitur, liquor naribus gratus, palato gratior, ſtomacho gratiſſimus, & toti corpori ſobrie adhibitus utiliſſimus; Nam corpus vigore replet ſingulari ad omnes impigre obeundos labores, & humoribus melancholicis diſſipatis animam ad hilaritatem inducit, quam innocentem omnino poſſe eſſe, perſuaſit Chriſtus Do-

(1) Plu. Spett. de la Nat. Tom. 2. les Plantes. pag. 532. Id. Ibid. To.4. Entr. 4. Le Ble. §. La premiere pag. 232.

Dominus, qui deficiente vino (1) in nuptiis, ad quas invitatus acceſſit, aquam vinum fecit omnium optimum. Mahometus viſus eſt aliquod de ſuis ſectatoribus ſupplicium ſumpſiſſe, dum vini uſu illos interdixit, & utinam perpetuo ſint illis barbara nomina Vinum Frontinianum, Burgundicum, Campanum, Syracuſium, Malacitanum, Toccajum, Cyprium, Creticum, Urbevetanum, Politianum cum aliis multis, quæ ſuaviter ſonant cultis gentibus. Suppletur quidem vinum aliis liquoribus, quorum aliquos numerat Pluche (2), uſitatos apud diverſas gentes, deſcribens etiam modum, quo comparantur duo illi magis communes, Sicera ex Malis, & Cereviſia, cujus elementa ſunt aqua, hordeum, fermentum quoddam ex ipſo hordeo expreſſum, & lupoli, qui in aliquibus ſeptemtrionalibus regionibus diligenter ad hunc uſum coluntur, & palis ſuſtentantur, dicti proinde vites boreales. At hi tam longe diſtant a dotibus vini, ut in uſu non ſint niſi in locis, ubi vites ſub dio toto anni tempore propter Cæli inclementiam relinqui non poſſunt, & niſi apud eos, quibus curta res non ſinit ſibi comparare vinum e longinquis regionibus tranſvectum vel navigatum. Ideo autem vites inter mediocres plantas numero, quia arbores nunquam fiunt, quæ per ſe ſuſtententur, quin immo ſibi relictæ ſerpunt humi, & communiter ad altitudinem tantum manus deducuntur. Ceterum non ſolum ſupra ipſas arbores expandi, ſed ſupra altiſſima etiam ſolaria deduci poſſunt, ubi ſupra pergulas ramos emittunt, ex quibus ejuſdem virtutis racemi abunde colliguntur acinis onuſti variæ magnitudinis figuræ coloris ſaporis pro varietate ſpecierum, quæ ſub hoc genere continentur longe plures, quam ſub aliis plantarum generibus. In plantis, quæ de noſtro victu bene merentur, ſunt etiam arundines illæ frequentiſſimæ in quibuſdam Americæ regionibus, & etiam in Sicilia, ex quibus Saccharum modo, qui deſcribitur a Pluche (3), tam copioſe extrahitur, ut jamdiu mel tanti apud veteres uſus, obſoleverit, eique locus vix in aliquibus cibis vel medicinis tribuatur.

Inter

(1) Joann. 2.

(2) Pluche. Spett. tom. 4. Entr. 6. Le Vin. §. Les materies. pag. 180.

(3) Id. ibid. Les Plantes. pag. 513.

72. Inter plantas, quæ veſtes nobis ſufficiunt, opus eſt meminiſſe de lino, & cannabe, ex quorum cortice extrahimus fila uſus tam inſignis, ut nomen totius plantæ factum ſit proprium hujus etiam ipſius particulæ. Linum minus aſſurgit cannabe, ſed melius commodo noſtro inſervit, utpote molle magis & delicatum. Utraque planta cum jam matura eſt, colligitur in faſciculos, & detracto abundanti ſemine, quo pingueſcunt Boves, & ex quo paratur oleum ad nocturnas vigilias in multis locis uſitatum; fila quidem cannabis, ut avellantur a lignea calami parte, opus eſt primo hunc macerare in aqua per dies circiter quindecim, & deinde expectare, donec probe ſiccetur. Fila autem lini non indigent hac præparatione, ſed ſatis eſt permittere aeri & ſoli, ut omnis ab illis ſuccus & humor diſſipetur. His peractis utriuſque plantæ fila ſeparantur, conterendo primum faſciculos malleo quodam, qui eſt quaſi ſecuris lignea ad inſtar vectis habentis fulcrum in uno ſui extremo, & incidens in cippum ſulcatum, deinde per diverſæ denſitatis carmina illos trahendo. Quod reſtat ſine ulla intermixta feſtuca, eſt linum, in quo apta mulieribus occupatio habetur, quia dum ipſum primo nent, deinde texunt, poſſunt animo libere quolibet vagari, vel inter ſe ſolitis colloquutionibus aut cantilenis indulgere. Ex lino interea innumera diverſi pretii opera conficiuntur, primo quidem ad uſum immediatum corporis tam de die, quam de nocte, quo mundi conſervamur, ut ad bonam valetudinem requiritur. Hujuſmodi uſus communis jam eſt apud omnes gentes aſcendendo a paſtoribus ad reges, qualis cum non eſſet apud veteres Romanos, neceſſe illi habebant longa frequenti & difficili balneorum opera. Deinde lino utimur etiam ad pompam in feſtis non ſolum profanis, ſed etiam ſacris, ut quotidie videmus fieri, & ex ſacra hiſtoria novimus etiam antiquiſſimis temporibus factitatum. Legimus enim in ſolemni translatione arcæ fœderis Domini de domo Obededom in civitatem David, quam hic Rex magnifico apparatu celebravit, (1) ipſummet Regem indutum fuiſſe ephod lineo præter ſtolam byſſinam communem univerſis Levitis. Quod ex lini carminatione rejectum fuerit, ſtuppa eſt, ex qua fiunt funes, & rudentes, & telæ craſſiores ad ſaccos, ſarcinas,

(1) Paralip. 15. v. 27. & 28.

Digitized by Google

cinas, vela, & multos alios uſus, ſi minus nobiles & etiam viles, at ſine dubio univerſales frequentes & neceſſarios. In numero plantarum, quæ de noſtris veſtibus bene merentur ſunt illæ etiam, quibus utimur ad eas colorandas, cujuſmodi, ſunt Glaſtum, ex quo color cæruleus: & Rubia, ex qua ruber elicitur.

73. Sunt aliæ præterea plantæ, in quibus remedia vel delicias conſtituimus. In his præcipuum locum noſtris temporibus obtinet Tabacum. Hujus folia aliqui olim continuo mandebant, ſed uſus hic nauſeam intuentium provocans videtur jam deſueviſſe. Vigent tamen duo illi, alter apud milites, nautas, & integras etiam Orientis gentes, attrahendi illius fumum; dum ardet in parvo camino terminante fiſtulam, quæ facile ore animatur, & ſuſtentatur: Alter vero omnium frequentiſſimus illud in pulverem contuſum naribus attrahendi. Omnes jam cujuſvis ordinis, ætatis, ſexus, regionis homines ſecum hujus pulveris capſulam ſin minus pretioſam, ut ſolent patricii, ſaltem aliquam ſemper habent. Placet illius blanda vellicatio, per quam craſſiores cerebri humores vel attenuantur, vel motu in fibris excitato excutiuntur, & importuna gravedine, aut torpedine totum caput liberatur. Quare ex Tabaco, & occaſione ipſius incœpit a duobus jam ſæculis commercii novum genus, quod noſtra ætate faſtigium videtur conſequutum: Auctore enim Pluche (1) anno primum 1560 ex Mexici loco quodam, cui nomen Tabacum, hujus plantæ ſemen in Europam aſportatum fuit, & a Nicotio, Galliæ Legato apud Luſitanos, ejus folia tranſmiſſa fuerunt ad Reginam Catharinam Mediceam, tamquam ulceribus medendis maxime utilia. Ex hoc Nicotio dicta etiam eſt planta Nicotiana, ejuſque pulvis Nicotianus. Una jam ex Antillis inſulis nomen Tabaci habet, quia feliciter ibi naſcitur, quod cæteroquin ubique proveniret, niſi in multis regionibus id eſſet impeditum authoritate Principum, qui ejus vendendi arbitrium nolunt eſſe commune. Ita res ſe habebat etiam in Ditione Pontificia uſque ad tempus Benedicti XIV, qui cenſuit expedire Reipublicæ, liberum eſſe omnibus hoc commercium, cujus exemplum jam aliqui alii Principes ſunt imitati.

74. In

(1) Plu. ſpett. de la Nat. Tom. 4. Entr. 4. Le Ble. pag. 201.

74. In claſſe tandem majorum vegetabilium, arborum ſcilicet, occurrunt ſubito illæ, quæ ſylvaticæ dicuntur, quia nulla hominum induſtria ita creſcunt & multiplicantur, ut nemora & ſilvas componant, ornamenta quædam naturalia terreſtris ſuperficiei, quæ vel proſpicias, vel ingrediaris, inſolitis ſentias te occupari cogitationibus, & affectibus commoveri. His plerunque utimur ad alendum ignem, & ad conſtruenda ædificia: quæ duo ſummi momenti ſunt ad vitam. Hæc enim ſine igne, qui temperet frigus, cibos coquat, & inſtrumenta paret ad fabricandum, pereat neceſſe eſt. Eadem pariter deficit, vel miſera triſtiſque evadit ſine ædificiis domorum & navium, & eorum omnium, quibus hæc inſtrui debent, quæ quidem tot ſunt, & tam diverſa, ut Faber Lignarius in Republica ſit genus quoddam artificum, ſub quo ſunt Sector, Doliarius, Cælator, Tornator, Carpentarius, Rhedarius, & alii. Præter hos communes omnibus arboribus uſus, ſingulæ etiam ſylvaticæ præſtant particulares. Ita ſuberis cortex quamvis mollis & poroſus, omnium optimum obturamentum eſt vaſorum ad impediendam liquorum, quos continet, exhalationem. Abies, cupreſſus, terebinthus, lentiſcus, larix, ſtillant per inciſionem in ipſis factam, diverſi generis gummi & reſinas. Quercus, Robur, Ilex, Cerrus, Platanus, Taxus, Fagus, Laurus, Tilia, Cornus, Ulmus, Alnus, Carpinus, Acer, & aliæ, vel viſcus vel baccas vel vimina vel fungos, vel alias ſibi proprias utilitates ſuppeditant.

75. Omiſſis ſylvaticis dicam aliquid primo de arboribus, quæ fructus nobis ſufficiunt, quibus veſcimur, vel veſtes comparamus: deinde de illis, quæ medicinas nobis offerunt. Ex primis ſunt, Piri, Mali, Ficus, Ceraſi, Perſici, Hypomelides, Meſpili, Mori, Sorbi, Pruni, Amygdali, Nuces, Olivæ, Pinus, Piſtacia, Palmæ, Caſtaneæ, Coryli, Ziziphi & aliæ. In his piri, & mali ſufficiunt nobis jucundiſſima pulpamenta pro ſecundis totius anni menſis, ſiquidem ex diverſis illarum ſpeciebus habemus poma, quæ citius, & quæ ſerius matureſcunt. Ficus vero, arbor facilis culturæ, & promptæ vegetationis, bis in anno offert omnium ſuaviſſimos fructus nullo prævio flore; ſingulare enim in hac arbore eſt, ut fructus ipſe contineat partes aliquas, quæ ſolent eſſe florum propriæ, cujuſmodi ſunt ſtami-

na, & femina: Ad illos autem educandos opportune inſtructa eſt hæc arbor foliis amplis & robuſtis, tamquam totidem clypeis ad illos protegendos, & fortaſſe tamquam totidem colis ad illorum exquiſitam medullam præparandam. Contra vero pinus, quæ fructus educat intra ſolidam thecam ex ſuperpoſitis quaſi ſquammis concinne compoſitam, folia oſtentat, ad inſtar filorum, ſeu tæniarum, ſeu reſticularum. Commemoranda in particulari etiam eſt illa, quæ audit Malus Medica, & etiam Aurea a colore ſuorum fructuum, quorum uſus inſignis & frequens eſt in condimentis, & potionibus non ſolum ad delicias, ſed etiam ad remedium, propter acrimoniam ſucci illorum gratam ſimul & ſalubrem, ut quando ab aliis dotibus deficeret, operæ pretium eſſet illius diligenti curæ, quæ de illa habetur, continuo inſiſtere. Sed curam hanc urgent etiam ſingulares quædam ipſius proprietates: odor tam in floribus, quam in fructibus gratiſſimus, etſi in ſingulis diverſus: facilitas obſequendi voluntati hominis, per quam æque læta vegetat in ſolo immobili ac in mobili vaſe, in media area, ac prope parietem, nec minus florigera ac fructifera evadit, ſi cogas ramos emittere in formam ſphæræ, aut fungi, aut flabelli: tandem perpetua juventus in viriditate frondium, in productione florum, in educatione fructuum per totum vitæ ſuæ tempus, quod longiſſimum eſſe teſtatur illa, quæ Verſaliis anno 1733 ex ſupputatione Pluches (1) tria jam ſæcula numerabat.

76. Huc etiam ſpectant arbores quædam exoticæ, ex quibus habentur plura aromata. In his eſt illa, in cujus cortice ſubrufi coloris conſiſtit vulgo cognitum Cinnamomum. Ea nunc in ſola inſula Ceylani reperitur, cujus Hollandi potiuntur, a quibus, ut ſoli ipſi illius mercaturam exercerent, ex aliis locis, in quibus olim naſcebatur, eſt extirpata. Remanet ſolum in inſula S. Dominici, & in illis Antillarum ipſius ſpecies quædam coloris albi longe inferior, & pauci habita. Eſt rurſus & illa arbor, cujus pars quædam fructus ſunt caryophilla. Hæc quoque cum olim frequens eſſet in omnibus Moluccis, nunc in ſola naſcitur vel Ternate, vel Amboiho, una ex his inſulis ſubjecta pariter Hollandis, qui multo quidem labore, ſed optato tandem

(1) Plu. Spett. de la Nat. Tom. 3. Entr. L' Orangerie pag. 454.

dem exitu ad finem commercii eam ex omnibus aliis ſubſtulerunt. Mitto arborem frequentem in inſula Banda, alia ex Moluccis, quæ nuces muſcatas producit, indutas putamine quodam, quod Macis dicitur, quorum ambo ſunt inter aromata. Mitto etiam arborem, ſive fruticem, ex quo piper colligitur in Batavia, in inſula Borbonis, in Hollandia, in Gallia, quibus in locis multiplicata eſt ipſius ſpecies, non quidem ſatis hujuſmodi baccis, quod fruſtra fieret, quia ut hæ germinent opus eſt ſine mora illas ex arbore humi deponere, ſed translatis integris plantis.

At non reticeam tres alias arbores pariter exoticas, ex quibus potiones quædam ſatis nunc uſitatæ præparantur. Prima ſit arbor caccaum producens, quam Alexander Vitrioli in ſuis adnotationibus ad tractatum de Cocholate Antonii Colmeneri Ledeſinæ Hiſpanice ſcriptum, & Italice editum Romæ anno 1667 dicit ex Authoribus, quos citat, eſſe ſimilem Malo Medico, ſed foliis amplioribus, quæ fructus rubros inſtar peponis generat, intra quos triginta & amplius quaſi nuces inveniuntur, quæ ſunt id, quod audit caccaum. Hoc olim contritum & commixtum multis herbis & fructibus, ut videre eſt apud citatum Ledeſmam, certa inter ſe ratione ſumptis excoquebant, at modo vix aliud quicquam cum ipſo adhibetur, quam certa ſacchari, cinnamomi, & vainiliæ portio, atque hoc modo fit maſſa illa, quæ dicitur cocholates, vox ab Americanis una cum re accepta, apud quos ſignificat compoſitum, quod aliquo liquore diſſolutum redditur opportunum ad potum. Eo vulgo jam mane utuntur Itali, & magnum in eo capitis, ſtomachi, & totius corporis ſolamen inveniunt. Illud tamen eſt advertendum, caccaum quod in Caracarum regione naſcitur, longe perfectius eſſe illo, quod venit ex Maranione, in quo aſperum quid habetur, quod valde diſplicet, tolli tamen hoc poteſt eodem modo, quo lupini dulceſcunt. Analogia eſt aperta, ſed qui illam primo animadvertit, fuit anno 1767 acutus Philoſophus Andreas Bina Ord. S. Benedicti, de qua pro ſua amicitia me vir humaniſſimus admonuit, poſtquam potionem ex mera hac merce confectam laudavi ut blandam jucundam atque perfectam, quod alios feciſſe profeſſus eſt. Cum autem vim analogiæ intelligerem, ratio-

Digitized by Google

nem autem neſcirem, qua amaritiem lupini amitterent, rogavi, ut eam me edoceret, quam ipſe in caccao fuiſſet ſequutus, reſpondit nulla alia re opus eſſe, quam illud retinere per biduum in aquis currentibus. At cum audierim adhiberi in lupinis mulcendis etiam cocturam, an hanc amicus præmiſerit, per literas exquiſivi, qui negavit. Ceterum ipſe quidem per ſe rem non eſt exequutus, ſed pharmacopolæ tentandam commiſit. Quare quoniam hic rem pro voto perfecit, credo coctum ab eo prius caccaum, & deinde in aquis immerſum, quandoquidem coctura ad lupinos mulcendos omnino requiritur. Illud certum eſt me, & P. Joſephum Aſclepium, qui meam operam in aliis ſuis experimentis ſolet adhibere, nihil boni per ſolam detentionem caccai in aquis currentibus etiam per multos dies, potuiſſe obtinere. Habentes igitur infixum animo principium analogiæ, perquiſivimus rationem mitigandi lupinos. Illa, quam optimam experti fuimus, ſic ſe habet. Retine hos die una in aqua dulci: deinde infuſos nova aqua decoque, uſque dum primo ebulliant: tum immergito aquæ frigidæ, quam bis in die renovabis: die quarta habebis lupinos edules. Simili modo caccaum detentum fuit in aqua dulci per dies duos, ea bis in die renovata: poſtea decoctum in nova aqua, & per duo minuta ebullitum: tum in frigidam immerſum, quam bis ſingulis diebus mutavimus, quod fecimus, cum decoctura tepida evaſiſſet, ſed melius opinor erit, illud ſtatim extrahere ab aqua, in qua fuit fervefactum, ne iterum ingrati ſaporis cauſas abſorbeat. Nondum expleta die ſecunda ab infuſione frigidæ, quoniam cortex videbatur paulatim in fila diſſipari, ex ea extractum, ut brevi exſiccaretur, aeri expoſuimus expanſum modo ſupra unum, modo ſupra alterum pannum. Poſt tres dies ut omnis humor citius expelleretur, in quadam vaporarii ſpecie per aliam diem collocavimus. Tandem prorſus aridum artifici dedimus, ut de more illud ſubigeret, quod invenimus votis abunde reſpondens.

Secunda ſit illa arbuſcula, cujus ſemen in rubro fructu incluſum, eſt fabula illa vulgo Caffè, ex qua potio fit, olim apud ſolos Monachos Arabas, ut fertur, uſitata ad vigilandas noctes in Divinis Officiis, pro ea, quæ ineſt illi efficacia ad diſcutiendum ſomnum, at nunc magni ubique uſus poſt tot ejus utilitatis laudes,

des, quas commemorat Juſſieus in Commentariis Acad. ſcient. Pariſie. ad annum 1713. Quæ naſcitur in Arabiæ felicis regionibus Adena & Mocha, longe melior eſt illa, quæ colligitur circa Bataviam, & Madagaſcarem, & in inſula Borbonica.

Tertia, quæ ingens arbor dicitur a Pluche (1), arbuſcula vero a Dictionario Latino Taurinenſi (2), eſt illa, ex cujus frondibus, quæ The dicuntur, infuſis in aquam ferventem fit alia potio ſatis communis.

77. Ex arboribus, quæ fructus offerunt, qui ad veſtimenta noſtra concurrunt, præ cæteris eſt nominanda, quæ quaſi nuces quaſdam producit extrinſecus nigras, quæ cum maturuerint, ſponte ſua diſruptæ, goſſypium exhibent candidiſſimum: quod tamen colligitur etiam ex aliis duabus plantis, quæ arbores non ſunt, ſed altera ſerpit ad inſtar vitis, altera ad inſtar dumeti dilatatur. His abundant Aſia & America. Sed Europæi omnium optime norunt ex illis filum ducere, quod in caligas, induculas, ſtragula, & omnis generis operimenta & ornamenta convertitur. Nihil dicam de Cocco arbore Indica, de qua ferunt paſſim Authores, Lemerius (3), Martinus du Pleſſis (4), & Chambers (5), panem, vinum, telam, chartam, funes, omnia denique ad vitam neceſſaria quibuſdam gentibus, ut illis inſularum Maldiviarum, ab ipſa ſuppeditari: quæ omnia, & his etiam potiora referuntur a Derhamo (6), & Pluche (7) ex authoribus quos citant, de quadam arbore dicta Aloe Americana.

78. Inter arbores, quæ remedia nobis exhibent in morbis, etſi dici poſſit, quod unaquæque regio ſuas habeat, ſicuti etiam alia ejuſdem uſus vegetabilia, quæ pro ægrotationibus ibi familiaribus felicius naſcuntur, ut intelligi poteſt a Joanne Benorovino, auctore libri *Introductio ad Medicinam Indigenam*, quem citat Derhamus (8): nihilominus illæ quæ magis celebrantur, & communiter adhibentur, ſunt Calabrica fraxinus, ex cujus frondibus diſtillat ros quidam, qui manna audit, ex quo cathar-

(1) Pluch. Spett. de la Nat. tom. 2. Les Plantes.
(2) Dizion. verbo Te.
(3) Lem. Dizion. delle Droghe.
(4) Pleſſ. Metodo per la Geograf. l. 4. cap. 8. art. 1. §. 6. pag. 125.
(5) Cham. Dittion. art. Cocco.
(6) Der. Phyſico-Theol. B. 10. in not. pag. 420.
(7) Plu. Spett. de la Nat. Entr. Les Plantes pag. 505.
(8) Derh. ubi ſupra pag. 422.

tharticæ potiones habentur: & arbuſcula illa Scythica, cujus radix eſt amarum Rhabarbarum, obſtructiones viſcerum fortiter & ſuaviter removens: & alia arbuſcula Braſiliana, cujus pariter radix dicta Ipecacuana, præſens in multis morbis remedium eſt rite adhibita: & arbor illa Peruana, cujus cortex *China* vulgo nuncupatus, febres, quæ intermittant, diſcutit, in Italiam primo advectus (1) *anno Domini 1649, tonante id imprimis & curante Jo. Cardinali de Lugo Soc. Jeſu*, inquit Sebaſtianus Badus in ſuo de hoc cortice opere, edito Genuæ anno 1663, in quo numerat paucos illos, qui ante ſe de eodem aliquid ſcripſerunt.

SECTIO VI.

Argumentum a ſtructura corporum organicorum.

79. PRopoſitio declaratur ſexto a ſtructura corporum organicorum tum brutorum, tum vegetabilium. Si externam quis conſideret, quanta, & quam varia in illis, & ſingulis illarum partibus pulchritudo! Plantæ quæ per ſe ſtare debent, truncum habent, cujus diameter leniter decreſcit, quo magis aſſurgit: cortice ſquammoſo veſtiuntur quaſi rudi & denſa veſte, quæ contra caloris, frigoris, ventorum, & tempeſtatum inclementiam defendat fibras, utriculos, glandulas, & innumera ad vitam plantæ organa diverſæ texturæ, cum incluſis multi generis humoribus, tueatur, protegat, atque conſervet. Quam belle a ſtipite erumpunt rami ad angulum graduum circiter 45! & ita ſe componunt per omnes imas, & ſummas partes, ut dum parallelifmum affectant cum ſolo, in quo ſunt, ſuo etiam æquilibrio videantur conſulere. Nam ſi in ſolo ſint declivi, quantum ex ima parte creſcit pondus ex majori ramorum copia, tantum in ſuperiori decreſcit, & viceverſa. In plantis vero, quæ natæ ſunt ad adhærendum aliis a ſe diſtinctis corporibus, molles quidem ſunt fibræ, ſed vel claviculis quaſi digitis ornatæ, vel tæniis ſpiraliter ſe circumvolventibus quaſi manibus præditæ, quibus ſuum pedamentum apprehendunt: cujuſmodi ſunt vitis, phaſeoli, edera, & planta illa Americana, quæ fabas producit vul-

(1) Bad. Anaſtaſis Corticis Peruviæ lib. 1, cap. 2, pag. 24.

vulgo dictas Vainilia, quibus cibi aliqui, cocholates maxime, ſuavitatem acquirunt ſingularem. Qui velit internam plantarum ſtructuram agnoſcere, opus habet integra ſcientia ad illius artificium aliquo modo animo informandum, ut plane demonſtrat Marcellus Malpighius in ſua *Anatome Plantarum*.

80. Soli flores, exiguæ plantarum fere omnium partes, & ad breviſſimi temporis durationem deſtinatæ, tam vehementer admirationem noſtram Divinæ Potentiæ poſſunt excitare, ut ad illos contemplandos ipſe Divinus eorum artifex Chriſtus Dominus nos impulerit, (1) *Conſiderate*, inquit, *lilia agri. Dico vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut unum ex iſtis*. Profecto vel florum formam vel colorem quis attendat, tanta in utriſque diverſitas nunquam ab amabili venuſtate ſejuncta invenitur, ut non ſolum ſtudioſe & magnis ſumptibus diverſi generis flores excolantur in viridariis, quæ habentur tamquam requiſita appendix, vel potius pars eſſentialis ædium Principum, ſed etiam illos ſemper aliquo modo, ſin minus veros, ſaltem imitatos velimus nobiſcum eſſe, & ante oculos obverſari. Itaque ſi ad ſacras, vel profanas nuptias ſponſa ſe comparat, ſimul cum gemmis flores poſtulat ad ornatum. Si convivium ad pompam inſtruitur, talem inter epulas locum habent flores, ut triumphalia jam audiant. Si illud, quod magis eſt ſpectabile in regno, in populo, in ætate, in oratione, volumus unico verbo ſignificare, florem cum Tullio dicimus. Si de ornanda domo templo theatro cogitat Architectus, jam animo volvit roſas, heliotropia, anemones, tulipas, & diverſorum florum ſerta, quibus diſtinguat lacunaria, epyſtilia, zophoros, arcus. Qui ære, ligno, marmore, aut alio modo ſculptor eſt, tunc ſibi gloriatur, quando operi apte inſeruit aut violas, aut hyacinthos, aut ranunculos, aut alios requiſitos flores. Placent flores in ſericis e parietibus pendentibus, in aulæis ſupra menſas extenſis, in tapetis, quos pedibus terimus, in veſtimentis, quibus induimur, & cum ipſa etiam funerum mœſtitia apte aliquos ex his credimus conſociari.

Sed ut aliquid, quod ad illorum formam ſpectat dicam, recitabo illud Leſſii: Inter flores (2) *ſunt continui, diſſecti, pro-*

fun-

(1) Matt. 6. v. 28. (2) Leſſ. de Provid. n. 37. pag. 640.

fundi, repandi, in cymbam cavati, in crinem ſurrecti, in lanam carminati, alati, roſtrati, cornuti, caudati, ſpicati, in ſphæram radiatim diſpoſiti, racematim ſtipati, umbellatim diffuſi, circinatim digeſti, folio ſimplici, triplici, quadruplici, multiplici, conſtipato, in orbem extrorſum convoluto, introrſum replicato, falcato, criſpante, explanato, ſtriato, crenato, fimbriato. Quod vero ſpectat ad colores: *Sunt candidi, flavi, gilvi, luteoli, ſanguinei, punicei, cyanei, purpurei, janthini, colore ſimplici, miſcello, multiplici, ſaturo, diluto, ex rubro palleſcente, ex croceo rubreſcente, ex pumiceo purpuraſcente, aurato vel purpureo interpuncti, virgati, ſtellati, ſegmentati.* Sed quid colores diverſorum florum enumero? Si enim multæ ſunt illorum ſpecies, quæ ſub unius coloris, ſive ſimplicis ſive multiplicis habitu conſtanter ſe prodant, & aliquæ ſint, quæ ex hac parte ita variant, ut facile numerentur, ſunt aliæ contra, ut ranunculus, in quibus tot & tam diverſa pigmenta apparent, ut qui horum nomenclaturam, brevi aliquo virorum illuſtrium ſive in literis ſive in armis nomine contexere in animum ſibi induxerant, incæpto deſtiterint, copia colorum variorum ſuperante illam nominum. Quid autem dicam de illorum odoribus ſuavitate & varietate plenis? Jucundi illi ſunt ſive ſeorſim ſive conjunctim hauſti, & ſicuti oculi in faſciculo, quem roſæ, narciſſi, cariophylla, bellides, vel alii flores quicunque componant, nihil inveniunt, quod quaſi in harmoniam ſibi pergratam non conſentiat, ita neque nares. Quid ſuavius, quam ſub veſperam maxime, deambulare per viridaria, ubi mala aurea, aut roſaria, aut tuberoſi, aut lilia effluviis ſuorum florum aerem imbuunt circumquaque? Tam grati accidunt hujuſmodi odores, ut quoniam brevi novimus flores marceſcere, invitos cogamus has nobis opes pro reliquo anni tempore relinquere vel exſiccatos, vel diſtillatos.

81. Sed pueri plane ſumus, ſi in ſola florum pulchra & ſuavi ſpecie defixi hæremus, nec illorum conſtructionis ſaltem præcipuas partes diſtinctius inſpiciamus, quaſi ignotum nobis ſit, quod per ſe eſt evidens, ſine hujuſmodi floribus non haberi fructus, qui ipſummet ſemen neceſſarium ad conſervationem cujuſvis ſpeciei plantarum in ſe includunt. Atque quia flores ſunt propter fructus, ideo quando huic ſuo muneri jam ſatisfecerint,

cerint, quod brevi fit, jam perit in illis decor omnis, & ſpecies. Quæ eſt ratio phyſica perbrevis illorum durationis, quæ etiam brevior fit, quoties decerpantur, ſicuti frequenter accidit, ipſiſmet quodammodo a longe invitantibus tanta ſuæ pulchritudinis ſuavitatiſque oſtentatione. Illi, inter quos Daniel Bartoli (1), qui rationes afferunt morales de hac fugaci florum conditione, legunt admonitionem hominibus factam, (2) *ea quæ ſpectantiſſime florent, celerrime areſcere*, ut ait Plinius.

Contemplanti igitur florem occurrit primo calix, extima illius pars, & quaſi ejus ſuſtentaculum, quem componunt folia quædam molliſſima, quæ appellantur etiam perianthia. Ex calice emergunt, ipſique innituntur petala, tenera ſcilicet illa folia, alio plerunque colore, quam viridi prædita. E floris tandem medio eminent ſtamina, hoc eſt fila quædam. Hæ ſunt partes communes omnibus floribus omnium plantarum; Etenim jam conſtat fere nullam eſſe plantam, quæ ſuis floribus inſtructa non ſit. Aliqui autem ex his ſupra ſtamina habent antheras, quæ ſunt quaſi capita quædam, continentque granula quædam reſinoſa, quibus ſemen fœcundatur. Hæc microſcopium oſtendit eſſe corpuſcula regulariter organizata, quare minus proprie illis attributum fuit nomen pulveris, quo communiter appellantur. Flores, qui antheras habent, dicuntur maſculi. Alii has antheras non habent, ſed inter ſua ſtamina habent ſemen, quod incluſum tenent in pyxide, quæ ſuſtinetur a ſtylo, & deſinit in apicem: atque hi flores feminei dicuntur. Alii habent ſimul cum ſtaminibus capitatis etiam ſemen, atque hi dicuntur flores hermaphroditi. Romæ vulgus flores femineos, vel illos quoſcunque, qui deſinunt in fructus, vocat bonos: illos vero, qui maſculi dumtaxat ſunt, e contraria ratione, quod in fructus non deſinant, vocat fatuos. Hinc factum eſt, ut apud Botanicos mas dicatur planta, quæ inſtructa eſt floribus dumtaxat maſculis: & femina, quæ ſolis femineis: & hermaphrodita, quæ ſolis hermaphroditis: & androgyna, quæ flores tum maſculos tum femineos producit: & tandem Polygama, quæ habeat flores maſculos femineos & hermaphroditos.

(1) Bart. Ricreat. del Savi. lib. 1. cap. 12. pag. 185.

(2) Plin. lib. 21. cap. 1.

82. His poſitis ſemen fœcundatum tunc eſt, quando ſupra illud cecidit pulvis antherarum, & vel eam agitationem in eo excitavit certo quodam modo, de quo tamen nihil certi dici poteſt, vel aliam quamcunque modificationem, ſine qua ſemen ſuam perfectionem non conſequitur, & ſterile remanet. Quare quoties hujuſmodi pulvis vel immoderatis pluviis detergatur, vel intempeſtivo frigore, aut alia aeris intemperie corrumpatur, toties poſt flores, qui præclaram ſui ſpeciem verno tempore exhibuerunt, ſperati fructus non obtinentur. Idem experietur evenire, qui cum Richardo Bradleyo apud Pluchem (1) reſecet e floribus ſtamina, antequam flores ipſi bene explicentur; Nam quoniam hæc ſunt inſtrumenta, quibus prolificus pulvis perficitur, impedita ipſius maturitate ſterilis eſt flos, quoties ſaltem hæc planta ſemoveatur a conſortio aliarum ſibi ſimilium, a quibus recipere poſſet hujuſmodi pulveres aſportatos a vento, aut alio modo. Modus, quo hic pulvis ſupra ſemen cadat in plantis hermaphroditis, facilis eſt intellectu, ſiquidem in illis, quæ flores ad horizontem inclinatos producunt, ſtylus ſuſtinens ſemen longior eſt ipſis antheris, adeoque recipere in ſe poteſt pulverem ex illis jam maturis decidentem: In iis vero, quæ flores ſtantes habent, ſi ſemen humilius ſit antheris, jam eodem modo deciſum pulverem in ſe colliget: ſin altius ſe erigat, dici poterit ex antheris diſruptis explodi hunc pulverem, ita ut ipſum ſemen attingat. At quis explicet, quonam modo ex maſculis floribus pulvis transferatur in femineos, tum quando utrique ſunt in eadem planta androgyna, tum multo magis quando ſunt in diverſis? Etſi hic modus ignotus ſit, res tamen certa eſt. Nam ſi in cucurbita & pepone, plantis androgynis, quis importune decerpat omnes flores maſculos, feminei ſteriles evadent. Atque ſi planta feminea prorſus ſejuncta ſit ab alia maſcula, fruſtra hæc ſuos flores producet. Hinc Perſæ & Arabes dicuntur in flores palmæ femineæ ſpargere fertilitatis ergo pulverem ſtudioſe collectum e floribus palmæ maſculæ. Et celebris Carolus Linnæus Upſaliæ Regius Archiater teſtatur apud Makonem (2), Radiolam in horto Upſalenſi ſterilem fuiſſe ab anno 1702 uſque ad annnm 1752,

quo

(1) Pluche. Spett. de la Nat. tom. 3. Le Parterre §. Notre Anglois. p. 74.

(2) Mak. Compendiaria Phiſic. par. 2. §. 252. pag. 356.

quo primum mas adducta in eodem horto fuit. Rurſus cum compertum ſit in floraliis ſæpe folia florum ſe exhibere modo inſolito colorata, qui participat colorem nativum, & illum, qui proprius ſolet eſſe alterius floris, citatus Bradleyus rationem repetit ex commixtione utriuſque pulveris, dum ſemen, a quo hic novi coloris flos producitur, conciperetur. Idemque confirmat hanc ſuam explicationem dicens, expertum ſe eſſe, pulverem unius floris aſperſum ſupra alterum diverſæ ſpeciei, a quo jam antea reſciſſione ſtaminum impedierat omnem a proprio ſibi pulvere fœcunditatem, produxiſſe ſemen, quod anno inſequenti florem omnino novum explicavit, in quo utriuſque ſpeciei, e qua proveniebat, indoles apparebat: Sed nullum ad perpetuandam hanc novam ſpeciem ex illo ſemen collegit. In quibus exemplis videas analogiam haberi inter generationem plantarum & illam animalium, quoniam color medius obſervatur etiam in partubus ex genitoribus ejuſdem ſpeciei, ſed diverſi coloris: & monſtroſa ac ſterilis progenies eſt, quæ venit ab animalibus ſpecie diverſis.

83. Naſcitur autem hoc loco quæſtio, an hujuſmodi pulvis ſit congeries minimarum plantarum, quæ in ſubjecta ſemina, tamquam in uterum delabentes incrementum accipiant, quemadmodum olim aliqui vermiculos in ſemine animalium detectos cenſuerunt nova fieri animalia, quando nanciſcantur opportuna feminarum ova, in quibus adoleſcant? An potius pulvis ille ſit quaſi fermentum quoddam, quod attractum a ſemine, ibi explicet ſua elaſteria, quorum impulſu tenerum germen incipiat ſuos motus, & ſuas quaſi vitales actiones exercere? Secunda hæc explicatio, quæ a Grævio proponitur, minus aberrans a vero exiſtimatur, utpote analoga illi, qua congruentius creditur fieri animalium generatio. Sed quoniam nihil certi neque per oculos, neque per microſcopia, neque per diſcurſum adhuc habemus, res inter myſteria cum Pluche (1) numeratur.

84. Quoniam ſpecies plantarum conſervantur per ipſarum ſemina, ideo hæc munivit providus & ſapientiſſimus rerum omnium Auctor Deus repagulis ad illorum tutelam opportunis. Quando enim actu matureſcunt, florum petala ſe habent tam-

(1) Pluch. Spett. de la Nat. Tom. 3. Uſage du ſpett. §. Le fruit.

Digitized by Google

quam vallum circa ipſa poſitum, quod Sole oriente aperitur ad illius calorem excipiendum, illo autem occidente clauditur ad inimicum frigus & noxium humorem repellendum. Pro tempore autem, quo jam perfecta fuerint, aliis proviſum eſt tutamentis ſpecie diverſis pro diverſis plantarum generibus. Semina illa, quæ videmus non tam ad conſervationem ſpeciei, quam ad commune plerorumque viventium nutrimentum deſtinata, quodammodo proſtant ſimplici tantummodo membrana involuta, atque hæc diſpoſita ſunt vel ſpicatim ut in frumento, vel umbellatim ut in fœniculo, vel jubatim ut in milio. Illa vero, quæ vel nullo modo vel minus neceſſaria ſunt ad vitam, in penitioribus fructuum partibus inveniuntur: & alia quidem immerſa ſunt in materia pene liquida, quam delicata tunica conſtringit, cujuſmodi ſunt vinacei in acinis: alia involvuntur membrana, quæ mollem continet materiam, & ſimul cartilagine operiuntur, ut grana mali punici: alia veſtiuntur carnoſa materia, quam cuticula coercet vel cartilago, ut illa pirorum & peponum: alia ſunt triplici quaſi ſcuto protecta, quippe habent circa ſe tenue quaſi induſium, cui ſuperpoſita eſt robuſta teſta, quæ donec perfectionem ſuam acquirat, alitur putamine vel herbaceo, ut in nucibus & amygdalis, vel carnoſo, ut in perſicis, olivis, aliiſque baccis, vel ligneo, ut in pineis nucleis: alia corium defendit, & ſimul erinacea cruſta, ut in caſtanea: alia ordinatim diſpoſita ſunt in ſiliquis, ut illa piſorum, fabarum, lentium, cacai, vainiliæ: alia confuſe congregata intra thecam, ut illa papaveris.

85. Quid dicam de fructibus, & illorum conſtructione? Hæc admirabilis oſtenditur ex forma, ſaporibus, & duratione tam varia, quæ in pleriſque obſervantur. Suos habent fructus ſingulæ anni tempeſtates. Ver ſufficit abunde ceraſos, pruna, & mala armeniaca, quibus utpote deſtinatis ad ſubitum toleratæ hyemis ſolatium datum eſt tenue integumentum. Æſtas profert ficus, pepones, mala perſica, alioſque fructus plenos ſucco ſuaviſſimo ad temperandos temporis calores. Autumnus pyra, mala, uvas. Pro hyeme ſunt alia pyra, & alia mala, quorum medulla hoc ſolum tempore maturitatem acquirit, & rurſus caſtaneas, & nuces, & amygdalas.

Bruta

86. Bruta utpote organizationis magis perfectæ, quam ſint plantæ, ſtructuram etiam internam & externam offerunt magis admirandam. Externa piſcium ſuperficies contexta eſt e duris ſquammis concinne inter ſe connexis, quibus glutinis cujuſdam tectorium ſuperinductum eſt, quod utpote aquas reſpuens non ſolum illorum motum reddit faciliorem, ſed etiam prohibet, ne aquæ intra eorumdem ſubſtantiam penetrent, & vel per importunum frigus omnem in ipſa vitalem calorem extinguant, vel noxias qualitates ſibi ingenitas illi communicent, quibus periculis certius præcavendis addita etiam eſt ſub ſquammis pellis quædam non tenuis, ex oleoſa conſtans & pingui materia. Hinc fit, ut piſcium caro ſuavis ſit & ſalubris, etſi in aquis creverit vel inſipidis, quales ſunt in fluminibus, vel ſalſis, amaris, & noxiis, quales in mari. Ubi inferius loquar de fine, quem Deus habuit in rerum conformatione, plura alia de piſcibus huc etiam ſpectantia obſervabo.

87. In volucribus ſolæ alæ, inſtrumentum illis datum ad volandum, diu occupare poſſunt Philoſophi mentem. Aliæ enim ex quodam ſerico continuo, lævi, & diaphano conſtant, ut in muſcis. Atque hæ in illis duæ tantum ſunt, quæ ſi quando pulvere aut humido graventur, facile ab ipſis ex utraque parte expoliuntur, & abſterguntur piloſis cruribus, quaſi totidem peniculis: In apibus vero alæ ſunt quatuor, ex quibus, quæ propiores corpori, breviores etiam ſunt. Eædem in utriſque, ceu totidem laminæ ſemper ſunt tenſæ: in gryllis, ſolum cum volant, ad inſtar flabelli explicantur: in ſcarabæis ſunt quaſi ex vagina educendæ: in papilionibus villis quibuſdam tenuiſſimis conteguntur; quos microſcopium perſuaſit eſſe totidem plumas, quarum ſingulæ e ſuis alveolis erumpunt, & alteræ ſupra alteras ſe dilatant, & totam alam ſuis coloribus artificioſe variantibus admirabiliter depingunt. Aliæ compoſitæ ſunt ex tenui membrana, quaſi ex quodam molli panno, ut in Veſpertilionibus: aliæ ex pluribus partibus invicem connexis, ut in pennigeris, in quibus inſignis eſt formæ varietas, quoniam non uno omnes aves modo volant: ſed hæ ſemper prope ſolum, illæ prope nubes: hæ quaſi naves per æquor, uniformiter per aera labuntur, illæ niſu quodam per iteratos ſaltus ſe projiciunt: hæ non variant motum, niſi

niſi quantum ad majorem, vel minorem celeritatem in hanc vel illam partem, illæ mutant cum lubet ex directo in circularem, ex obliquo ad horizontem in perpendicularem, & modo immotæ in medio aere æquilibrantur, modo præcipites & ſaxo velociores deorſum feruntur.

88. In terreſtribus brutis quod primo occurrit, eſt caput mille diverſis modis conformatum omnium opportuniſſimis ad uſum vitæ illis deſtinatæ, & in multis etiam contra externas aggreſſiones armatum cornibus, ex quorum diverſis formis, acutis, directis, inclinatis, involutis, recurvis, perpolitis, nodoſis, ramoſis, rotundis, planis, brevibus, longis, plenis, vacuis vidi olim in Philoſophico Muſæo aggregatum ſatis copioſum. Eſt deinde eorumdem veſtis ſpectabilis, qua nihil aptius ad præſidium ſimul & ornamentum corporis illorum, utpote non extrinſecus ipſis impoſita, ſed iiſdem congenita, & compoſita pro ſingulis ſpeciebus vel ex villis molliſſimis, vel ex lana denſa, vel ex pilis aſperis, vel ex ſpinis, vel ex duro corio. Quoniam autem omnia bruta ſunt in gratiam hominum, ita etiam illorum pelles: quibus aptandis ad diverſos uſus quam plurimi ſunt mercatores & artifices in varias claſſes diſtributi, ut quivis intelliget, qui vel paulum reflectat, vel aliquem auctorem ut Pluchem (1) de hac re agentem conſulat.

89. In ipſis inſectis, quæ abhorremus negligimus conculcamus, quanta divinæ ſapientiæ, & magnificentiæ argumenta. Omnia prout libet ex uno in alium locum tranſeunt, ſed non omnia eodem modo. Sunt quæ ſimpliciter labuntur, ut limaces: quæ contractione unius partis, & alterius explicatione promoventur, ut lumbrici: quæ ſe demittunt ex filo, cujus quaſi glomerem in ſe continent, ut aranei: quæ ſaltant, ut locuſtæ: quæ volant, ut muſcæ: quæ pedibus incedunt, ut ſcorpiones: quæ ſaltu ſimul volatu & motu pedum valent, ut grylli. Alia pedes habent pro mole corporis breves, ut porcelliones: alia longos, ut culices: alia ſex ex his numerant, alia octo, alia multo plures, aliqua uſque ad centum. Singula armis ſibi aptis ad ſui defenſionem ſunt inſtructa, vel lorica ſquammoſa, ut lacerti: vel erectis per totum corpus pilis, ut erucæ: vel forcipe, ut formicæ: vel aculeo

(1) Pluch. Spett. de la Nat. tom. 6. Entr. 13. Les Pelleterief. pag. 442.

leo ut veſpæ, præter dentes, aut quid æquivalens ad uſum etiam veſcendi, inſtrumentum omnibus commune. In ipſis etiam, quæ minima ſunt, per microſcopium videntur ornatiſſima capita, pretioſæ veſtes, depictæ alæ, partes omnes varia pro ſingulis præditæ pulchritudine, non jam mutuo accepta ab extrinſeco, ſed liberaliter conceſſa, ipſiſque ingenita, a Divino artifice per diverſas gemmas, vittas, lemniſcos, lacinias, coronas, criſtulas, qua aureas, qua rubras, qua cæruleas.

50. In omnibus tandem animalibus occurrunt oculi ad minimum duo. Quod enim de Cyclopibus tam inter homines, quam inter bruta meminerunt non ſolum Poetæ, ſed etiam Plinius (1), inter figmenta jam rejicitur. Sed de oculis hominum dicam aliquid inferius, nunc de illis brutorum. His carere talpas crediderunt jam Ariſtoteles, Plinius, & ex his Albertus Magnus, & alii: at Galenus (2) jam olim de illis certiorem ſe reddiderat, in iiſque haberi humorem vitreum, & cryſtallinum affirmaverat, de quo recentius Derhamus (3) certum ſe feciſſe profitetur ope microſcopii poſt repetitas diſſectiones eorum globulorum, qui in capite talpæ pro ipſius oculis ab aliis jam ſumebantur. Quoniam autem oculorum munus eſt inſervire vitæ conſervationi, quærendo opportunam habitationem & cibum, & cavendo pericula & inſidias, ita ut nullum inveniamus animal cæcum, niſi illa quæ hominum cura vel in piſtrinis ad molas volvendas, vel in caveis ad venandum vel canendum conſervantur, ideo plures etiam, quam duo oculi, dati quibuſdam ſunt. De Araneis illis, qui in muſcis cibum ſibi gratiſſimum inveniunt, quem tamen aperta vi non occultis retium inſidiis, quibus aliæ ipſorum ſpecies utuntur, captare debent, dixit Daniel Bartoli (4) inveniri ſemper ſex vel octo oculos in gyrum diſpoſitos, in quibus per microſcopium contemplandis ſæpius ſe occupatum deſcribit. Hoc pacto apti illi ſunt, ut averſo etiam capite, quo terrerentur muſcæ, utpote horribili viſu, pedetentim nihil metuentibus appropinquent uſque ad eum terminum, ex quo per ſaltum illis potiantur. Ne tamen dici poſſit hoc conſilio

(1) Plin. Hiſt. Nat. lib. 6. cap. 30. Id. lib. 11. cap. 37.

(2) Gal. de Uſu part. lib. 14. cap. 6.

(3) Der. Phyſ. Theol. B. 4. cha. 2. in notis pag. 91.

(4) Bar. Ricr. de Savio. lib. 3. cap. 11. §. Hor quelle pag. 169.

ſilio tot oculos illis datos eſſe, facit, quod idem numerus oculorum obſervatur in omni araneorum ſpecie, teſte Pluche (1). In cochleis quatuor illa cornua, quæ cum moventur, pro libito exerunt, contrahunt, & circumvolvunt, terminari in lucidum oculum obſervavit jam Plinius (2), & poſt illum alii apud Derhamum (3), quorum duo propiora ſolo, ſupra quod repunt, breviora ſunt aliis duobus, quæ ab illo magis diſtant. In muſcis oculi mobiles non ſunt, ſicuti etiam in aliis inſectis: at magnam capitis partem occupant, & pro totidem ſuperficiebus convexis, & ad angulum inter ſe poſitis, quibus conſtant, multiplices ſunt, iiſque hac via poſſunt ex omni circumquaque parte intueri, & ſibi cavere ab innumeris hoſtibus, quos ubique offendunt: ſed facile volatu eos eludunt, ut exponit, & admiratur Nievventitius (4). Quid autem dicam de illorum forma & figura? Hæc in omnibus varia eſt pro varia eorum indole, & elemento, in quo vivunt. Quare diverſa etiam eſt in ſingulis perſpicacia, qualis ſingulorum vitæ conſervandæ convenit. Sicuti enim otioſe & etiam inſcite, ut alibi (5) oſtendi, dixit Tullius (6) *oculis homini datis ſe non eſſe contentum*, ita qui alios oculos fingat datos ſingulis animalibus ab illis, quibus prædita ſunt, obſervabit eos iiſdem fore inutiles, noxios, & contrarios illorum naturæ. Nonne ſi oculos tribuas viventibus aereis ejus conſtructionis, quæ eſt in aqueis, aut terreſtribus, illa jam neceſſe erit, ut non amplius magnam partem vitæ degant in volando, ſed in ſerpendo? oculi enim avium ſunt ad proſpiciendum, quæ ſunt diſtantiſſima, non ſic vero oculi terricolarum, & multo minus piſcium, in quibus humor cryſtallinus eſt figuræ ſphericæ, quia quæ convexitas unit radios lucis in medio aere ad determinatam diſtantiam, eadem non uniret in media aqua, utpote medio denſiori, ut fuſius docet Nievventitius (7). Alligaretur igitur terræ vel aquæ animal imparatum perſpicacia videndi a longe ea, quæ ipſi ad conſervationem vitæ neceſſaria ſunt. Hinc habitarent opus eſſet ſupra terram aves præditæ aliis oculis, quam illis,

quos

(1) Pluch. Spett. de la Nat. tom. 1. Entr. 4. Les Araignees §. Toute. p. 232.

(2) Plin. Hiſt. Nat. lib. 11. cap. 37.

(3) Derh. ubi ſupra pag. 91.

(4) Nievv. The Relig. Philoſ. Contemp. 22. ſec. 41. pag. 679.

(5) Diſſ. de Malo. §. 51. pag. 199.

(6) Tull. Acad. lib. n. 80. pag. 77.

(7) Nievv. ubi ſupra ſec. 33. & ſeq. pag. 670.

quos habent; jamque inutilis in illis eſſet ſuus ille pennarum alarumque apparatus, & illa totius corporis conformatio apta ad volandum. Viceverſa datis oculis avium piſcibus vel brutis terreſtribus hæc nihil jam viderent, vel fruſtra incitarentur ad vivendum in aere; Nam deficeret organizatio ad munus volandi opportuna.

91. Circa internam brutorum ſtructuram præter illa, quæ ex Anatomia edocti admirari poſſumus, facile concluditur alia eſſe innumera, quæ omnino ſupra captum noſtrum ſunt ex varietate appetitus, qui in ſingulis brutorum ſpeciebus ſe manifeſtat ex diverſis illorum operationibus, quæ ſine dubio dependent ex diverſis organis minimis, & inſenſibilibus, quemadmodum variæ inſtrumentorum muſicorum voces & ſonus dependent ex diverſa illorum conformatione. Itaque cum commune omnibus organum ſit ſtomachus datus ad nutritionem & conſervationem animalis, quam neceſſario diverſus eſt pro ſingulis fere diverſis ſpecie animalibus; Neque enim ille avium, quæ ſolo piſce aut carne vivunt, idem eſſe poteſt cum illo avium, quæ ſolis granis paſcuntur, neque ille jumentorum, quibus ſapit herba & fœnum, idem cum illo beſtiarum, quibus caro eſt alimentum. In hac autem tam neceſſaria varietate eorum, quæ pertinent ad ſtomachum, in quibus primas obtinet liquidum quoddam fermentum, quod exprimitur ex illius glandulis, utpote (1) *princeps efficiens cauſa digeſtionis ciborum*, ut ſuadet Fortunatus a Brixia contra illos, qui hanc poſt Galenum in ſtomachi calore, vel cum Pitcarnio in ejuſdem motu conſtituebant, ecce tibi ſtomachus hominis, qui neſcias quomodo participat aliorum omnium virtutem. Immo quemadmodum homo diſcernit palato non ſolum ſapores omnes, quorum guſtus diſpertitus eſt in diverſa animalia, ſed etiam alios, quos ipſe ſibi inquirit & componit, ita idem digerit non ſolum quæ propria ſunt ſingulis animalibus, ſed alia etiam, quæ bruta penitus ignorant. Ut autem huic diverſæ facultati & cæteris omnibus, quæ ſimiliter ſunt ſingulis propriæ, bruta omnia conſulant, & ſatisfaciant, quis meditando aſſequatur? quæ & quot ſint in illis rotæ, pondera, elaſteria, machinamenta, quibus ſingula cibos ſibi deſtinatos procurant,

(1) Brix. Phyſ. parti. num. 4843. pag. 430.

rant, vel per induſtriam ut pecora in campis vagantia, vel per apertam vim ut aves rapaces, vel per inſidias ut lupi, feles, aranei. Per hanc diverſitatem internæ ipſorum conſtructionis tamquam conditionem neceſſariam fit, ut bruta aliqua ad ſui conſervationem eligant opportuna ad deliteſcendum cubilia: & alia in regiones etiam remotiſſimas diverſis anni temporibus commigrent, viam tenentes omnium maxime opportunam ad invenienda neceſſaria alimenta toto peregrinationis tempore, per vaſtiſſimos terrarum mariſque tractus. Eadem diverſitas neceſſario colligitur ex ſollicitudine, quam ſingula oſtendunt de conſervatione ſuæmet ſpeciei. Exemplum eſto in illis, quæ hanc per ovorum incubationem propagant: Nidos illa jam ante conſtruunt molliſſimos, & ejus amplitudinis, quæ præciſe ſufficiat, ubi ovis depoſitis patienter defixa adhærent, quaſi norint in ovis fœtus contineri nunquam naſcituros, niſi per determinatum quemdam calorem. Quando autem illi jam in lucem prodierunt, quis dicendo complectatur induſtrias omnes, quibus tenerrimo in illos amori indulgent, quos fovent, educant, cuſtodiunt, & tuentur, donec eorum opera illis utilis ſit, vel neceſſaria.

SECTIO VII.

Argumentum a conſideratione hominis.

92. PRopoſitio declaratur nos ipſos tandem, & noſtrum genus, cujus gratia tota hæc terra creata eſt, tantiſper obſervando tum in ſe ipſo, tum in ſuis operationibus. Profecto nihil ſtructura hominis pulchrius, in cujus deſcriptione diſtinctius exornanda, tum Patres, ut Clementem Romanum (1), & Ambroſium (2), tum Philoſophos, ut Pluchem (3), quavis ætate occupatos invenimus. Eidem ſuperaddit anima novæ continuo pulchritudinis cumulum in perpetua mutatione ſenſationum, cogitationum, & actionum, quibus illa pro diverſis ætatibus & conditionibus, cum differentiis, quæ ſingulis propriæ ſunt, diverſa apparet, ita ut quæ nunquam non eſt in homine pul-

(1) Clem. lib. 8. Recog.
(2) Ambr. Hex. lib. 6. cap. 9. pag. 135.
(3) Pluc. Spettac. de la Nat. tom. 5. Entr. 3. Gouvern. de l'Homme.

pulchritudo, eadem ſit tenera in infanti, alacris in juvene, gravis in viro, veneranda in ſene, & pro quovis ipſius ſtatu novo ſemper habitu omnium decentiſſimo circumveſtita. Si hominem jam adultum, & perfectum intueamur, in eo ſtatim agnoſcimus impreſſam ſui Creatoris imaginem, & ſimilitudinem, quatenus ſolo ſuo aſpectu præſefert characterem dominii ſibi traditi ſupra res omnes terrenas, & irrationalia animantia. Hoc enunciant ipſius frons, oculi, & ſupercilia, in quibus majeſtas reſidet, quam quoties anima vult, temperat vel benevolentia, qua amatur, vel ſeveritas, qua colitur, vel iracundia, qua timetur. Idem prædicant labia, quibus ſibi ſubditos cum authoritate, & æquales cum gratia movet & dirigit. Idem inculcat forma corporis non prona in terram, ſed ipſi ſolum innitens minima ſui parte, ut poſſit ſemper pro libito facilius agere, & imperare. Idem totum caput extans cæteris membris, & ſecum habens ſenſus omnes, tamquam totidem conſiliarios & adminiſtros, per quos cum omnibus, quæ extra ſe ſunt, commercium habet neceſſarium ad bonum ipſorum uſum & gubernationem. Gaudet etiam facultate ſe movendi, quæ ſuperat illam omnium animalium; Nam ea habet varietatem in paſſibus, ut ars potuerit efformari abundans præceptis, & indigens præceptoribus. Habet dignitatem in inceſſu, agilitatem in ſaltu, facilitatem in curſu, in quibus ſiqua bruta contendant excellentiam, illam tueri nequaquam poſſunt contra hominem equo inſidentem ſibi ſubjecto, & morigero. At facultas operandi, quæ eſt in homine longe præclarior eſt, eaque relate ad hæc terrena videtur dici poſſe quædam omnipotentia, qua ſibi ſubjicit maria, quæ cogit immenſas navium moles ſuſtinere: contemnit furorem torrentium, quos objectis repagulis coercet: ridet ſciſſas a fluminibus vias, deductis ſupra illa pontibus: exigit per agriculturam ab humo diverſas ſegetes arbores & fructus, & quibuſcumque opibus potitur, quas in ipſis viſceribus montes includunt, ſive ſint lapides, ſive metalla, quorum durities non impedit, quominus tamquam cera induant, quam ipſe voluerit formam: imperat beſtiis, ut in ſuum commodum exerceant, quicquid habeant vel roboris, vel elegantiæ, vel ſagacitatis, vel etiam feritatis: & nequid deſit ad majorem ſimilitudinem cum Creatore etiam quantum ad po-

 ten-

tentiam, fulmina & terræmotus poteſt imitari, ex improviſo ſubvertens ingentes moles, ſternens minaces feras, & de vita ipſorum volatilium in medio aere pro libito diſponens.

93. Quod ſi non ad unum ſingularem hominem, ſed ad plures ſimul contemplandos convertamur, tria ſtatim in illis admiranda nobis etiam oſcitantibus ſeſe exhibent, ut opportune exponit Leonardus Leſſius (1), & poſt illum Stephanus Menochius (2), Derhamus (3), & Muratorius (4), vultus nimirum, vox, & ſcriptura, quorum diverſitas tanta eſt, quantus eſt ipſorum hominum numerus, præclaro argumento non ſolum Potentiæ, ſed etiam Providentiæ Divinæ, quæ hoc modo conſuluit ſocietatis humanæ utilitati, & conſervationi, quæ ſine hujuſmodi diverſitatibus ſubjecta fuiſſet innumeris malorum fraudibus, nec diu perſeverare potuiſſet. Obſervatio miræ varietatis vultus & vocis hominum extendi poteſt ad formam & vocem ſingulorum animalium in aliqua ſaltem ſpecie. Nam in gregibus videmus, quando jam frequentes extiterunt partus, diſtingui a ſingulis matribus balatum ſui filii, & a ſingulis filiis ſuam matrem, & illius vocem, quibus mutuo ſe advocant, quando invicem diſtent, & cum in mutuo jam conſpectu redierint, ſtatim ſeſe mutuo agnoſcunt, & directe in ſe tendunt.

94. Latius percurrendo genus humanum ſub diverſis terræ latitudinibus diſſeminatum, occurrit primo tanta in externa corporis forma conſtans diverſitas, ut illud diſpertiri jam ſoleat in diverſas ſpecies. Qui ſub zonis polo proximioribus degunt, Europæis ſtatura inferiores ſunt, & contra in aliis locis dicuntur inveniri homines Europæis longe majores. Qui ſub zonis temperatis vivunt, omnes albi ſunt. Qui ſub torrida omnes nigri, vel ad nigredinem convergentes: & aliæ quidem horum nationes nigritiem habent majorem aliis, aliæ cum ea conjunctam habent pulchritudinem: aliæ deformitatem. De hujus nigroris origine multæ circumferuntur opiniones. Aliqui dicunt illam proveniſſe a maledictione, quam Noe dedit filio ſuo Cham

erga

(1) Leſſ. de Provid. num. 106. & ſeq. pag. 673.

(2) Menoch. Stuore par. 3. cap. 67. pagin. 136.

(3) Derh. Phiſico-Theol. B. 5. ch. 9. pag. 308.

(4) Mur. Filoſ. Mor. cap. 3. pag. 31.

erga ſe irreverenti (1). Sed hæc opinio, ut obſervant Angli Hiſtoriæ Univerſalis Auctores (2) minus conſonat Scripturæ, quæ docet Chanaan filium Cham maledictum fuiſſe, cujus progenies nunquam nigra fuit. Alii dicunt, quemadmodum ex ignotis nobis cauſis, utpote ſatis complexis accidit, ut extent partus prorſus degenerantes a ſuis genitoribus, ita ex iiſdem accidiſſe, ut in progenie hominum poſt diluvium extiterint filii nigri, ex quibus deinde propagati ſunt ſimilis coloris homines, omnes congregati circa zonam torridam, ſed diſtributi in diſtinctas regiones, pro diverſis nigritiei ſpeciebus, quaſi ab albis ſeceſſerint, vel quia eos puderet cum illis habitare, vel quia ab illis propter hanc monſtroſitatem expulſi fuerint. Maupertuiſius (3) luculenter opinionem hanc promovet exemplis deſumptis ex aliis vel vitiis, vel dotibus, quæ in quibuſdam familiis perpetua videmus evadere. Ita omnes ex aliqua familia ſunt Naſones vel Labeones: oculis vel pedibus vel renibus laborantes: & niſi vitia aliqua ut Phthiſis, & Mania ita organizationem humanam corrumperent, ut illam brevi deſtruerent, videremus etiam populos integros phthiſi & mania infectos. Recentiſſime in eamdem opinionem devenit Henricus Bakerus, poſtquam vidit hominem, cujus pellis, ut habetur in Tranſactionibus Philoſophicis (4), excepto capite & facie, cooperta erat quibuſdam denſiſſimis bullulis, generaſſe filios ſimili habituali morbo affectos. Confirmatur, quia ſicuti aliquando videmus filios carere imperfectionibus, vel perfectionibus genitorum, quæ deinde iterum reviviſcunt in aliquo ex nepotibus, ita etiam nigrities, quæ fuit in aliquo avo, narratur iterum ex improviſo extitiſſe in aliquo ex poſteris, ſi credimus narrationibus Plutarchi (5), & Plinii (6).

Occurrit rurſus tanta individuorum ex omnibus prædictis hominum ſpeciebus quantitas, ut Joannes Zahn ex auctoribus, quos citat (7), credat probabiliter poſſe ſtatui ſummam hominum,

(1) Gen. 9. v. 22.
(2) Stor. Univerſ. vol. 1. par. 2. Coſmolog. pag. 3111.
(3) Mauper. Venus Phyſi. part. 2. pag. 251.
(4) Tranſ. an. 1755. n. 5. pag. 21.
(5) Plutar. De his qui ſero. cap. 9. part. 243.
(6) Plin. lib. 7. cap. 12.
(7) Za. Specula-Math. ſcrut. 4. c. 2. §. 6. pag. 12.

num, qui eodem tempore vivunt, aſcendere ad millies circiter decies centena millia: ex quibus 100 tribuuntur Europæ: 200 Africæ: 300 Aſiæ: & 400 Americæ. Et ſicuti ex his pars circiter decima quinta, aſſumendo quantitatem quamdam mediam, hoc eſt 70 milliones quotannis moriuntur, ita totidem naſcuntur.

95. Altius & intimius hominem contemplatur a tot jam ſæculis Anatome & Medicina, perpetuo ſtudio ipſius omnes partes & vim & modum agendi ſingularum perquirentes, ſed adæquatam ipſius cognitionem non ſolum nondum acquiſiverunt, ſed plane intelligunt non poſſe unquam ab illis acquiri, propterea quod mechanicam humani corporis ſtructuram inveniunt ſimilem regno cuidam ampliſſimo, cujus totidem quaſi provinciæ ſunt, Oſteologia, Myologia, Nevrologia, Angiologia, Splanchnologia, & Tractatus de partibus fluidis. Ut aliquid de quibuſdam hujuſmodi generibus dicam. Oſteologia conſiderat oſſa. Quamplurima hæc ſunt, ex quibus qua majoribus, qua minoribus, qua minutiſſimis conſtat tota machina corporis humani, non ſolum ut poſſit erecta conſiſtere, & opportunum ad varias functiones robur conſervare, ſed etiam ut facile poſſit in omnem partem ſe flectere, & membris uti pro libito expedite. Singulorum nomina dabunt Auctores Anatomiæ, quorum magna vis nominatur in Methodo ſtudii medici Hermanni Boerhaave cum notis Halleri. Ex majoribus ſunt oſſa tibiarum, femorum, brachiorum, cubitorum, (1) *quæ tamen*, dicam cum Lactantio, *non fecit ſolida, ne pigritia & gravitas retardaret, ſed cavata, & ad vigorem corporis conſervandum medullis intrinſecus plena*. Minora ſunt capitis oſſa octo: maxillæ ſuperioris duodecim, inferioris unum: dentes plerunque triginta duo, candido inducti tectorio, quod illos tueatur & ornet, ex quibus primores octo ſunt per modum cunei ad incidendum, quatuor qui illis adjacent columellares ad perforandum, reliqui viginti quadratæ formæ ad mandendum, omnes autem non ſolum ad commodiorem eſum, & feliciorem nutritionem dati, ſed etiam ad expeditam verborum formationem, & pronunciationem; Nam obſervante Lactantio, (2) *infantes non ante incipiunt fari, quam dentes habue-*

(1) Lact. de Opif. c.5. pag. 764. (2) Id. Ibi. cap.10. pag. 780.

habuerint, & ſenes amiſſis dentibus balbutiunt. Vertebræ triginta quatuor, quæ ſpinam componunt. Tria, quibus conſtat os pectoris enſiforme. Coſtæ viginti quatuor, ex quibus quatuordecim a ſpina dorſi per arcum deſinunt in os pectoris, in eoque infiguntur, ut ſint cordi & pulmonibus tamquam propugnaculum: decem vero ad pectus non pertingunt, ut ſtomachus & venter poſſint ſe libere dilatare. Tria in ſingulis digitis, quorum tamen unum in pollice intra manum abſconditur. Manus ipſæ junctis oſſiculis carpi, per quæ cubito nectuntur, diſtinguuntur in oſſicula vicena, nec minor horum numerus eſt in pedibus. Minima oſſa ſunt illa, quæ ſeſamina dicuntur certis in locis inter alia artificioſe collocata ad faciliorem articulorum motum & nexum. Quoniam autem non unus omnibus oſſibus eſt finis conſtitutus, ideo forma & connexio una in illis non eſt. Alia inſtar clavorum infixa ſunt, ut dentes: alia inciſa per modum ſerræ mutuo ſe amplectuntur, ut oſſa cranii: alia in cavam pyxidem immiſſa, & validis ligamentis revincta, ſicuti os femoris in coxæ acetabulo, & alia aliter opportune fabricata & invicem connexa.

96. Quod pertinet ad Myologiam. Hæc muſculos conſiderat, & in his numerum, formam, uſum. Forma in ſingulis diverſa. Sunt longi & breves: lati & anguſti: craſſi & tenues: recti & curvi: acuti & obtuſi: teretes & plani: & alii in aliam figuram diſpoſiti. Ut illorum uſus intelligatur, cognoſcere opus eſt fines, ad quos deſtinati ſunt. Cum decem ſingulis aſſignet Galenus (1), ſex mille juxta illum conſiderari fines poſſent, juxta alios multo plures. Uſus autem ille, qui pluſquam patet, eſt inſervire facili motui membrorum: quod obtineri non poterat, niſi per varias hujuſmodi particulas carnis, hoc enim ſunt muſculi, quæ oſſibus ſuperinductæ ſunt apto ad hunc finem modo.

97. Quod pertinet ad Nevrologiam, hujus objectum ſunt nervi, quorum ſinguli conſtant faſciculo albicantium ſeu filamentorum, ut aliqui volunt, vel ut alii cum Heiſtero (2) docent, tubulorum cilindricorum, in quibus continetur fluidum, quod ſpiritus vitales ſeu animales, vel liquidum nervorum audit

(1) Gal. de Format. foetus.

(2) Heiſ. Anatom. num. 301.

dit, admiſſum a tota antiquitate & pleriſque recentioribus cum Boerhaave & Haller. Quoniam autem nervi conſtituti ſunt inſtrumentum ſenſationum, quæ ex toto corpore in nobis excitantur, dummodo impreſſionem ſeu commotionem ſuam cerebro communicent, ideo per totum corpus diffunduntur per innumeros ramos, quos ex ſe emittunt ſtatim, ut exeunt e cerebro ipſo, vel ex ea quaſi ipſius continuatione, quæ a capite intra totam vertebrarum ſeriem protenditur, & medulla dicitur. Qui præcipui ſunt, diſtingui ſolent in conjugationes, ſeu paria circiter quadraginta, ex quibus aliqua e cerebro erumpunt, quæ communius jam dicuntur eſſe novem vel decem. Primum olfactorium dictum, quia in nares diffunditur: ſecundum opticum, quia ad oculos tendens ipſorum retinam efformat: tertium motorium oculorum, quia horum motui inſervit: quartum patheticum, quia pro diverſis animæ affectionibus varie oculos componit: quintum guſtatorium, quia inſignis illius ramus per palatum diſpergitur: ſextum abducens, ſeu intercoſtale audit: ſeptimum auditorium, quia in auribus magna ſui parte implantatur: octavum vagum, quia per diverſas corporis partes, maxime per præcordia diſſeminatur: nonum in varios muſculos ſe inſinuat: reliqua paria circiter triginta ex medulla ſpinali apparent primo erumpere, quæ ut aſſignata ſingulis munia in diverſis corporis partibus exerceant, ſtatim in innumeros ramos & ramulos dividuntur. Memoriæ cauſa hæc omnia paria his verſibus comprehenſa lego apud Fortunatum a Brixia (1).

Olfaciunt primi. Videt altera copula. Motum
Tertia fert oculis. Quarta eſt pathetica. Quinta
Olfacit & guſtat, faciemque, & viſcera jungit
Communi affectu. Has imitatur ſexta, oculiſque
Affectus animi prodit, ramumque miniſtrat
Intercoſtalem. Sed ſeptima fertur ad aures
Fauceſque & linguam, perque os diſpergitur omne.
Octava invadit variis præcordia fibris.
Par nonum, & decimum cum vertebralibus omnes,
Quos ultro expetimus, peragunt in corpore motus.

98. Ad Angiologiam pertinent canales fluida deferentes, ut

(1) Brix. Phyſ. partic. num. 4597. pag. 246.

ut Arteriæ, Venæ, Vaſa lymphatica, & alia. Ad Splanchnologiam viſcera, cujuſmodi ſunt cerebrum, cerebellum, medulla ſpinalis, pulmones, ventriculus, pancreas, hepar, lien, inteſtina, meſenterium, quæ omnia & alia non tam ſunt organa, quam organorum congeries, quorum tamen ſingula a ſingulis diſcernuntur magnitudine, figura, firmitate, connexione, officio, & ſitu, de quibus integri extant tractatus.

99. Sed omiſſis organorum generibus aliqua ex iis, quæ principalia ſunt, contemplemus. Hujuſmodi ſunt illa, quæ aliter ſenſus appellantur, & quinque communiter numerantur, viſus ſpectans ad oculos, auditus ad aures, olfactus ad nares, guſtus ad os, & tactus ad totum quidem corpus, ſed præcipue ad manus. Eſt quidem G. Lamius (1), qui tres alios ſenſus vult admittendos omnino eſſe ab enumeratis diſtinctos, famem ſcilicet, ſitim, & veneream voluptatem. Atque primi quidem ſedem ponit in orificio ſuperiori ſtomachi: ſecundi vero in gutture: tertii in obſcœnis; ex ea motus ratione, quod per hujuſmodi organa habeantur ſenſationes, ſeu perceptiones, quæ ſunt diverſæ ab illis, quæ e quinque vulgo admiſſis ſenſibus naſcuntur. Quæ ratio ſi valeret, jam podagra, cephalgia, ſcabies, & ſingulæ morborum ſpecies, quas recenſet Chirurgia, & propriæ ſunt ſingularum partium corporis, ad totidem particulares ſenſus reducendæ eſſent. Sicuti igitur ſenſationes naſcentes e ſingulis membris quoquo modo affectis ſub tactus nomine aut genere, tamquam ejus ſpecies comprehenduntur, ita & illæ, de quibus loquitur Lamyus, cujus proinde opinio utilis ſolum eſt ad excitandam diligentiam in perſcrutanda totius corporis animati ſtructura, unde tam differentes ſenſationes proveniunt.

100. Mihi ſatis eſt hoc loco oculos aliquantulum, aures, & manus contemplari. Atque oculus primo ſe offert organum, quo tum ipſummet, tum cætera omnia intuemur, prorſus admirabile. Ejus ſtructura ſcientiam Optices includit, quemadmodum inſtituta comparatione oſtendunt Franciſcus Eſchinardus (2), Cheyne (3), Derhamus (4), & alii. Qui illos hominis conſide-

(1) Lam. de l'Ame ſenſitive. part. 1. cha. 3. pag 6.

(2) Eſchin. Microcoſmus tr. 2, cap. 4. §. 5. pag. 106.

(3) Chey. Princi. Filoſof. cap. 6. §. 45. pag. 206.

(4) Derh. Phyſico-Theol. B. 4. cha. 2. pag. 87.

rat, videt duos ſingulis datos, & excelſo in loco opportune collocatos, & prominentibus undique partibus (1) *quaſi aggeribus*, ut ait Lactantius, protectos, hinc ſuperciliis, illinc genis leviter aſſurgentibus, non ſolum ut per illos, quaſi per ſpeculam anima toti corpori facilius provideret, ſed etiam ut eorum pulchritudo, & diverſi motus, & ſexcentæ animæ intentiones ex umbra circumpoſita vividius emicarent. Qui homines cum uno tantum oculo in medio frontis, aut cum duobus in medio pectoris infixos deſcripſerunt, ſunt aut mendaces, aut fabulatores, aut creduli. Videt pupillam circumſeptam tunica quadam colorata, quæ Iris audit, cujus munus eſt illam dilatare, quando lux eſt languida, coarctare vero, quando hæc ſit vividior; cujus mutationis teſtis poteſt eſſe quicunque in ſpeculo intueatur ſuos oculos, modo in loco umbroſo, modo in lucido. Videt ut cum Tullio (2) loquar, palpebras molliſſimas tactu, ne læderent aciem, munitas pilis tamquam vallo ad repellendam affluentiam tum nimiæ lucis, tum corpuſculorum per aera volitantium, & terminatas rotunda & perpolita fimbria, ex qua exſudat perpetuo quoddam oleum, quo non ſolum molles conſervantur, ſed agiles etiam ad motum, ut ad inſtar peniculi abſtergant quaſcunque minimas ſordes, quæ pupillæ adhæſerint, eaſque pro nutu animæ ſtatim claudant vel aperiant. Videt tres intra ipſos diverſæ denſitatis & coloris humores, primo aqueum, ultimo vitreum, & cryſtallinum inter hos medium, conformatum in figuram lentis utrinque convexæ, ſed minus ex anteriori parte quam ex poſteriori, ut admiſſi radioli in unum punctum congregati vellicent, prout oportet, retinam, quæ oculi fundum contegit. Videt illos ſuſpenſos intra oſſeam cuſtodiam quinque muſculis, quibus facile poſſunt extolli, deprimi, ad dexteram & ad ſiniſtram converti, & in quavis parte conſiſtere, qua ratione etſi duo ſint, multis tamen æquivalent. Videt inter varias tunicas, quæ totum ipſorum globum circumdant, choroidem, quæ eſt opaca, perforatam ex anteriori parte rotundo circulo, qui dicitur pupilla ad admittendam lucem, & quæ ab illa deferuntur objectorum imagines. Sentit eoſdem ſub veſperam opportune ingraveſcere, & ad ſomnum diſponi; Nam minus

(1) Lact. de Opifi. cap. 10. pag. 778. (2) Tull. de Nat. Deor. lib. 2. num. 57.

minus jam utiles ſunt poſt deductum a nocte ſiparium ſupra mundi nobis adſpectabilis theatrum, atque hac via neceſſariam toti corpori relaxationem, & quietem conciliare.

101. His obſervationibus rite inſtitutis paſſim auctores, ut Jo. Albertus Fabricius (1), Sturmius (2), Nevvtonus (3), Jaquelotius (4) concludunt hac ſola humani corporis particula demonſtrari ipſius effectorem eſſe ſapientiſſimum, & ante hos Melchior Canus (5), dixit demonſtrationem contra cæcum & ſtolidum caſum contineri in illo, (6) *Qui finxit oculum non conſiderat*? Quæ reipſa tam evidens demonſtratio eſt, ut Propheta viam ſibi ad illam ſternat hoc vehementi exordio, *Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite*. Profecto ſi non fiunt apta oculorum ſpecilla vel teleſcopia, niſi a docto artifice, qui directus fuerit in eorum conſtructione ab acutæ mentis hominibus, qui multum de eadem meditati fuerint, non poterit ex animo ab ullo tribui fortuito cuidam materiæ motui quotidiana oculorum renovatio in propagatione animalium, varia quidem pro variis illorum ſpeciebus, attamen ſemper uniformis.

102. Venio ad aurem. Hæc eſt organum auditus ad talia vocum diſcrimina percipienda ita conformatum, ut computante Sauveurio (7) decies millies ſuperet vim oculi ad diſcernendos colores. Nervi, qui auris fundum circumveſtiunt, ſtatim, ut erumpunt e tympano & labyrintho, dividuntur in innumeras tenuiſſimas fibras, quarum aliquæ directe tendunt ad cerebrum ſedem animæ ſaltem percipuam, aliæ ad os organum vocis, aliæ ad cor fomitem affectionum, aliæ ad inferiora viſcera. Hujuſmodi fibræ ſunt elaſticæ, & infinitis modis diverſis moveri poſſunt, ex quibus pro commercio animæ cum corpore diverſi etiam motus in anima excitantur. Da illis motum per alacrem ſonum, anima erigitur: da per languidum, mollitur: da per lætum, ridet: da per triſtem, luget: da per vehementem, iraſcitur: da per delicatum, miteſcit.

(1) Fab. Opuſ. Progr. 7. pag. 493.
(2) Stur. Exerc. Acad. 9. de Viſu.
(3) Nevv. Optic. lib. 3. in fine qu. 28. pag. 151.
(4) Jaq. Exiſt. de Dieu, Diſſ. 4. cha. derni. pag. 687.
(5) Can. de Loci. Theol. lib. 9. cap. 8. pag. 265.
(6) Pial. 93. v. 8.
(7) Sauv. in Comment. Acad. Paris. ann. 1713.

103. Venio ad manus, pro quarum uſu expeditiori Galenus (1) vult hominem erecto corpore factum eſſe, rejiciens, quod alii autumant, id eſſe propter contemplandum etiam Cæleſtia; ſunt enim etiam inter bruta, quæ æquali facilitate vel etiam majori Cælum intuentur, cujuſmodi eſt piſcis ille dictus Uranoſcopus ab oculis ſupra cervicem poſitis. Manus agilitate admirabili prædita eſt ad motum. Digitis quinque inſtruitur, ex quibus quatuor ex eadem linea aliquantiſper curva exſurgunt, quintus infra illos eſt collocatus. Omnes ſunt diſparis inter ſe longitudinis, cujus externa extremitas habet unguem ſibi eleganter inſertum. Singuli ex tribus articulis componuntur palam extantibus in quatuor primis, non vero in pollice, in quo duo ſolum ſunt expoſiti, tertius intra palmam latet, cujus pars eſt non exigua. Singuli etiam ſunt a ſingulis ſeparati, ſed ita ut mutuum contactum non recuſent. Sequitur baſis digitorum ampla, & aliquantulum cava ex interna ſui parte, quæ palma dicitur. Hæc, ut apta eſſet ad omnes motus ſibi & digitis neceſſarios prompte obeundos, non unico ſed pluribus oſſibus compacta eſt, & aptis nervis & muſculis diverſiſſimis munita, alii ſupra ipſius dorſum, ut digiti complicati poſſint extendi, alii infra ipſum, ut extenſi poſſint complicari, alii ut extremum unius digiti deducatur ad ejus radices, alii ut unus digitus ab alio in partes oppoſitas diſcedat.

104. Quales ad hæc peragenda juncturæ ſingularum partium eſſe debuerunt, tales reipſa eſſe experientia intelligimus. Quot autem canaliculi arteriales, qui ſanguinem ad omnium alimentum & conſervationem continuo deferant, & quot alia vaſa venoſa, quæ illum ad cor referant, qui ſuperfluus eſt, vel minus aptus ad nutritionis officium! In una manu tot argumenta inventionis & ſtructuræ admirabilis efficaciora evadunt ſemel, quod ambas conjunctim intueamur, in quibus omnia ſunt ſimilia, præter quam ſitum; Quæ enim in una ſunt cum certa ſerie, quæ incipit a dextra, & tendit in ſiniſtram, in altera ſimilis ſeries incipit a ſiniſtra, & tendit in dexteram.

105. Ex his habetur quædam diſtinctior notio conſtructionis manus, in qua (2) *difficile eſt*, inquit Lactantius, *expedire utrum-*

(1) Gal. de Uſu part. lib. 3. cap. 3. (2) Lact. de Opiſi. cap. 10. pag. 782.

utrumne ſpecies an utilitas major ſit. Si quid enim aliter fingas conformatum, jam multum detrahis illius venuſtati, & ad plura exercitia imparem reddis. Fac tenui cartilagine invicem junctos fuiſſe digitos, jam non habebimus amplius manum, quæ æque pulchra ſit, ſive major ſe ipſa evadat digitorum dilatatione, ſive contra minor eorum contractione per diverſos gradus in varias figuras conformatos: & inter artifices remanebunt quidem foſſores, & inter artes craſſa quædam agricultura, ſed deficient cæteræ, quæ ad multa exequenda aut perficienda frequenter totius manus operam recuſant, vel etiam duobus dumtaxat digitis exerceri poſſunt, ut ars nendi ſuendi pingendi ſcribendi: vel utuntur manu, non ut uno quodam inſtrumento rudi & deſidioſo, ſed ut plurium aggregato, quæ operentur ad numerum cum dexteritate celeritate & gratia ſingulis propria, quemadmodum apparet in iis maxime, qui fidibus canunt. Finge omnes eſſe ejuſdem roboris, molis, longitudinis, & in eodem plano poſitos, jam Herculem robuſtiſſimum commutaſti in cinædum imbecillem; Non enim erit amplius in manu vis illa conſtringendi & retinendi, quæ naſcitur ex propria ſingulis dimenſione, & ex pollice ſic appellato a vi, qua ſupra ceteros pollet, & ex hujus motu in partem oppoſitam illi, in quam moventur alii digiti. Tolle ab illis ungues, ſuſtuliſti non ſolum ornamentum, ſed armaturam quamdam ad validiores quaſdam operationes, & hebeſcit ſenſus tactus, qui ex reſiſtentia & immobilitate unguis contra oppoſitam compreſſionem vividus erat, & acris. Abſint diverſi in illis nodi, quibus connectuntur diverſi articuli, jam mancum reddidiſti hominem, & fruſtra onuſtum vel rigidis bacillis, vel mole carnis inutili. Jaceat in eodem plano tota palmæ ſuperficies, jam deficit mollis illa fovea, quæ res comprehenſas impediebat, ne etiam mediocri adhibita vi elaberentur. Concluditur itaque totam manus ſpeciem & utilitatem pendere a forma illa, quam in ſingulis ſuis partibus habet a ſapientiſſimo Creatore.

106. Porro manus utilitas & uſus tam late patet, quam ille noſtræmet mentis, & rationis. Quicquid enim cogitamus, illud manus poteſt aliquo modo effingere, & oculis ſubjicere. Quod ut appareat, diſtribuo cogitationes hominum in neceſſarias

rias

rias pro quovis tempore, neceſſarias pro aliquibus circumſtantiis, & conquiſitas ad meram commoditatem, atque obſervo ad omnes extendi manus officia. Nam cum neceſſarium homini ſit pro quovis tempore cogitare de cultu Dei, Creatoris & Conſervatoris ſui, de habitatione, de victu, de veſtitu, & de remediis morborum: pro cultu Dei habemus a manibus templa, altaria, & ſacrorum adminiſtrationem. Manus habitationes inſtruit erigens & ornans domos & urbes. Manus victum præparat, agriculturam piſcationem venationem & coquinariam exercet, innumeras quæ pro his requiruntur artes animans, & propria ſingulis arma conficit, & ipſum tandem cibum ipſamet ori miniſtrat. Manus veſtes componit ſingulis membris opportunas per inventa exercitia textoris, ſutoris, ſartoris, caligarii, eorum qui nent, & alia. Manus noxia corpori expedite ſubmovet, utilia ſtudioſe applicat, medicinas accurate diſponit. Illa cæcos ſollicite omnia pertentando ducit, & claudos vel debiles, ſtringens indefeſſa baculos & quævis opportuna fulcimenta, ſuſtinet.

107. Inter cognitiones neceſſarias homini in quibuſdam dumtaxat circumſtantiis, ſunt illæ de ſecuritate vitæ inter ignotam multitudinem, de præſidio contra hoſtes, & de tranſmigratione vel terra vel mari in meliora loca. Manus in ſingulis ocyus accurit, propugnacula opponit, armatura totum corpus circumdat, & ſexcentas vias removendi & inferendi offenſiones ex mentis directione exacte exequitur. Illa ſi terra eundum ſit, currus conſtruit, equos domat, commeatus congregat: Sin mari, ſine manu nec naves, nec innumera illa, quæ ad earum uſum opus ſunt, habentnr. Quid dicam de cogitationibus, quas homo ſuſcipit ad commodiorem vitam ducendam? Huc pertinent diſciplinæ omnes & artes, quales florent in regnis & urbibus præclarioribus. Vides ibi magnificas ædes ſacras & prophanas, publicas & privatas, templa, theatra, bibliothecas, academias, & omnis generis officinas: Nibil horum profecto ſine manibns extat. Ab illis ſunt, quæ interius ſpectantur pretioſa aulæa, egregiæ picturæ, ſudatæ cælaturæ, delicata toureumata, ſpirantes ſtatuæ. Si plena dignitatis nomina ſunt ſcientia Legum, Theologia, Hiſtoria, Chronologia, Genealogia, Philoſophia, & quæ hujus partes ſunt Medicina, Chirurgia,

gia, Anatomia, Aſtronomia, Geographia, & quæ harum elementa ſunt Geometria, Arithmetica, & aliæ Mathematices abſtractæ ſpeculationes, debent ſingulæ manibus ſuam vel conſtitutionem, vel conſervationem, vel amplificationem. Rurſus manus per characteres & notas diverſas, permanentes reddit doctorum inventiones, & voces tranſeuntes & irrevocabiles. Manus per typographiam multiplicat cujuſque facultatis inſignes cujuſvis temporis & loci magiſtros, pro ſingulis non ſolum regionibus, ſed etiam domibus, & hominibus. Manus commercium inter homines diverſis in regionibus viventes fovet per literas, quæ ſi placet, tali loquuntur lingua, quæ nota non eſt niſi illi, cui mittuntur.

108. Cum tanta ſit utilitas manus, cujus laudes alii jam præclare celebrarunt, & in his Daniel Bartoli (1), & Paulus Segneri (2), imprimis adverto plane ſtolidos eſſe, qui naturam accuſant, quod feras armatas atque veſtitas producat, hominem vero nudum & inermem. Nonne enim, dicam cum eodem Segneri (3) in datis manibus datum homini eſt armamentarium, quo poſſit terribilis eſſe non ſolum quantum lupus ululans, aut leo rugiens, ſed etiam quantum cælum tonans. Sponte autem inſanientes ſunt Epicurei, contra quos invehitur Lactantius (4), qui naſci uſum manuum, ceterorumque membrorum & rerum ex fortuita illarum præexiſtentia dixerunt. Quare juxta ipſos dicendæ manus eſſent potius magiſtræ, quam inſtrumentum artium ea abſurditate, qua quis diceret advertente Galeno, quod (5) *lyra muſicam docuit*. Sicuti igitur lyra fruſtra imponitur aſino, aut cuivis bruto, quia illa nunquam uti poterit, bene autem traditur homini, qui mentem habet, qua muſicam vel didicit, vel addiſcat, ita manus opportune datæ ſunt homini prædito mente, qua inventrice & directrice uti illis poteſt ad operationes diverſiſſimas.

109. Similes admirationes excitari poſſunt propoſitis conſiderationi aliis organis corporis præſertim humani. Narices enim referunt antliam pneumaticam: eſophagus infundibulum imita-

(1) Bart. Ricreat. del Savio. lib. 1. cap. 15. part. 248.

(2) Segn. Incredulo. par. 1. cap. 15. pag. 31.

(3) Segn. Confeſſ. Inſtrui. cap. 8. pag. 131.

(4) Lact. de Opif. cap. 16. pag. 766.

(5) Gal. lib. 11. cap. 3.

imitatur ad recipiendum cibum & potum, cui adjacet aſpera arteria, ſeu trachea, cujus ſupremam partem, laringem claudit cartilaginea lingula, epiglottis, quoties cibus eſophagum ingreditur; Nàm tracheæ munus unice eſt admittere aerem, ut ſi quid aliud caſu in illam ingrediatur, per violentam tuſſim ſtatim cogatur expellere. Componitur illa anulis ex flexuoſa cartilagine in cicutæ modum invicem conjunctis, & diviſa in duos truncos inſeritur pulmonibus, & organum muſicum format, longe ſuperans omnia manu facta. In his enim una fiſtula ſpiritalis non edit niſi paucos tonos: ibi contra unica, quotquot ſunt in re muſica, per aliquos ſaltem profert, pulmonibus, qui inſtar follis ſe habent, auram ſuppeditantibus, eoſdemque canens ad arbitrium flectit, dividit, ſupprimit, & ſexcentis modis variat, atque componit auxilio linguæ, quam dum nomino, occurrit illud Scripturæ: (1) *Lingua modicum quidem membrum eſt, & magna exaltat*. Etenim faſciculus quidam illa eſt diverſorum muſculorum, quibus ad nutum animæ poteſt protrahi & contrahi: acui & obtundi: rotundari & complanari: inflari, circumagi, percutere modo palatum, modo dentes: & in tota oris cavitate innumeros motus celeritate ſumma perficere. Alia plura de internorum organorum artificio eleganter exponit & admiratur Lactantius (2).

110. Cum tot principaliores machinæ corporę partes admirationem excitent, hanc promovent & augent ſingulæ, quas quis minute obſervandas ſuſcipiat. Quod enim credebatur unum organum, armando oculos per microſcopium deprehenditur infinitatem quamdam organorum continere. In exemplum adduco exteriorem cutim, quæ prima ſeſe offert intuentibus, ea invenitur eſſe textura ſquammarum minimarum, qua magis, qua minus denſarum, circa quas ductus obſervantur excretorii ad inſenſibilem tranſpirationem parati, quorum ſinguli naſcuntur a ſibi reſpondentibus glandulis dictis miliariis. Leuvenhoekius ſuis microſcopiis edoctus cenſuit, ductus iſtos eſſe circiter 500 circa ſingulas ſquammas, & uno granulo arenæ contegi ducentas & amplius ex his ſquammis. Quare 150 000 ductus excretorii reperiuntur in tam exiguo ſpatio, quod unum arenæ granulum

(1) Jacob. cap. 3. v. 5.

(2) Lact. de Opif. c. 11. & ſeq. pag. 783.

lum occuparet. Singulæ autem miliares glandulæ habent ſuam arteriam, venam, & nervum. Proinde plane innumerabilis eſt organorum numerus, quæ corpus humanum componunt, cum tantus ſeſe offerat viſibilis oculis communi aliquo microſcopio armatis in ſola corporis ſuperficie. Quid quod in ipſis humoribus accuratius inſpectis detegitur admirabilis quædam ex diverſis partibus compoſitio. Ita Boerhaave de ſanguine recenter effuſo ex digito leviter puncto, & recepto in vitreo tubulo, qui microſcopio opponatur, ille, inquit, (1) *apparet primum totus ruber; paulo poſt videtur confici ſphærulis rubris, quæ ſero penitus pellucido innatant. Ruber quiete perit, & ſub ipſo ſpectaculo evaneſcit, tuncque ſanguis globulos exhibet flavos, quorum ſex omnino uni rubro æquales ſunt. Deinde etiam flavus color evaneſcit, & ſphærulæ apparent, quarum ſex flavo globulo, 36 vero rubro æquales ſunt. Ibi ſiſtitur progreſſio, ſi oculis ſolis utamur.*

111. Hactenus de partibus humani corporis, quæ aliquo ſaltem modo conſpicimus. Quid vero de illis dici poteſt, quorum ſola exiſtentia ex effectibus cognoſcitur, ſed formam numerum motum ſitum actionem, nihil denique de illis præter exiſtentiam novimus? Atque hæc duplicis generis ſunt, alia, quæ ex operationibus immanentibus in ipſa anima, & alia, quæ ex, ejuſdem animæ operationibus in ipſum corpus, cui conjungitur, inferuntur. Non omnia enim organa, quibus anima utitur pro actionibus tranſeuntibus, experitur ſufficientia ad immanentes, quemadmodum manifeſtum eſt, tum ex eo, quod ex pluribus hominibus, qui eodem modo ſani vegetant, vix duos videas æquali ingenio ac memoria præditos, & æqualibus inclinationibus affectos: tum ex eo, quod idem homo uno tempore melius intelligat, promptius recordetur, & alias mere ſpirituales actiones peragat ac alio, cum cæteroquin vel eodem modo pro utroque tempore valeat corpore, & proinde actiones tranſeuntes exerceat anima æquali facilitate, vel etiam minus valeat corpore pro tempore, quo profundius intelligit. Sunt igitur in corpore hominis diverſa organa inviſibilia, quibus anima ipſi unita utitur in ſuis actionibus ſpiritualibus, quæ non minus variam in ſe formam habent in ſingulis homini, busac habeant il-

 lorum

(1) Boer. Inſtit. Medic. tom. 2. numer. 226.

lorum vultus, quemadmodum concluditur ex diverſitate, quæ apparet in actionibus, quas illi circa idem objectum exerceant.

Ex altera autem internorum organorum claſſe, quorum exiſtentiam ex effectibus deducimus, ſunt illa, quibus diverſæ res, quæ in cibum adhibentur, in materiam corporis animalis commutantur, quod illis veſcitur. Tranſeunt illæ primo in eam ſubſtantiam, quæ chylus dicitur, qui in ſanguinem infuſus, illius habitum acquirit. Quis jam hominum novit, quibus organis, aut quo modo chylus e cibis formetur, non quidem ex tota illorum maſſa, ſed ex aliquibus ſolum eorumdem partibus? Diverſas veterum & recentiorum in hac re opiniones expendens Fortunatus a Brixia (1) in ea ſiſtit, quæ dicit hujus ciborum digeſtionis cauſam præcipuam eſſe ſuccum quemdam, fermenti vim habentem, qui ex ventriculi glandulis exprimitur: ſed his auditis facile eſt concludere, quod jam olim Buffierius (2) poſt relatas ſimiles authorum opiniones dixit, nihil adhuc dictum, quod probari poſſit. Partes ciborum, quæ in chylum non convertuntur, fæces audiunt, a quibus ut illæ ſeparentur, apte diſpoſitæ ſunt in craſſa illa & pingui membrana, quæ meſenterium appellatur, venæ lacteæ a Gaſpare Aſellio primo detectæ, & ſic dictæ ab albicante liquore in illis deprehenſo, quæ quaſi antliæ quædam illum abſorbent, & in certum receptaculum, a primo illius obſervatore Pecqueto Pecquetianum vocatum, congregant, unde aſſurgit per ductum thoracicum frequentioribus valvulis diſtinctum, ita conſtructis, ut ſuperiores partes verſus aperiri dumtaxat poſſint ad intruſum fluidum ſuſtentandum, donec tandem ad venam ſubclaviam perveniat, quo ille effunditur, deſinens in ſimilem valvulam eodem modo apertu facilem ad chylum egerendum in venam cavam, non vero ad hnnc iterum intra ipſum tranſmittendum, quo ubi pervenerit, ab ipſa hac vena cum refluo ſanguine defertur in dextrum cordis ventriculum, in quo jam incipit ipſius transformatio in ſanguinem, qui per admirabilem illam alternam contractionem & dilatationem, ſeu ſyſtolem & diaſtolem, in qua continuo ſunt cordis ventriculi, impellitur ad alendas & fovendas ſummas imas internas externas, omnes denique particulas corporis ea celeritate, quæ

(1) Brix. Phyſ. partic. tom. 4.

(2) Buffier. Premi. verit. §. 504. col. 718.

quæ æſtimatur a cordis vel arteriæ alicujus pulſationibus, utpote quæ ſunt in eadem ratione cum contractionibus cordis, ita ut ex his colligi poſſit, quot circulos ſingulis horis ſanguis abſolvat, ſemel quod cognita ſit ejuſdem ſanguinis quantitas, quæ pro diverſa ætate, ſtatura, victu, & aliis circumſtantiis, ne in uno quidem eodemque homine una ſemper eſt. Sit enim hæc in dato homine uncias 200: pulſationes vero cordis ſint intra horam 4000, quarum ſingulis reſpondeant totidem ſanguinis unciæ protruſæ e ventriculo cordis ſiniſtro in truncum arteriæ magnæ, jam diviſo numero 4000 per 200 habentur in quoto circulationes intra horam viginti.

112. Utinam nobis contingat, quod olim Galeno, qui conſideratione ſtructuræ humani corporis, in Dei cognitionem & admirationem ita incenſus fuit, ut in ejus laudes eruperit, (1) *Sacrum*, inquit, *ſermonem tamquam hymnum verum compono conditoris noſtri. Atque hunc revera cultum eſſe religioſum exiſtimo, ſi tum ipſe cognoſcam, tum aliis exponam, cujuſmodi ſit ille ſapientia præditus, ac cujuſmodi vi, & cujuſmodi bonitate.* Hæc Galenus, qui nondum noverat, quæ poſt ſua tempora deprehenſa ſunt in Anatomia & Phyſica, celerem humorum circulationem, exactiorem ſtructuram cordis cerebri & hepatis, quæ ſunt tria principalia viſcera, uſum innumerarum glandularum, & valvularum ad ſecretionem & motum diverſorum corporis humorum, præter varias venas, & alia vaſa & receptacula tunc prorſus incognita, quæ omnia præſeferunt ordinationem ad fines ſapientiſſime excogitatos. Qui hæc animadvertat, concludet cum Laurentio Bellinio, (2) *Video præſens numen tuum, & cohibere me minime poſſum, quin exclamem, Magnus fabricator hominum Deus! Magnus atque admirabilis!* Atque hæc quidem ſunt aliqua de corpore humano.

113. De anima hominis jam eſſet aliquid dicendum, quæ humanum corpus informat. Ejus admirabilem naturam oſtendunt duæ illius præclariſſimæ potentiæ, intellectus & voluntas, quarum utraque neſcio quid infinitum præſefert. Anima enim per intellectum omnia rerum genera cognoſcit: omnes naturarum gradus perſcrutatur: diſtincta loco & tempore conjungit

(1) Gal. lib. 3. de Uſu partium. (2) Bell. de motu cordis.

& comparat: conjuncta dividit: & rationes univerſales a ſingularibus abſtractas per ſe contemplatur, & quæ in iis ſit ratio cauſæ vel effectus, boni vel mali, pulchri vel deformis, & alterius cujuſcumque proprietatis inquirit: neque ſolum de iis cogitat, quæ ſunt, ſed de iis etiam, quæ non ſunt, fingens ſibi cum libeat novos mundos, & iterum ſiſtens ſibi præſentia, quæ jam olim præterierunt, omnia comprehendens, & in ſe ipſa quodammodo formans & exprimens. Eadem in ſuis etiam appetitionibus prorſus illimitata invenitur; Non enim reſtringitur ad ea appetenda, quæ ad ſe, vel ad corpus, cui conjungitur, pertinent, ſed ad omne, quod verum & bonum eſt extenditur, inhians cognitionem uniuſcujuſque veritatis, & ſuis deſideriis complectens, non ſolum quod ſibi convenit, ſed omnia, quæ cuique rei ſunt conſentanea. Tanta denique utriuſque facultatis eſt amplitudo, ut nihil creatum utpote finitum poſſit ipſis ſatisfacere, ſed opus omnino habeant objecto, in quo ſit omnis veritas, & omnis, & infinita bonitas, Deo ipſo, cujus tandem ſola poſſeſſione conquieſcet.

Reſtarent nunc hominum actiones conſiderandæ, atque illæ quidem, de quibus nobis loqui licet, aliæ non ſunt, quam eæ, quæ in hac vita exercentur. Hæ habent pro fine victum, veſtitum, & ornamenta, ac delicias tum animi, tum corporis. Sed hæc ſunt genera quædam, ex quibus tamquam ex fontibus derivatur incredibilis multiplicitas diſciplinarum & artium, tum liberalium tum mechanicarum, quotquot totum hominem & ſingulas ipſius partes poſſint non ſolum tueri & perficere, ſed etiam abunde recreare. Quod autem in nulla Republica deſint, qui uni potius diſciplinæ aut arti, quam alteri ſponte ſe dedant, hoc provenit etiam ex diverſis inclinationibus inditis a Deo ſingulorum animis, ex quibus elucet Providentia Divina ſimili modo ac in diverſitate, quæ apparet in hominum facie. Sicuti enim commune eſt cuivis vultui humano habere frontem, oculos, nares, os, cæteraſque partes: ſed particulare eſt ſingulis, hæc habere cum quibuſdam ſibi propriis determinationibus, per quas ſtatim alter ab altero diſcernitur, ita commune quidem eſt omnibus ſcientiæ deſiderium, & boni ac pulchri amor: ſed proprium eſt ſingulis, hanc potius ſcientiæ, & pulchri aut boni partem adamare,

amare, quam aliam. Qui parum attente obſervet pueros, cum primum lumen rationis in illis effulget, brevi deteget particulares inclinationes, quibus ad certum quoddam officium in Reipublicæ utilitatem a Deo proviſore ſint quodammodo deſtinati. Qui amore veri præcipue trahuntur, dicas ad Philoſophiam natos, & ſeveriores diſciplinas: quibus ordo placet, præludunt ad magiſtratus: qui ædificiorum contemplantur conſtructionem, in utilibus artibus exerceri poterunt, quæ ſufficiant opportunos naucleros, architectos, duces, machinatores. Nihil dicam de iis, qui ad picturam, muſicam, poëſim facti apparent, utpote qui vel frequentius occurrunt, vel magis in oculos incurrunt. Atque tam vehementes aliquando ſunt particulares inclinationes, ut fruſtra per oppoſitam illis educationem in alias commutare quis tentat, quemadmodum paſſim hiſtoriæ nos docent, quarum aliquas commemorat Yvo Andre (1), ubi hoc Divinæ Providentiæ conſilium admiratur. Tot interea ac tanta, quæ in ſolo homine inveniuntur, quibus Divina Magnificentia ſe prodit, in cauſa jam olim fuerunt, ut ipſe idem Microcoſmus appellaretur. Sicuti enim Univerſum complectitur duo illa ſuprema rerum genera, naturam corpoream & intellectualem, ex quibus pendent tot & tanta ipſius phænomena, ita etiam homo ex utraque natura conſtat, quæ ſunt omnium cauſa, quæ ab ipſo ſuſpicimus provenire.

114. Hæc aliqua ſunt de iis, quæ nobis conſpicienda & admiranda ſe produnt in hoc mundo, & in hac noſtra terra, de quibus cum aliquam ſibi diſtinctam ideam comparaſſet David, quam expoſuit in Pſalmo 103, prout melius intelliget, qui ad ejus ſenſum facilius percipiendum adhibeat Interpretes, & præcipue Thomæ le Blanc Commentarium, jure exclamavit, (2) *Quam magnificata ſunt opera tua Domine! Omnia in ſapientia fecisti.*

Plerique jam Philoſophi & Aſtronomi, quibus conſentiunt Muratorius (3), Alphonſus Nicolai (4), Antoninus Valſecchi & alii

(1) Andr. ſur le Beau. Diſc. 8. l'amour de Beau. pag. 150. Edi. 2.
(2) Pſal. 103. v. 24.
(3) Mur. Filoſ. cap. 3. pag. 29. e 32. Id. Buon Guſto. par. 2. cap. 10. pag. 145.
(4) Nicol. Lezi. di Scritt. 10. §. Tra più moderni, pag. 131.

(1), & alii doctiſſimi viri, amplificant in immenſum occaſiones admirandi hunc mundum, dum ſingulos planetas conſiderant tamquam totidem terras, plenas propriis ſibi habitatoribus & ornatas omnibus, quæ ad illorum uſum neceſſaria ſint, quorum tamen naturam ne poſſe quidem a nobis conjici jure dicit Maupertuiſins (2). At equidem omittam hæc, quæ nondum communiter adprobantur. Sed omittendum non cenſeo, falſo Cadonicum arbitrari, (3) *mentem authorum hujus ſententiæ eſſe, ponere homines in planetis ejuſdem nobiſcum ſpeciei, etſi non audeant id dicere*, & pluſquam inanem eſſe ejuſdem timorem de hæreſi Præadamitarum in hac opinione latitante. Imprimis enim norunt illi, & qui accuratius agunt, expreſſe etiam advertunt, inferri apertiſſime ex obviis & certis principiis phyſicis, cujuſmodi ſunt diverſitas perquam inſignis in calore & denſitate materiæ, creaturas, quæ ſint in Planetis, eſſe neceſſario iis noſtræ terræ diſſimiles & diverſas. Deinde contra illos, qui adhuc nolint concipere, incolas in Planetis debere eſſe diverſæ a nobis naturæ, quis, inquiunt, non intelligat, Deum Omnipotentem poſſe non ſolum creare in genere ſpirituum, qui ad unionem ſui cum aliquo corpore deſtinati non ſunt, quot ipſi libeat diverſas ſpecies, ſicuti Angeli dicuntur a pluribus eſſe ſinguli diverſi ſpecie a ſingulis, ſed poſſe etiam creare in genere ſpirituum, qui ad unionem ſui cum corpore deſtinati ſunt, ſpecies quot ipſi placeat in infinitum diverſas, eademque ratione ſuæ Omnipotentiæ poſſe creare corpora informanda a ſpiritibus diverſæ omnino inter ſe conſtructionis & organizationis. (4) *Nulla*, dicebat jam Buffierius, *apparet repugnantia in eo, quod ſpiritus, qui ſuperet in intelligentia animam noſtram, uniatur corpori, quod cum ipſo ſpiritu habeat eam proportionem, quam habet corpus noſtrum cum noſtra anima*. Ex hujuſmodi diverſis ſpecie ſpiritibus ſimul cum corporibus ſibi deſtinatis, quocunque modo Deo placuerit, longe inter ſe diverſis, quis non videt alia viventia reſultare, quam homines, qualis Adam & nos ſumus?

Hinc

(1) Val. Fond. della Relig. lib. 1. cap. 2. num. 9. pag. 37. Id. Ibi. lib. 3. par. 2. cap. 3. num. 2. pag. 222.

(2) Mau. Coſmol. Syſtem. du monde. pag. 27.

(3) Cadon. Confut. di Derham. §. 29. pag. 335.

(4) Buff. Prem. Verit. num. 475. col. 705.

Hinc inutile prorſus eſt illud ejuſdem argumentum quod ſic habet: (1) Siqui in planetis eſſent incolæ, illi ſaltem Jovis eſſent gigantes ab ipſa ſui creatione, id confitentibus vel conjicientibus iiſdem hujus opinionis patronis: ergo nulli ſunt incolæ in planetis, ſaltem in Jove. Probat autem conſeqm, quia Deus non creat gigantes niſi in pœnam peccati; Nam gigantes ſunt monſtra, de quibus Scriptura loquitur tamquam de creaturis Deo exoſis, neque illos exhibet fuiſſe in terra, niſi poſt depravatum multis iniquitatibus genus humanum, & Angeli boni nunquam leguntur apparuiſſe in corpore gigantæo.

Reſpondetur, enim *diſt. ans.* Eſſent gigantes ab ipſa ſui creatione, ſumpto hoc nomine gigas in ſenſu metaphorico, *omitto ans*: ſumpto in ſenſu proprio, *nego ans*, *& conſeq.* Quod in hujus probationem dicitur, Deus non creat gigantes niſi in pœnam peccati, ſimili diſtinctione excipitur: reliqua autem partim omittuntur, partim conceduntur. Dico igitur ad notionem hujus nominis gigas pertinere primo corpus animatum; neque enim gigantes dicuntur arbores aut ſcopuli: deinde corpus animatum, quod magnum ſit, adeoque importari in ſignificatione gigantis comparationem inter unum animatum corpus, & alia; Magnum enim eſt terminus relativus, qui proprie ſignificat non quantitatem, ſed rationem unius quantitatis ad aliam longe minorem: Sic Bos eſt magnum animal reſpectu canis, ſed magnum amplius non eſt reſpectu elephanti. Præterea comparatio incluſa in gigantis notione eſt comparatio inter corpora animata ejuſdem ſpeciei infimæ, & ejuſdem ætatis; Neque enim dicitur gigas, bos comparatus cum muribus, aut homo cum puero. Erit fortaſſe, qui ad ejuſdem nominis accuratam notionem poſtulet etiam comparationem inter corpora dumtaxat humana, & ejuſdem ætatis. Habita præ oculis hac gigantis notione, manifeſtum eſt, philoſophos, qui expreſſe advertunt nulla corpora aut animata, aut inanimata poſſe eſſe in planetis ejuſdem naturæ cum illis hujus terræ, quando dicunt gigantes eſſe incolas Jovis, non ſumere hujuſmodi nomen niſi in ſenſu quodam metaphorico, quo quis elephantos diceret quadrupedum gigantes, ſcilicet ut exprimerent rationem dumtaxat magnitudinis

(1) Cad. Conſ. di Derh. §. 17. pag. 321.

dinis illorum corporum longe majorem noſtra ſtaturâ, quæ, ſi bene ſubduxerint rationes, quamvis in hoc figurato ſenſu gigantæa, eſſet tamen iiſdem ita conveniens, ut qui ex iis incolis ab ea abluderet, illi ſoli eſſent quid monſtroſum.

I. Inſtat (1). Scriptura non docet exiſtere alias creaturas rationales, niſi angelos & homines: ergo cum aliunde conſtet angelos non eſſe conſtitutos habitatores planetarum, & concedatur non eſſe homines, nulli ſunt incolæ in planetis.

Reſp. conc. ans, *& nego conſeqm*, quæ ſatis male infertur; Non enim omnia, de quibus Scriptura ſilet, falſa ſunt.

II. Inſtat (2). Si planetæ haberent incolas rationales, etſi non homines, illi eſſent in pura natura, hoc eſt ſine culpa & ſine gratia ulla ordinis nec ſupernaturalis, nec naturalis; Nam quicquid ratione ſuæ naturæ debitum eſt enti creato, non eſt gratia: Sed creaturæ rationales, quæ ſint in pura natura, non ſunt poſſibiles: ergo.

Reſp. nego mai. Dato quod Planetæ habitentur ab incolis rationalibus, hinc non poteſt determinate inferri, neque eſſe, neque non eſſe in pura natura. Alterutrum quidem neceſſarium eſt, quoniam ſunt contradictoria, ſed illud dependet a Voluntate Dei nobis ignota, cum ipſe tantummodo revelaverit aliqua, quæ pertinent ad providentiam, quam nobiſcum exercet. Cadonicus gratis ſupponens majorem veram, arguit inutiliter pro minori, & rurſus inefficaciter, ut alibi (3) dico.

III. Inſtant. Poſitis incolis in planetis jam renovatur ſententia Epicuri de Intermundiis, hoc eſt pluribus mundis invicem ſeparatis per media ſpatia inania, jam antea teſte Tullio (4) admiſſis a Democrito.

Reſp. nego aſſumptum. Objecta enim ſententia admittebat plures mundos, alios diſſimiles, alios ſimiles, & ejuſdem modi cum hac terra, quæ plerunque mundus dicitur, & in iis volebat, ut refert idem Tullius, (5) homines *innumerabiles paribus in locis eſſe eiſdem nominibus, honoribus, rebus geſtis, ingeniis, formis, & ætatibus*. Hanc fortaſſe voluit Lucianus traduce-

(1) Id. Ibi. §.4. p. 21. & in præfat.
(2) Id. Ibi. §.16. pag. 207.
(3) Diſſ. de Malo. num. 61. p. 213.
(4) Tul. 1. de Nat. Deo. n. 73. & Acad. 4. num. 55.
(5) Id. Aca. 4. num. 126.

Digitized by Google

ducere, dum in libro, qui per antiphraſim credo inſcribitur *Vera hiſtoria* (1) tot ſive facetias, ſive inficetias congeſſit circa incolas Lunæ, Solis, Veneris, & Cometarum, quorum aliquos finxit eſſe homines, quales nos ſumus, alios vero a nobis diverſos. Sed quicquid de hoc ſit, eam certe excludunt, qui ita ponunt planetas habitari, ut ſimul ſuadeant non ſolum non habere, ſed ne habere quidem poſſe incolas, aut alia corpora ad illorum vitam & commodum neceſſaria ſolo numero a noſtris diſtincta.

IV. Inſtant. Admiſſis incolis in Planetis jam mundus non eſt unus: ſed dici non poteſt mundum non eſſe unum; Nam hoc repugnat ſacræ Scripturæ, quæ ſemper loquitur de mundo in ſingulari, & eſt contra apertam doctrinam Patrum, & Theologorum, qui cum S. Thoma (2), unum dumtaxat eſſe mundum propugnant: ergo dici non poteſt eſſe incolas in planetis.

Reſp. diſtin. mai. Admiſſis incolis in planetis mundus ſumptus in alia ſignificatione, ac pro Univerſo, non eſt unus *conc. mai*: Mundus ſumptus pro Univerſo non eſt unus, *nego mai*. Minor excipitur cum eadem diſtinctione, & negatur conſequentia. Totius argumenti inutilitas manifeſta eſt ſemel quod certum ſit mundum ſignificare apud Scripturam, Patres, & Theologos non ſolum univerſitatem rerum omnium creatarum, ſed etiam certas partes, immo particulas hujus univerſi. Cum mundus ſumitur pro univerſo, profecto non poteſt dici niſi unus, nec opus eſt recurrere ad authoritatem, ut hoc ſuadeatur, cum evidens ſit, omnes partes alicujus rei ſimul ſumptas non conſtituere pluſquam unam rem, unde eſt illa S. Auguſtini etimologia, (3) *Univerſum ab unitate nomen accepit*. At cum Univerſum non venit mundi nomine, ceſſat omnis repugnantia in hac propoſitione; mundus non eſt unus. Certum autem eſt, & notatum jam olim ab aliis, ut Calmeto (4), in Scriptura mundi nomine modo venire res omnes creatas: modo ſolum genus humanum: modo aliquam dumtaxat hominum partem, quæ dici poſſit multitudo: modo eam ſolum hominum partem, quæ plus nimis de terrenis rebus ſollicita eſt. Cum apud Joannem de

O Ver-

(1) Luc. Ver. Hiſt. lib. 1. p. 646. lib. 1. cap. 21. pag. 658.
(2) S. Tho. 1. p. qu. 47. art. 3.
(3) S. Aug. de Gen. contra Manich.
(4) Cal. Dict. Sacr. Scrip. Art. Mundus.

Verbo Divino dicitur, (1) *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & mundus eum non cognovit*, primo quidem loco nomine mundi venire æque bene poteſt Univerſum ipſum, vel noſtra hæc terra: ſecundo vero venit hæc noſtra terra, ſive homines hujus terræ, ut obſervavit inter alios Maldonatus (2), ex ſententia etiam Patrum quos citat, & conſequenter ad alia multa, quæ ipſe ibidem innuit Scripturæ loca, quibus addo illud Apoſtoli, (3) *per unum hominem peccatum introivit in mundum*, ubi S. Auguſtinus dicit, (4) *mundum appellavit eo loco Apoſtolus univerſum genus humanum*. Quando Phariſæi de Chriſto Domino, poſtquam Lazarum reſuſcitavit, dixerunt, (5) *ecce mundus totus poſt eum abit*, ibi mundus ſignificat multitudinem dumtaxat hominum. Quando Chriſtus ipſe diſcipulis dixit, (6) *ſi de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret*, ibi mundus ſignificat ſolum eos, qui ſola curant terrena. Quid quod Scriptura aliquando ſolos homines ſignificat, etiam utens nomine mundi cum addito univerſi, ut dicens de templo Hieroſolymitano, (7) *quod per univerſum mundum honoratur*, & narrans dictum Apoſtolis, (8) *euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium*. Atque hanc acceptionem ſequitur Eccleſia Romana, quæ in Feſto Converſionis S. Pauli orat in hæc verba, *Deus qui univerſum mundum B. Pauli Apoſtoli prædicatione docuiſti*.

115. Sunt alii præterea, qui extendunt ſuas cogitationes etiam ad ingentia, & numeroſa Cometarum corpora, & in his quoque ſibi perſuadent eſſe novas habitantium ſpecies & formas ad vitam ibi ducendam accomodatas: nec ab hac opinione removentur ab iis, qui ex prænimia caloris & frigoris varietate, quam Cometæ patiuntur intra unam ſuam periodicam revolutionem, quemadmodum Whiſtonus ex dictis ſupra (§. 14.) in aliquibus oſtendit, concludunt non poſſe ibi ſubſiſtere ulla corpora organica, adeoque illos eſſe vel locum tormentorum pro ſceleratis ſingulorum planetarum, vel inſtrumentum ſupplicii ipſorum, quatenus immanes illorum caudæ ſint paratum diluvium, aut

(1) Joa. Evan. 1. v. 9.
(2) Mald. in cit. loc.
(3) Ad Rom. 5. cap. 12.
(4) S. Aug. Enchir. cap. 26.
(5) Joa. 12. 19.
(6) Joa. 15. 19.
(7) Mac. 2. cap. 3. v. 12.
(8) Mar. 16. v. 15.

aut fomes ad eorum excidium, dum a vicinia ſolis veniunt inflammati atque candentes, & alicui planetæ nimis accedunt, ut Whiſtonus (1), & illi, de quibus meminit Derhamus (2), quin tamen ullum nominet, crediderunt; Reſpondent enim, excludi illorum concluſionem a potentia Creatoris, extra quam ea dumtaxat ſunt, quæ in ſe continent contradictionem, qualis non ſolum nulla apparet in fabrica corporum organicorum ejus temperamenti, quod par ſit ſuſtinendis magnis caloris & frigoris viciſſitudinibus: ſed hujus etiam quoddam quaſi ſpecimen exhibent in noſtramet humana conſtitutione, quæ etſi ſolum natale habuerit ſub zona torrida, non proinde deſtruitur ſub frigida, & viceverſa, idemque apparet in variis brutorum ſpeciebus, quas diu in frigidis regionibus novimus vivere, etſi illuc ex calidioribus fuerint deportatæ. Cum autem longe plures ſint nobis noti Cometæ, quam Planetæ, tam abſurdum putant opinari Cometas eſſe infernum aut flagellum impiorum, quam abſurdum eſt plures eſſe carceres in una urbe, quam domos.

Sunt tandem alii, ut idem Whiſtonus (3), & Halleyus ab ipſo citatus, qui novum adhuc quodammodo theatrum rerum admirandarum ſibi proponunt, dum in viſcera ſingulorum planetarum cogitationibus ſuis ingrediuntur, quos cum cavos eſſe concludant ex quibuſdam phyſicis principiis, ita ut planetæ ſimiles ſint follibus luſoriis intus cavis, conjiciunt ibi quoque conditas & collocatas eſſe a Deo alias creaturarum ſpecies, profecto tam diverſas ab illis, quarum hic aliquam notionem habemus, quam diverſa eſt illarum ſedes a noſtra. Sed hæ conjecturæ ſunt pluſquam nimio reconditæ, & equidem nunquam illis indulgeam, niſi bene perſcrutatis antea ſingulis ſtratis terreſtribus, quæ offendat neceſſe eſt, qui penitiores globorum partes pervadat. In his occurrerent tot illa diverſiſſima corpora, quæ foſſilia appellantur, quorum ſex ampliſſima genera diſtingui poſſunt, oleum, ſal, terra, gemma, lapis, metallum. Sub oleo enim ſunt ſulphur, petroleum, naphta, & alia. Sub ſale ſunt ſal commune, ammoniacum, nitrum, vitriolum, alumen, arſenicum,

(1) Whiſt. Aſtron. Princ. part. 2. pag. 24.

(2) Derh. Aſtro. Theol. B. 3. cha. 2. pag. 35. Id. Ibi. B. 8. cha. 4. pag. 151.

(3) Whiſt. Aſtron. princ. part. 5. num. 6. pag. 93.

nicum, chryſocolla, auripigmentum, & alia. Sub terra ſunt ſabulum, argilla, limus, gypſum, ochra, ſinopis, bolus, creta. Sub gemma, & quidem ſub ſpecie gemmæ pellucidæ ſunt Adamas, qui pluris omnibus æſtimatur, in quo conſiderantur pondus, durities, & claritas: deinde pyropus ruber: balaſcius roſeus: carbunculus igneus: granatus æmulans pyropum: hyacinthus flavus: amethyſtus ſubruber: ſmaragdus viridis: beryllus cymatilis: ſaphirus cæruleus: topatius ſeu chryſolitus aureus: opalus multicolor: cryſtallum aqueum, cujus nomen ſibi uſurpavit etiam vitrum ex ſelectiori materia factum, ut obſervat Pluche (1), & ex quo ars fingit alias gemmas quaſcunque. Inter gemmas opacas ſunt ſardonyx carneus, onyx ad inſtar unguis humanæ coloratus, cyanus cyaneus, lapislazulus venis aureis ſupra planum cæſium diſtinctus, achates & jaſpis, quorum varii in infinitum colores. Sub lapide ſunt ſilex, cos, pumex, tofus, marmor, cujus innumeræ ſunt ſpecies. Sub metallis ſunt aurum, argentum, & alia, quorum ſupra (§. 29.) jam memini, quæ metalla ſunt naturalia, diſtincta ab artificialibus, quæ ſcilicet ſibi homines invenerunt, cujuſmodi ſunt aurichalcum, quod ex partibus æqualibus cupri rubri & cadmiæ conflatur: & æs ad formanda numiſmata, & heroum ſtatuas aptum, commixtis partibus æqualibus cupri, & aurichalci: & aliud æs, ex quo fiunt tormenta bellica & campanæ, uniendo cuprum cum ſtanno: & illud ex ſtanno & plumbo conſtans, quo organorum fiſtulæ, & mobiles characteres pro typographia effinguntur: & laminæ illæ, quæ colorem ſtanni, ſed firmitatem ferri æmulantur, quorum utrunque in illis dominatur ſupra acetum, gluten, & ſal ammoniacum, quæ omnia Pluche docente (2) ad has conficiendas, vulgo *latta*, requiruntur. In his aliiſque hujuſmodi, de quibus per integros libros agunt innumeri Auctores, nova pro propoſitione argumenta continentur. Sed hæc ſatis ſunt. Locum dabo nunc objectionibus.

S. E-

(1) Plu. Spett. de la Nat. Les Foſſiles. §. Je me bornerai pag. 214.

(2) Plu. Spett. de la Nat. Ent. Les Mines §. La Fabrique pag. 394.

SECTIO VIII.

Objectiones, quæ negant, terræ ſtructuram eſſe admirabilem.

116. Objicitur. Structura materialis hujus terræ vix quicquam habet, quod admirari poſſit. Nam aſpera eſt montibus, in quibus non ſolum non apparet ſapientia artificis, ſed ne veſtigium quidem artis. Rurſus eadem tegitur magna ex parte aquis præſertim maris; quod tantæ abſurditatis eſt, quantæ eſt amplitudinis. Burnetus (1), ut Derhamus (2), & Woodvvardus (3) admirantes referunt, ipſiuſmet verba proponentes, ne quis eos credat calumniatores, hoc pacto objecit. Eamdem objectionem viſus eſt approbare Hutcheſonus, ubi in ſuo tractatu de Pulchro ſupponit eſſe in hac Mundi conſtructione aliqua, quæ ab ordine & regularitate abhorrent, addens tamen hæc aliud non evincere, quam Deum eſſe liberum agens, & ſequutum in aliquibus eſſe alias rationes præter illam ordinis & regularitatis. Quod referens Formeyus (4) omnino improbat, ut inſipienter dictum, quippe tribuit Deo, quod aliquid operatus ſit ſine ordine, & ſine ſapientia. Quare; inquit, *nihil aliud reſtat dicendum, quam has irregularitates eſſe ſolum apparentes*. Apertius eidem ſuffragatus eſt Malebranchius, & poſt illum Maupertuiſius (5), qui ab invidia, quæ ex illa derivatur, viſus eſt voluiſſe ſe defendere, citans pro ſe Malebranchium, hominem profeſſione & fama Religioſum, qui ſic habet: (6) *Poſſumus ne videre aliquid magis informe, & minus regulare, quam diſtributionem fluminum, & diſpoſitionem terrarum, & marium? Philoſophis viſa eſt hæc rerum univerſitas opus Naturæ cœcæ.* Quod fuſius & etiam horribilius auditu exponit in ſuis Meditationibus, quas vocat Chriſtianas (7). Nihilominus ille reprobat eam conſequentiam, quam Athei trahunt, ſcilicet vel terram

(1) Burn. Theoria Terræ lib. 1. c. 7.

(2) Derh. Phyſico-Theol. B. 2. ch. 5. in not. pag. 47. & cha. 34. 6. p. 70.

(3) Wood. Geogr. Fiſi. p. 3. circa fin. ſec. 1. a pag. 117.

(4) Form. Diſc. prelimi. a le Beau du P. Andre. §. Obſervons. pag. LXV.

(5) Maup. Oeuvres. Avant-propos de Coſmolog. pag. 9.

(6) Mal. Traite de la Natur. & de la Grace. diſc. 1. num. 22. pag. 42.

(7) Id. Medi. Chreti. 7.

ram hanc eſſe a caſu, vel eſſe a tali cauſa, quæ non ſit perfectiſſima: & contra concludit univerſitatem rerum eſſe opus omnium perfectiſſimum, habito tamen reſpectu ad leges generales ſimpliciſſimas, nimirum motum per lineam rectam, & communicationem motus unius corporis alteri pro ratione maſſæ utriuſque, quas ſolas ſibi Deum ſtatuiſſe vult, utpote ſolas, quæ ſint dignæ mente infinita, quod eſt idem ac deſtruere ſuum illud antecedens, & pugnantia inter ſe loqui, quemadmodum ex alio etiam capite illum contradictionis arguit Arnaldus (1), quod ſcilicet Terræ partes dixerit particularibus legibus nobis ignotis factas eſſe a Deo, qui ceteroqui per hoc ſolum omnia ſapienter juxta ipſum facit, quia facit per leges generales. Hi omnes imitati ſunt Lampſacenum Stratonem inter primos Ariſtotelicæ Scholæ Coriphæos, qui referente Tullio (2) contendit mundum qualis eſt, formatum fuiſſe a cauſa neceſſaria & non cognoſcente, & Sophiſtas illos, quos Galenus accuſat, (3) *quod cum nondum invenire, neque exponere opera naturæ queant, eum inertia atque inſcitia condemnant*, & Epicureum Lucretium, cujus hæc ſunt.

Nequaquam nobis divinitus eſſe paratam
Naturam rerum: tanta ſtat prædita culpa.

117. *Reſp. nego aſſumptum*, cujus etiam probationem nego, quæ fortaſſe ſtatim appareret per ſummam cæcitatem effutita, niſi a pluribus alicujus nominis philoſophis fuiſſet prolata. Propter quam cauſam credo, qui hos confutant, ut Nievventitius (4), Keill (5), Cheyne (6), Derham (7), Voltaire (8), Muratorius (9), non omiſerunt rationes, quibus ea neganda ſit afferre, obſervantes ſapientiſſimam in ſingulis terræ partibus conſtructionem, atque diſpoſitionem. Hos imitabor dicendo primum aliquid de Montibus.

Montes duplicis generis ſunt, alii in prima telluris formatione

(1) Arn. Reflex. ſur. le ſyſtem. de la Nature & de la Grac.

(2) Tull. Acad. lib. 4. n. 121. p. 102.

(3) Gal. de Uſu part. lib. 10. cap. 9.

(4) Nievv. Relig. Philoſ. Contempl. 19. a ſec. 31. pag. 496

(5) Kei. Examen Burneti Theoriæ.

(6) Chey. Princ. Filoſ. cap. 5. §. 29. pag. 165.

(7) Der. Phyſico-Theol. B. 3. ch. 4. pag. 70. Id. Aſtro-Theol. B. 5. cha. 4. pag. 87.

(8) Vol. Oeuvr. tom. 6. ſur les changemens dans notre globe. pag. 7.

(9) Mur. Fil. Moral. c. 23. p. 177.

Digitized by Google

tione conſtituti, & dici poſſunt primarii, alii exorti ex viciſſitudinibus particularium locorum, ut terræmotibus, qui montes ſecundarii dicentur. Diſtinctionem hanc circa montes ſatis communem rejecerunt aliqui apud Leſſium (1), & Pererium (2), qui nullum nominant, ſed plures jam nominari poſſunt, putantes omnes montes a terræmotibus duxiſſe originem. At imprimis hiſtoriæ de montibus per terræmotus ſolo æquatis, & etiam peſſumdatis frequentes ſunt, & contra admodum raræ de montibus per illos excitatis. Deinde obſervationes circa montes, qui, cum ſine controverſia eruperint ex aliquo terreſtris ſoli violento tumultu, ſtrata ſua exhibent alio modo diſpoſita, ac ſunt in ſubjecta eiſdem planitie, non ſolum ſuadent diſtinguendos eſſe montes primarios a ſecundariis, ſed oſtendunt, inordinatam diſpoſitionem in ſtratis componentibus habendam eſſe tamquam characterem montis ſecundarii. Ita mons ille, qui anno 1538 prope lacum Averni extitit, & Mons novus vulgo appellatur, palam habet hanc ſtratorum perturbationem, cuique viſibilem, qui e mari, a quo non diſtat, illum obſervet, ut iterum iterumque Jo. M. de Turre (3) teſtatur, apud quem (4) videri poſſunt hiſtoriæ de montibus hac via vel dirutis vel natis. Tandem illud, quod Geneſis narrat tertia ab initio rerum die apparuiſſe aridam, & factas eſſe congregationes aquarum, quæ appellatæ fuerunt maria, ſicuti plane ſignificat totam terram fuiſſe antea aquis obrutam, ita videtur etiam declarare hac ipſa die formatos montes, quos dicimus primarios. Da enim terræ æquabilem rotunditatem, aqua ſupra totam illius ſuperficiem componetur: tolle hanc rotunditatem, extracta in multis ejuſdem partibus magna quantitate materiæ, eaque alibi congeſta, jam habentur montes, & congregationes aquarum ex illarum defluxu in depreſſa loca juxta leges gravitatis, & apparet arida non ſolum in montibus magis jam extantibus, ſed etiam in litoribus & campis. Alia Scripturæ loca, quæ huic explicationi circa formationem montium favent, expendit Pererius (5).

Qui aliam faciem Terræ eſſe poſt diluvium contendunt, ac fue-

(1) Leſs. de Provid. n.58. pag.644.

(2) Perer. in Gen. lib. 1. opus tertiæ diei. pag. 75.

(3) Turr. El. Phyſi. tom. 5. num.8. pag. 13. Id. Ibi. n. 75. pag.76.

(4) Id. Ibid. pag. 9.

(5) Perer. In Geneſ. lib.1. p.73.

fuerit ante diluvium, nihili faciunt hanc conjecturam de formatione montium ea die, qua facta ſunt maria, tribuentes Deo Creatori, quod ipſam materiam, quam voluit recedere ad formandas congregationes aquarum, diſtribuerit per totam terram modo uniformi & æquabili, qui ejus ſuperficiem planam conſtitueret. Sed hi nihilominus diſtinguunt montes primarios a ſecundariis, & primarios dicunt factos occaſione diluvii, contendentes terræmotu generali concuſſam terram, quando pluviis cadentibus e Cælo confluxerunt illæ etiam Abyſſi, quæ hoc modo per illos diſrupta fuit. Non moror nunc hanc opinionem, de qua inferius dicam. Sed quoniam his non placet dici montes primarios factos in prima telluris formatione, dicamus factos in ejus reformatione tempore diluvii. De ſecundariis montibus nihil dicam; ſunt enim pauci comparati cum primis.

118. Primarii itaque habent inſignem in ſua ſtructura varietatem, ut erudite declarat Buffonius (1), quæ quam mirifice genus humanum univerſum delectet, teſtatur obſervante Derhamo (2) ſenſus ille lætitiæ, quem nemo non experitur, qui ex monte proſpiciat ſubjectos campos, lacus, flumina, oppida: vel ex campo intueatur aſſurgentes late montes & colles ad diverſas inter ſe diſtantias, & ſitus diſpoſitos. Qui pictor aut poëta eſt, mente jam ad hujuſmodi aſpectum totus incaleſcit, & inſolitis cogitationibus ſe ſupra ſe evehi ſentit, & quivis e vulgo exclamat, Proh pulcher aſpectus! Montes ſunt quaſi promi fontium & fluminum etiam perennium, quatenus congregant in cavernis, quæ in ipſis ſunt, vel in late ſparſis vacuitatibus, tum aquam pluviam, tum illam, in quam convertuntur vapores, qui late per aerem volitantes, ad montes tandem, qui illorum ulteriores excurſiones impediunt, reducuntur. Aquam hanc illi in ſe recipiunt per eas rimas, quibus omnis montium exterior ſuperficies abundat, quæ plerunque per vias ad Horizontem perpendiculares tendunt in ipſorum penitiores partes ad varias profunditates. Frequentiſſimæ autem apparent hujuſmodi rimæ in omnibus montibus, ubi abrupta illorum ſtrata, ſive ſint ex terra, ſive ex lapidibus, ſpatium aliquod intermedium vel vacuum, vel

(1) Buff. Preuves de la Theor. lib. 1. art. 9.

(2) Der. Phyſico-Theol. B. 3. cha. 4. pag. 71.

vel rara ſolum aliqua materia, ceu ſabulo plenum relinquunt. Quis autem non videt, ſine fontibus & fluminibus actum fore, tum de pluribus artibus, in quibus tanta pars roboris & vitæ civitatum poſita eſt, cujuſmodi ſunt, quæ ſegetes nobis conterunt, ligna & lapides diſſecant, metalla ſubigunt, chartam conſtruunt, aliæque, quæ ab aquis fluentibus vitam ut ita dicam habent, per eas enim multo laboris & temporis compendio exercentur: Tum de navigatione per medias terras, cujus beneficio facile conſulitur neceſſitatibus & deliciis diverſarum provinciarum, ita ut ſtuduerint ſæpe Principes ibi aperire flumen navigabile, ubi naturaliter deerat, vel diviſo magnis ſumptibus longo terrarum tractu, vel aliis viis magna aquarum multitudine congregata, quæ ad nutum hominum flueret. Aliqua de his quæ dico, exempla dabit Pluche (1): Tum de fertilitate tot regionum, quarum illæ, quæ minus aquis abundant, minus etiam vigent, & quæ nullas habent, deſerta jure audiunt: Tum demum de vita omnium fere hominum & animalium, & de ſolatio maximæ viventium omnium partis; Nam nulla alia aqua ſaltem utilis haberetur in terra, niſi per pluviam, ut jampridem obſervarunt Varenius(2), Derham (3), Kingius (4), Pluche (5), & ad ripas fluminum oblectamentum capiunt non ſolum homines, qui circa ipſa libentiſſime habitant, vel ſpatiantur, ſed ipſa bruta terreſtria & aerea, quibus illa ſemper abundant.

119. Hinc ad argumentum mentis, quæ ſapientiſſime montes non ſolum conſtruxit, ſed etiam diſpoſuit, obſervantur illi ubique aptiſſime diſtributi. Exemplo ſint montes Africæ, qui a promontorio Bonæ ſpei, ubi Africa paulatim ſe reſtringens deſinit, ſeſe extendunt invicem connexi ſecundum circulos latitudinis, uſque dum ad flumen Zairam devenerint, ubi, ut tranſitum huic flumini pateat, interrumpitur eorum catena, quæ iterum eodem ordine incipit, donec in amplius ſpatium diffuſa Africa, ut locus detur flumini Nigro, mutant directionem, & ſecundum longitudinis circulos ſeſe diffundunt. Ex his pariter originem

P habet

(1) Plu. ſpettac. de la Nat. Entr. Les Rivieres.

(2) Var. Geogr. lib. 1. cap. 10.

(3) Der. Phyſico-Theol. B. 3. chap. pag. 76.

(4) Kin. de Orig. mali cap. 4. ſec. 5. num. 6. pag. 67.

(5) Plu. ſpett. de la Nat. Les Montagn.

habet Nilus, de qua quam multi diſſeruerint, videri poteſt apud Ricciolium (1): Illius tamen verus fons creditur detectus a Petro Pays e Societate Jeſu Luſitano anno 1618. 21. Aprilis, quem citat nuper Dictionarium Portatile Geographicum, verbo Nilo. Narratio hujus detectionis exarata ab ipſomet Pays habetur apud Kircherum (2), quæ quantum ad ſubſtantiam conſonat cum ea, quæ legitur in libello Florentiæ edito anno 1693, cujus titulus *Relazioni varie cavate da una traduzione Ingleſe dell'Originale Portogheſe*, quarum Italica verſio jure tribuitur celebri Laurentio Magalotto. At ſi ſermo ſit de ſalubri Nili eruptione & inundatione, quæ quotannis accidit, hæc originem habet ab Eteſiis per plures hebdomadas continuo a Borea ſpirantibus, & immenſam vaporum vim impellentibus contra Africanos montes, ubi coacti in pluviam reſolvuntur. Rurſus frequentiores montes, iique altiores inveniuntur in regionibus prope Aequatorem, quam prope Polos, ut regioni illi radiis Solis magis expoſitæ, eſſet opportunum, & frequens levamen ab aquis pluviis, in quas præaltorum montium catena cogit vapores, dum illis per aera vagantibus reſiſtit. Quid plura? Qui reparationem afflictæ valetudinis in elevatis locis ſub aere ſubtiliori, & magis defæcato invenit: qui ſecuritate ſuæ regionis ab infeſtis alienigenis poſt hujuſmodi a natura diſpoſitas munitiones fruitur: qui vim ventorum obſervat hiſce impedimentis infringi, ne tam vehementer ſæviant, ut in Oceano faciunt: qui hac via extenſionem ſui dominii auctam conſiderat: qui a montibus facile extrahit omnis generis lapides, tum vilis pretii, ut vulgaria ſaxa, tum mediocris, ut marmora, tum pretioſi ut gemmas: qui neceſſariam lignorum & arborum copiam, tum ad comburendum, tum ad ædificandum ſive domos, ſive naves e montibus eruit, ubi citius creſcunt beneficio abundantium vaporum, quibus per folia præcipue aluntur: qui in locis declivibus, & apricis dumtaxat, reperit generoſas vites, & optimos fructus, ubi ſcilicet per inclinationem ſoli ad Horizontem, radii ſolis directe in plantas incidunt, qui aliter oblique caderent, & meliorem ſuccum in illis perficiunt: Qui venatores videt e ſolis montibus

(1) Ricci. Geogr. Reform. lib. 6. cap. 19. num. 9. pag. 216.

(2) Kir. Oedip. Aegypti. Syntagm. 1, cap. 7. pag. 57.

tibus educere piloſos urſos, molles lynces, villoſas martes, albas muſtellas, aliaque ad diverſos uſus utilia animalia: qui botanicos obſervat præponere medicis herbis, & plantis, quæ in hortis educantur illas, quæ ſponte ſua in abruptis locis naſcuntur: qui mineralium & metallorum vim & uſum intelligit, quæ latent quidem intra terram, ut libera nobis eſſet ad meſſes & plantas illius ſuperficies, ſed ſimul etiam quaſi ad manus ſunt in montibus collocata, ne crederemus piaculum eſſe ea effodere, ut Horatius (1), & Ovidius (2) finxerunt, is cognoſcet & admirabitur multiplices montium uſus, de quibus præclare Bertrandum egiſſe in libro *Uſages des Montagnes*, teſtatur Jo.M. de Turre (3).

120. Venio ad aquarum amplitudinem. Hæc ſapientiam Divinam oſtendit, quia tanta opportune aquarum copia & congregatio reſpondet neceſſitatibus terricolarum. Nam cum vera & recepta ſit ſententia illa Plutarchi, (4) *abſque aquæ elemento nulla conſtat aut perdurat natura*, intelligitur, cur amplitudo ſuperficiei aqueæ in terra major ſit, vel ſaltem æqualis aridæ extenſioni, ſicuti ſtatuunt Fabricius (5), Beniaminus Martinus (6) Varenius (7), & qui de hac re inquirunt: cumque vera etiam ſit altera obſervatio, quod aqueæ evaporationes fiunt maxima ſaltem ex parte ſecundum rationem ſuperficiei, non vero profunditatis aquæ, intelligitur etiam male illos cogitare, qui dantes neceſſitatem tantæ aquarum multitudinis, vellent illas in profundiores alveos congregatas, ut plus terræ aridæ ad uſus hominum relinqueretur; Deficeret enim tunc obſervante Derhamo (8) debita vaporum quantitas ad requiſitam pluviam, & alios humores. Neque hæc ſola eſt utilitas, vel potius neceſſitas ingentis hujus extenſionis, ſed illa præterea, ut homines magna locorum diſtantia ſejuncti poſſent facilius ſocietatem & bonorum communicationem inter ſe inſtituere & conſervare. Non ſolum enim brevi iter mari conficitur, ſed etiam per uni-

(1) Hor. Carm. lib. 3. Od. & Ode 24.
(2) Ovid. Metam. 1.
(3) Tur. Elem. Phyſ. tom. 5. §. 141. pag. 152.
(4) Plut. lib. Aquane an ignis.
(5) Fab. Theologie de l'Eau lib. 2. cha. 2.
(6) Mart. Gramm. delle ſcienze p. 4. cap. 3.
(7) Var. Geogr. lib. 1. cap. 18. propoſ. 18.
(8) Derh. Phyſico-Theol. B. 2. cha. 5. not. pag. 48.

cam navim ipſi impoſitam, ea mercium copia tranſvehitur, quæ itinere terreſtri indigeret ingenti curruum apparatu. Sit navis oneraria ex minoribus, quales ſunt quæ deferunt dolia quinquaginta, quorum ſingula teſte Pluche (1) æſtimantur libras bis mille ex ſexdecim unciis, jam ſi hæc tranſportanda eſſent per trigas, diſtributis in ſingulas libris ter mille, quæ pro itinere plurium dierum ſunt pondus æquo majus, non ſatis eſſent plauſtra tria ſupra triginta cum totidem proinde aurigis, & equis novem ſupra nonaginta. Quod ſi navis oneraria ſit ex majoribus, quæ includunt dolia quingenta, peracta horum diſtributione ſimili modo in currus, adhuc aliquid ſupererit, poſtquam impletæ fuerint trigæ 333, & occupati totidem harum directores cum equis ferme mille. I nunc, & compara tantam hominum & animalium multitudinem cum parva illa manu, quæ requiritur ad navis regimen. Per hanc navigationis viam Imperium ſeptem Provinciarum Belgii Fœderati, quod extenſione quidem loci non ſuperat Normanniam, fertilitate vero longe illi inferius eſt, par opibus evaſit præcipuis Europæ regnis. Ex quo apparet Horatium, ubi abſciſſas a Deo terras Oceano ad oppoſitum finem credens, impias vocavit, quæ (2)

Non tangenda rates tranſiliunt vada,

plus nimio comprobaſſe ſe poëtam, cui quidlibet audendi voluit jam datam poteſtatem.

121. Rurſus maria ſalſa etiam voluit eſſe illorum Creator, tum quia attemperari debuerunt generi illi ampliſſimo eorum piſcium, quorum vita non conſervatur, niſi in aqua ſalſa: tum quia per ſolum motum ex reciproco æſtu & ventis non ſatis cautum fuiſſet ab eorum infectione & putrefactione: tum quia opus erat, proſtaret ubique ſal, ut homines haberent ad manus, unde ſibi alimenta quotidie condirent; ex mari enim communiter extrahitur ſal commune: & ut ejuſdem ſubtiliores partes, ſine quibus nulla fit plantarum vegetatio, una cum vaporibus vi caloris, aut alio modo elevatæ ubique ſpargerentur. Præterea cum tota fere ſuperficies terræ ſuis inſtructa ſit incolis rationalibus, præter maria, quæ ſunt ad omnium uſus parata, opus etiam erat ad

(1) Plu. Spett. de la Nat. Tom. 3. Entr. 22. Le Mer. §. On compte. p. 465.

(2) Hor. lib. 1. Od.

ad uſus particulares diverſorum locorum, particularibus aquarum congregationibus, fluminibus ſcilicet, lacubus, paludibus, ex quibus neceſſarii tot viventibus humores per vim maxime Solis elevarentur, & per vim aliarum cauſarum: (1) *Patet igitur*, concludam cum Kingio, *maria & paludes non abundare ultra neceſſitatem, nec potuiſſe minui ſine totius damno*.

122. At inquiebat Malebranchius, *Philoſophis viſa eſt hæc rerum Univerſitas opus naturæ cææ*.

Reſp. Nego aſſumptum, ſi intendat facere propoſitionem univerſalem ſaltem moraliter. Nam ſapientiſſimi quique omnium temporum contrarium apertiſſime dicunt, & Divinæ Mentis opus Mundum eſſe altiſſime clamant. Nonne id Græci evidenter ſignificarunt illum, ut obſervat Plinius (2) Κόσμον, *nomine ornamenti appellantes, & Latini a perfecta abſolutaque elegantia Mundum*? Cui fama ſaltem nōtus non eſt Platonis Timæus, in quo celebris hic Philoſophus ſecundum illas cognitiones, quas tunc habebat, Mundi fabricam contemplatur, & ab ejus ordine & pulchritudine ſupra noſtrum captum deducit infinitam Divini artificis ſapientiam & perfectionem. Platonis etiam ſunt alio in loco illa verba, (3) *Terra, ſidera, ipſumque univerſum, temporum quoque ornatiſſima varietas annis menſibuſque diſtincta id oſtendunt*, ſcilicet Deum exiſtere infinite ſapientem & potentem. Et Plutarchus adprobat, quod idem putaverit, (4) *viſum in nobis fuiſſe accenſum, ut ſpectandis admirandiſque cæleſtium corporum motibus anima noſtra amplecti condocefacta decorum & ordinem, odium conciperet incompoſitorum motuum, & caſui ſidentem levitatem fugeret*. Ex Platonicis ſic habet Maximus Tyrius, (5) *Deum omnium opificem videmus, Cæli videlicet compoſitorem harmonicum, Solis ac Lunæ ductorem, aſtrorum circulationis, influxus, choreæ, demerſioniſque moderatorem ſupremum, temporum promum, ventorum gubernatorem, authorem pelagi, terræ architectum, fluminum emiſſorem, fructuum nutritorem, creatorem animalium, genitalem, pluvium, fructiferum, parentem, productorem*. Stoicorum argumentationem, qua crediderunt ſe rite

(1) King. de Orig. mali cap. 4. ſec. 5. pag. 68.
(2) Plin. lib. 2. cap. 4. pag. 70.
(3) Plat. de Leg. lib. 10. pa. 590.
(4) Plut. de his qui ſerv. cap. 18. juxta Kylandrum pa. 221.
(5) Tyr. ſerm. 25. pa. 188.

rite concludere demonſtrationem exiſtentiæ Dei ex obſervata pauliſper hujus Mundi conſtructione, Tullius (1) exponit per magnam partem ſecundi libri de Natura Deorum. Eadem eſt opinio ipſiuſmet Tullii, qui brevi ait, (2) *Deum non vides, tamen ut Deum agnoſcis ex operibus ejus*. Et alibi, (3) *Præſtantem aliquam æternam naturam, & eam ſuſpiciendam, adorandamque hominum generi, pulchritudo Mundi, ordoque rerum cæleſtium cogit confiteri*. Eadem eſt Manilii Ethnici Philoſophi & Poetæ, (4)

Nec quidquam in tanta magis eſt mirabile mole
Quam ratio, & certis quod legibus omnia parent.
Nunquam turba nocet, nihil illis partibus errat.

Eadem Danielis Bartoli in ſua illa Diſſertatione, *Deus latens ſimul & patens in creaturis*, in qua eſt illud eleganter dictum (5) *ſingulæ res creatæ ſunt totidem lineæ Theometricæ*. Eadem eſt Pluches in ſuo eleganti opere *Spectaculum naturæ*, in quo dicit contineri (6) *Theologiam vulgarem, & Tabulam repræſentantem Divinas perfectiones*. Eadem Buffierii (7), Picteti (8), Gennuenſis (9), & eorum, quorum ipſe recitat verba. Eadem eſt tot tantorumque virorum, qui de illa integros libros confecerunt, ut Pauli Segneri in libro, *Incredulo ſenza ſcuſa*: Bramptonis Gurdonis, cujus citatur Diſſertatio Gallica cum ſimili titulo, *Incredulitas inexcuſabilis*: Danielis Bartoli per totum ſuum opus, *la Ricreazione del Savio*. Hannibalis Marchetti (10), Roberti Bellarmini (11), Gulielmi Derhami in duobus libris Anglice ſcriptis, ſed in alias etiam linguas converſis, altero *Theologia phyſica*, edito Londini anno 1711, altero *Theologia Aſtronomica*, ibidem edito anno 1715, Gulielmi Whiſtoni (12), Georgii Chey-

(1) Tul. a num. 48. pag. 316.
(2) Id. de Divinati.
(3) Id. Tuſc. lib. 1. n. 29. p. 324.
(4) Manil. lib. 1. Aſtron.
(5) Bar. Ricr. del Sav. c. 2. pag. 23.
(6) Plu. Spett. de la Nat. tom. 3. Uſage du ſpettac. §. Quelle eſt donc.
(7) Buff. Trait. des premi. verit. numer. 465. pag. 67.
Id. Suite du Traite. Secon. Logiq. art. 3. pag. 163.
(8) Pict. Cont. l'Indifferen. cha. 1.
(9) Gen. Elem. Metaph. par. 3. prop. 6. in append. pag. 135.
(10) March. Iddio rintracciato per le ſue orme.
(11) Bell. De Aſcenſione mentis in Deum per ſcalas rerum creatarum.
(12) Whi. Aſtronomical Principles of Religion.

Digitized by Google

Cheynes (1), Bernardi Nievventitii (2), Jo. Franciſci Vallades (3), qui tamen utpote Lutheranus, & Carteſianus immiſcet aliqua, ut notant Trevoltiani (4) in ejus compendio, quæ non conveniunt neque cum vera Religione, neque cum vera Philoſophia: Leſſeri (5), Racines Junioris (6), Feneloni (7), Raii (8), Reaumourii (9), & Jo. Alberti Fabricii (10), qui ſuæ etiam in linguam Germanicam verſioni Theologiæ Aſtronomicæ Derhami præmiſit teſte Weidiero (11) catalogum ſcriptorum tum veterum, tum recentiorum, qui ex rerum creatarum contemplatione exiſtentiam Dei demonſtrarunt: quin immo in ſola etiam expoſitione alicujus dumtaxat partis vel particulæ ipſius mundi aliqui ſiſtunt, contendentes a ſanæ mentis homine evidenter inferri, quicquid de Divina eſſentia cognoſci humanitus poteſt, ut in ipſis etiam titulis ſuorum operum aliqui eorum ſufficienter indicarunt, & palam profitentur, quotquot de Anatomia ſcripſerunt. Recentius Anonymus quidam impenſe laudatus a Trevoltianis (12), idem argumentum expoſuit integro libro Pariſiis edito anno 1712, quem equidem non vidi, cum hoc titulo, *Demonſtration de l' Exiſtence de Dieu, tirèe de la conno-iſſance de la Nature, & proportionèe a la foible intelligence de plus ſimples*.

123. Philoſophi ſunt etiam SS. Patres, qui etſi caruerint tot illis cognitionibus in Phyſica, quas proceſſu temporis nobis comparavit ſollers hominum de rerum natura inquiſitio, & accuratiores obſervationes detexerunt, nihilominus unanimiter infinitam Dei ſapientiam in hujus Mundi conſtitutione, & ſingulis ejus partibus profeſſi ſunt relucere. S. Athanaſius, (13) *Ipſa* inquit, *rerum natura quodammodo contra illos* (Adverſarios noſtros

(1) Che. Principi Filoſofici di Natural Religion.
(2) Nievv. The Religious Philoſopher.
(3) Vall. Sur la Creation, & l' Arrangement du Monde.
(4) Mem. de Trev. an. 1701. Dec. pag. 255.
(5) Leſſ. Theologia degl' Inſecti.
Id. Lithotheologia.
(6) Rac. Della Religione. tradotto in 8. rima dal Carro 1761.
(7) Fen. de Exiſtentia Dei.
(8) Ra. de Exiſt. Dei demonſtrata per Creaturas.
(9) Reau. commem. pro hiſtor. Inſectorum.
(10) Fab. Theologie de l' Eau. traduit de l' Allemand. a l' Haye 1741.
(11) Wei. Hiſt. Aſtronomi. cap. 16. pag. 591.
(12) Mem. de Trev. an. 1713. art. 39. pag. 1713.
(13) S. Ath. Orat. contra Idolol.

ſtros) *exclamàt, oſtenditque ſuum Conditorem, ac Dominum, atque Opificem, qui hanc rerum univerſitatem, ut lyram tenens, univerſa cum ſingulis coaptans, unum ordinem recte & congruenter abſolvit*. S. Auguſtinus vult dici in Pſalmo 148, *Confeſſio ejus ſuper Cælum & Terram, quia*, inquit (1) *Deum omnia confitentur, omnia clamant, omnium pulchritudo quodammodo vox eorum eſt confitentium Deum*. S.Hilarius, (2) *Pulchrum Cælum, æther, terra, maria, & Univerſitas omnis eſt, quæ ex ornatu ſuo, ut etiam Græcis placet, digne* Κόσμος, *ideſt Mundus nuncupari videtur*. S. Petrus Chriſologus, (3) *Miro modo ſic ex diſtinctis partibus junxit compagem mundi, ut nec commixtio diſcreta confunderet, nec diſcretio rerum ſcinderet unitatem*. S. Gregorius Niſſenus, vel ut alii volunt Nemeſius, credit ſatis facile eſſe oſtendere, (4) *res quaſque ab Orbis Architecto Deo creatas, earumque proportionem & harmoniam, & ſitum, & ordinem, & uſum, quem unaquæque affert Univerſo*. S. Proſper explicans illud S. Pauli ad Lycaonios, quod Deus (5) *non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit*, neque illis, neque ullis gentibus, (6) *Quod eſt*, inquit, *hoc teſtimonium, niſi ipſa totius Mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum ejus dives & ordinata largitio. Cælum ergo, cunctaque cæleſtia, mare & terra, omniaque, quæ in eis ſunt, conſono concentu proteſtabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua majeſtatem ſui loquebantur Auctoris*. Brevius eumdem ſenſum expreſſit Tertullianus, (7) *Habet Deus teſtimonium, totum id, quod ſumus, & in quo ſumus*. Idem ſignificant, qui creaturas vocant ſcalam ad Deum, (8) ſic S. Baſilius: Librum Idiotis ipſis lectu facilem, ſic S. Jo. Chryſoſtomus, in quem conceptum incidit nuper Whiſtonus, vocans (9) Sacram Scripturam, & Mundum viſibilem, duo Divina volumina: Nutus Divinæ Sapientiæ dixit creaturas S. Auguſtinus: Veſtigia Creatoris S Gregorius (10), quod jam olim dixit Job (11), hæc ipſa veſtigia Dei declarans non poſſe comprehendi: Radios Increati Solis, S. Bernardus: Primi prin-

(1) S. Aug. in Pſal. 148. numer. 75. pag. 1681.
(2) S. Hil. lib. 1. de Trinit.
(3) S. Chriſ. ſerm. 103.
(4) Niſſ. de Homine. cap. 42.
(5) Act cap. 14. v. 16.
(6) S. Proſp. lib. de Vocat. c. p. 4.
(7) Tert. in Marc. lib. 1. cap. 10.
(8) S. Baſil. Orat. 1.
(9) Whi. Aſtron. Princi. par. 7. circa principium. pag. 133.
(10) S. Gregor. Moral. lib. 26. cap. 8.
(11) Job. cap. 11. v. 7.

Digitized by Google

principii umbras, & reſonantias S. Bonaventura: Teſtimonia exiſtentiæ Dei, Tertullianus. Horum verba exhibet Benedictus Rogacci (1). Soli igitur mali quidam Philoſophi, qui ita cenſuerunt, nominari poſſunt, ut Rex ille Alphonſus, quem ferunt contemplantem ſyſtema hoc Univerſi blaſpheme pronunciaſſe, illud longe melius potuiſſe diſponi, cum debuiſſet fateri, imparem ſe eſſe ad illud cognoſcendum, quod certe, ſi ætate Nevvtoni vixiſſet, illius ſchola eruditus, admiratus cum eo eſſet, & omnibus, qui ex illo didicerunt. Addat malis Philoſophis Malebranchius, ſi placet Manichæos, etſi enim hoc modo augeatur horum Philoſophorum numerus, adhuc parvus eſt comparate ad illos, qui contrarium omni tempore ſenſerunt. Ita ſi ex una parte Manichæi putaverunt principium quoddam malum, fuiſſe hujus Mundi conditorem, ut proinde ſtatuerint jejunandum die Sabbati, quo Mundi hæc machina ab illo abſoluta fuit, ad declarandum odium ſuum contra ipſius Artificem per hanc publicam mœſtitiam, ex alia parte plures Eccleſiæ legem ſanciverunt prohibentem jejunium die Sabbati ad contradicendum huic Manichæorum ſtultitiæ, qui mos adhuc viget apud Eccleſiam Orientalem, referente Philippo de Carboneano (2).

PROPOSITIO II.

124. IMpoſſibile eſt tum moraliter, tum phyſice, tum metaphyſice, Mundum hunc eſſe effectum caſus.

Notiones diverſæ impoſſibilitatis (3) alibi dedi. Propoſitio autem pro duplici ſenſu, in quo accipitur *caſus* eſt contra diverſos. Aliquos ex his, antequam ſingulas partes ſuadere aggrediar, commemorabo.

SECTIO I.

De adverſantibus propoſitioni.

IMprimis adverſantur illi, qui caſum accipientes pro negatione omnis poſitivæ cauſæ, concepta ad inſtar omnium negationum per modum entis, eidem tribuerunt, vel viſi ſunt tribue-

(1) Rog. Uno neceſſario par.1. c. 8. num. 2. pag. 104.

(2) Carb. De Sacris Chriſtianorum ritibus cap.6. §. 3. circa finem pag. 53. in tomo 2. Theol. Moralis Antoine.

(3) Diſſ. de Poſſibili, & Impoſſibili,

Digitized by Google

buere tamquam ipſius effectum, hunc Mundum. Ludovicus Barbieri tribuit hanc ſtultitiam Philoſophis (1) quibuſdam Sinenſibus. Deinde eſt contra multo plures, qui caſum ſumpſerunt pro cauſa quidem poſitiva, ſed quæ vel nulla prædita ſit intelligentia, vel nulla prævia intentione operata eſt hunc Mundum. Tales fuerunt jam olim Philoſophi Phœnicii, quorum ſententiam de Coſmogonia Euſebius Cæſarienſis refert (2) verbis Sanconiathonis Authoris Phœnicii, qui, ſi modo extitit, de quo dubitant aliqui cum Henrico Dodvvello in Diſſertatione Anglice edita anno 1681 de Sanconiathonis hiſtoria apud Morerium (3), & Jo: Clericum (4), floruit ut verius creditur circa tempora Davidis: nec video, quomodo Angli Authores Hiſtoriæ Univerſalis (5) dicant, Euſebium minus æquum fuiſſe, dum accuſavit Phœnicas excluſiſſe Deum a conſtitutione Mundi; Nam etſi neſcio quem ſpiritum dicat Sanconiathon ſe conjunxiſſe materiæ, cum in Mundum coaleſcere cœpit, attamen profitetur illum non noviſſe opus ſuum, ſed caſu ipſum emerſiſſe. Tales fuerunt etiam Ægyptii, & Græci Philoſophi, eodem Euſebio referente (6) ex Diodoro, qui eamdem cum Phœnicibus doctrinam paulo explicatius circa aliqua tradiderunt. Talis nominatim fuit Democritus celebris Materialiſtarum Coriphæus, qui ex materia æterna, ſeu atomis æternis, & æternum volitantibus docuit extitiſſe tandem hanc rerum molem, & diſpoſitionem, quam Mundum appellamus: (7) *Ponebat*, inquit S. Thomas poſt Tullium (8) de Democrito, *principia omnia rerum eſſe mobilia, & nunquam quieſcentia, & ex concurſu ipſorum atomorum caſu eſſe Mundum factum ajebat*. Determinate autem de primorum animalium & etiam hominum nativitate eam ejuſdem Democriti opinionem, quæ apud citatum Euſebium fuit etiam Ægyptiorum, & apud Laertium (9) Anaxagoræ & Archelai, Cenſorinus ſic

(1) Barb. Saggio di Metafi. part. 1. art. 6. pa. 39.
(2) Euſ. Præp. Evan. lib. 1. cap. 10.
(3) Mor. Diction. art. Sanchon.
(4) Cler. in notis ad Groti. de Verit. Relig. lib. 1. §. 16. pa. 62.
(5) Iſtor. Univ. Vol. 1. Coſmogon. pa. 72.
(6) Euſeb. Præp. lib. 1. cap. 7. p. 21.
(7) S. Tho. in 1. de Ani. ad tex. 21. pag. 4.
(8) Tull. de Nat. Deor. lib. 1. n. 66. pa. 284.
Id. Ibi. lib. 2. num. 93. p. 314.
Id. Aca. lib. 1. num. 6. pa. 7.
Id. de Fini. lib. 1. pa. 131.
(9) Laer. de Anax. Idem de Archel.

ſic poſt Tullium (1) refert, (2) *credidit limo calefactos uteros neſcio quos, radicibus terræ cohærentes primum increviſſe, & infantibus ex ſe editis ingenitum lactis humorem, natura miniſtrante præbuiſſe, quos ita educatos & adultos genus humanum propagaſſe*, & quidem a campis Ægypti, quos Nili inundatio limo cumulavit, in reliquas ſucceſſive terræ partes. Præclaram hujus confutationem habemus a Lactantio (3). Anaximander Democrito antiquior, alter Materialiſta, vel, quandoquidem aliqui apud Anglos Hiſtoriæ Univerſalis (4) Auctores id negant, tribuens certe caſui procreationem Mundi, Anaximander, inquam, ſicuti teſte Plutarcho (5) docuit, animalia omnia duce caſu formata eſſe ex humida materia, ita primos homines ſtatuit generatos ex humido in ventre piſcium, ibique educatos, donec projecti per vomitum fuerunt ſupra aridam terram ea jam ætatis maturitate, per quam ſuamet induſtria ſibi conſulere poterant: ex quibus per generationem alii extiterunt. Nec ſoli hi inter veteres fuerunt, qui ſic de primorum animalium generatione ſenſerint: alios numerat, & irridet Franciſcus Redi (6). Contra hos fortaſſe Plato loquitur utpote ſe antiquiores, ubi in Sophiſta dicit, (7) *animalia cuncta, plantaſque numquid alio quodam opifice fabricata, quam Deo facta eſſe, cum prius non fuiſſent, dicimus? An multorum doctrinam ſectabimur dicentium ita gigni a cauſa quadam fortuita?* Eoſdem deinde confutavit Ariſtoteles (8): Et nuper Cheyne (9) argute obſervat illorum, & omnium materialiſtarum incohærentiam, qui, cum non patiantur majores ſuos contemni, & jactent nobilem genealogiam, ut nobiliorem etiam fingant, non dubitant deinde ſe filios terræ reputare, vel a cæco caſu originem ſuam deducere. Academici ſimiliter putarunt probari non poſſe, quod hic Mundus per ſolas naturæ vires, cujus nomine intelligebant res ipſas mundi ſenſibiles ſimul ſumptas, non potuerit coaleſcere cum ea convenientia, & conſenſu partium, quem nunc habet. Ac Tullius quidem unus

 ex

(1) Cenſor. de die natali c. 2. p. 295.
(2) Tull. Tuſc. lib. 1. n. 42. p. 383.
(3) Lact. de Origine erroris. cap. 12. pag. 162.
(4) Iſtor. Univ. Coſmog. Vol. 1. p. 2. pag. 132.
(5) Plut. de Plac. lib. 5. cap. 19.
(6) Red. Eſperienze intorno alla generazion degl'Inſetti. pa. 4.
(7) Plat. Soph. circa finem. p. 138.
(8) Ariſt. 2. Phiſ. cap. 7. & 8.
(9) Chey. Princ. Filoſ. cap. 3. §. 1. pa. 67.

ex his illud propoſuit argumentum, quod non plane intelligitur, (1) *qualis ſit iſta fabrica, ubi adhibita, quando, cur, quomodo*, quaſi vero ex horum ignorantia concludatur, aut Mundum non eſſe, aut non eſſe ejus ſtructuræ admirabilis, qualis aliquo modo intelligitur: Cotta vero pariter Academicus, minus cohærenter cum ſuis principiis ſtatuit, quod caſui ſuffragatur, dicens quod, (2) *natura cohæret, & permanet ſuis viribus non Deorum: eſtque in ea iſte quaſi conſenſus, quem συμπάθειαν Græci vocant, & ea, quo ſua ſponte major eſt, eo minus divina ratione fieri exiſtimanda eſt*, & alibi (3) eamdem opinionem tribuit Stratoni Lampſaceno.

Recentiſſime Maupertuiſius, Chriſtianus Wolfius, Helvetius, Diderotius, & Voltaire Epicureis viſi ſunt favere, admirantibus vel potius indignantibus doctis & bonis, inter quos eſt Antoninus Valſecchi (4). Ac Maupertuiſius quidem (5) auſus eſt elevare demonſtrationem exiſtentiæ Dei, quæ deducitur ex rerum creatarum connexione, recurrens ad hypotheſim caſus, qui ex diverſis atomis, atque moleculis produxerit innumerabilem individuorum multitudinem, ex quibus quæ fortuito conveniſſent in hanc Mundi compagem, ex ea ipſa combinatione determinata fuiſſent ad ſubſiſtendum, quæ vero ad illam inutilia fuiſſent, propter hoc ipſum periiſſent. Wolfius vero affirmavit, (6) *Vitium committi ab iis, qui ab ordine Univerſi ad ordinantem argumentantur, eumque Deum eſſe inferunt*, quod cum multam illi invidiam conciliaſſet, eam a ſe conatus deinde fuit avertere peculiari diſſertatione (7). Helvetius autem hæc habet, (8) *Data a Deo vi materiæ, ſtatim elementa ſubmiſſa fuerunt legibus motus: ſed diu errarunt confuſa per ſpatioſum deſertum, in quo millies coaluerunt in monſtroſas combinationes, & diverſiſſima chaos, donec nacta demum ſunt hunc ordinem phyſicum, in quo mundus nunc eſt*. Ille ſic loquutus eſt in eo libro, quem Gallice edidit Pariſiis anno 1758, & inſcripſit *de Spiritu*, ſed Valſecchius quidem contendit (9) verius

(1) Tull. Acad. lib. 4. num. 87. p. 80.
(2) Id. de Nat. Deor. lib. 3. num. 28. pa. 335.
(3) Id. Acad. lib 4. num. 121. pa. 102.
(4) Val. Fond. della Relig. lib. 1. cap. 2. num. 3. pag. 21.
(5) Mauper. Coſmol. Avant-propoſ. pag. 6.
(6) Wol. Horæ ſubſeciv. ann. 1730. Trimeſtre Autum. pag. 600.
(7) Id. Ibid.
(8) Helv. l'Eſprit. Diſcour. 3. cha. 9.
(9) Val. Fond. lib. 1. cap. 4. num. 12. pa. 104.

Digitized by Google

rius inſcribi potuiſſe de Materia: Abrahamus vero Chaumeix concedens (1) *Materialiſmum eſſe hujus libri theſim principalem*, negat tamen poſſe determinari ullum ipſi convenientem titulum, quoniam poſt attentam ipſius lectionem profitetur in ſua præfatione ad examen criticum, quod de illo edidit, ſe eruere non potuiſſe, quod nam ſit ipſius propoſitum: Populi tandem ſenſus eſt illum inſcribi debere, tractatus contra omnem Religionem, & Bonos mores, quoniam illum ex utroque capite ſtatim, ut in publicum prodiit, omnium ordinum homines execrati fuerunt, ita ut ipſe idem quaſi e ſomno excuſſus palinodiam cecinerit, cui cum nondum plerique acquieſcerent, duas alias ſucceſſive eodem anno adjunxit, quas refert idem Chaumeix (2), ex quo diſco (3) contra illum nuper prodiiſſe *Examen ſerieux, & comique du livre del' Eſprit*, cujus Auctorem dicit eſſe Abbatem de Lignac, a quo habemus *Epiſtolas Americanas*, Gallice ſcriptas. Diderotius unus ex Encyclopædiſtis ad articulum de Pulchro ſic loquitur, *Pulchrum non ſemper eſt opus cauſſæ intelligentis. Sæpe motus efficit in uno ente ſolitarie conſiderato, tum in pluribus inter ſe comparatis, multitudinem innumerabilem rerum admirabilium, quæ proinde ſunt combinationes fortuitæ*, & alia multa addit in eamdem ſententiam, contra quæ jure citatus Chaumeix invehitur (4). Voltaire tandem in quodam opuſculo, quod inſcripſit *Somnium Platonis*, fingit ſpiritum quemdam, quem *Demogorgon* appellat, Auctorem hujus terræ, ut illi exprobret imbecillitatem mentis, quæ neſciverit evitare ea, quæ ipſe cenſet imperfectiones in illius formatione. Nonnotte (5) de hoc libello mentionem faciens accuſat illius auctorem ignorantiæ & impietatis.

SE-

(1) Chau. Prejugez. contre l'Encyclop. tom. 3. Avant-propoſ. pag. 1. & 5.
(2) Id. Ibid. Tom. 4. art. 1. pag. 12.
(3) Id. Ibid. tom. 7. circa finem pag. 24.
(4) Chau. Ibid. ſec. 5. lib. 2. cha. 3. pag. 127.
(5) Non. Erreurs de Voltai. tom. 2. cha. 2. pag. 35.

SECTIO II.

Argumenta pro impoſſibilitate in genere, ut Mundus ſit a caſu.

125. Contra utroſque jam diſtinctos adverſarios ſic arguo. Axioma eſt receptiſſimum a Philoſophis omnium temporum, nihil fieri ſine cauſa. (1) *Quicquid*, ſic Plato, *gignitur, ex aliqua cauſa neceſſario gignitur: ſine cauſa vero oriri quicquam impoſſibile eſt*. Et Tullius, (2) *Nihil turpius phyſico, quam fieri ſine cauſa quicquam dicere*: ergo hic Mundus, in quo evidenter ſunt partes admirabilis ſtructuræ tum majores, ut ſunt Sol, Luna & Terra, tum minores, cujuſmodi ſunt corpora viventia, quæ explicant mutuam inter ſe convenientiam vel medii, vel finis, vel utriuſque, ſi comparentur cum diverſis, non habet pro ſui cauſa, nec caſum ſumptum pro nihilo, nec caſum ſumptum pro motu materiæ ſine ullo conſilio ſponte ſe moventis. Si enim hæc materia expers ſapientiæ adſtrueretur cauſa eorum, quæ in hoc mundo ſapientiſſimam conſtructionem præſeferunt, iterum ſtatueretur nihilum eſſe illorum cauſam.

126. Diſtincte autem contra primos Adverſarios, qui caſum faciunt cauſam Mundi, ſumentes caſum pro nulla cauſa, ſic arguo. Nihilum nequit eſſe cauſa ullius rei; Nam quicquid eſt cauſa alicujus effectus, neceſſe eſt exiſtat ante ipſum effectum ordine ſaltem naturæ & cauſalitatis, aliunde repugnat aliquando exiſtere caſum ſumptum pro nihilo: ergo caſus hoc modo ſumptus nequit eſſe cauſa hujus Mundi, & ut ait Io: Gualbertus de Soria (3), *eſt merum ſomnium chimæricum ſtolidæ ignorantiæ*. Deinde Deus ens perfectiſſimum omnia ſciens & potens, ubique eſt: ergo nullus eſſe poteſt locus caſui ſumpto in ſenſu excludente omnem omnino cauſam, & ad Deum ſaltem ut cauſam unicam, qui aliunde eſt cauſa omnium prima, reduci debet illud, cujus nulla alia apparet cauſa. Bene proinde contra iſtos Bartholomæus Fibus concludit, (4) *Deliret minus, qui Crocodilo Ægypti, aut muſcæ, porro, cæpis ori-*

(1) Pla. Tim. pag. 476.

(2) Tul. de Fini. lib. 1. num. 19. pag. 31.

(3) Sor. Degl'Inſetti. Ragion. 2. num. 16. pag. 178.

(4) Fib. Demonſt. Dei §. 7. pag. 40.

originem tribuat rerum omnium, quam qui nihilo. Derhamus vero (1) *Vilis*, inquit, *& perverſus eſt, qui tam magnificum opus, rerum creationem mero nihilo, cujuſmodi eſt caſus, tribuat potius quam Deo*.

127. Contra ſecundos, qui tribuunt hunc Mundum caſui in ſenſu atomorum, quæ poſtquam aliquo modo extiterint, vel cauſa aliqua illas creaverit, per ipſarum motum nullo conſilio directum tandem coaluerint in hanc rerum molem, habetur robuſta, eloquens & abundans argumentatio Balbi ſtoici apud Tullium (2). Contra eoſdem bene etiam ſic arguit Cheyne (3). Qui dicunt poſſibilem eſſe exiſtentiam hujus Mundi ex fortuito atomorum motu, temere id dicunt, niſi oſtendant quibuſnam determinate motibus, directionibus, & reflexionibus, principales ſaltem hujus mundi partes formari potuerint; Nam quam ſæpe novimus accidere, ut quod poſſibile creditum fuit, dum cogitabatur, inventum deinde fuerit, dum exequeretur, abſolute impoſſibile, propterea quod opus eſſet principiis inter ſe contrariis: ſed nemo hominum poteſt ea oſtendere, cum nemo hominum adhuc aſſequatur ſtructuram ullius organici corporis: ergo temere dicunt poſſibilem eſſe exiſtentiam hujus Mundi ex fortuito Atomorum motu.

SECTIO III.

Argumenta pro impoſſibilitate morali Mundi per caſum.

128. PRimo ſic arguo cum Jaquelotio (4). Caſus ſumptus pro motu fortuito atomorum nunquam, quantum etiam ex hiſtoriis cognovimus, produxit ullum animal, nec hominem nec brutum, quæ ſunt quædam hujus Mundi partes: ſed ſi ex fortuito atomorum motu produci poſſet aliquod animal, facilius nunc produceretur, quam primo olim producta fuerint; Poſſet enim quis jam exiſtimare minimas ſaltem aliquas ipſorum animalium moleculas

(1) Der. Phyſico-Theo. B. XI. cha. 3. pag. 428.

(2) Tull. lib. 2. de Nat. Deor. a num. 87. pag. 313.

(3) Chey. Princ. Filoſ. ca. 3. §. 7. pag. 71.

(4) Jaqu. Exiſtence de Dieu. Diſſ. 4. cha. dern. pag. 688. Id. Conform. de la Foy. par. 1. cha. 2. pa. 14.

culas, & rudimenta remanere etiam poſt mortem, & diſſolutionem animalium, quin proinde neceſſe eſſet recurrere uſque ad atomos: ergo fortuitus atomorum motus non poteſt producere ullam ne exiguam quidem partem Mundi, qualis eſt aliquod animal.

129. II. Ex inductione arguitur facta in aliis facilioribus, quia minus complexis combinationibus, quas ſine mentis alicujus directione, nunquam in aptam ſe diſpoſitionem conformaſſe vidimus. Ita quis unquam vidit ex fortuita colorum projectione in telam extitiſſe imaginem non dicam exercitus dimicantis, ſed ne unius quidem bene diſpoſiti corporis vel hominis, vel equi, vel currus? Quis ſperet ex fortuita extractione vocabulorum, quæ Virgilii Æneida componunt, habiturum ſe, illis prout exeunt deinceps diſpoſitis, integrum opus vel ſaltem aliquem ipſius librum, vel ut verbis Tullii utar, (1) *Quis putet, ſi innumerabiles unius & viginti formæ literarum, vel aureæ, vel qualeslibet aliquo conjiciantur, poſſe ex his in terram excuſſis annales Ennii ut deinceps legi poſſint, effici*. Idem dicendum de chordarum muſicarum percuſſione illa, quæ harmoniam pariat, idem de inflexione organorum vocis humanæ, linguæ & labiorum, quæ cantum aut ſermonem conſtituat, quæ omnia nemo credit, poſſibile moraliter eſſe, ut quis fortuito motu unquam exequatur. Atque quia ſtatim in hujuſmodi exemplis elucet animo impoſſibilitas hæc moralis, ideo evidens etiam dici poteſt eſſe, non fieri a mero caſu ea, quorum multiplices partes recte obſervantur diſpoſitæ atque connexæ. Dicit quidam apud Platonem, quia deprehendis ordinem in meis dictis & factis, evidens tibi eſt, me habere mentem intelligentem: ergo videns ordinem hujus Mundi, confitere pari ſaltem evidentia eſſe apud te certam exiſtentiam mentis infinite intelligentis.

130. Impoſſibilitas hujuſmodi moralis ex eo provenit, quod apta diſpoſitio una tantum eſt, vel ſaltem numero paucæ ſunt, dum contra, quæ confuſæ ſunt, & ineptæ diſpoſitiones, ſunt innumerabiles. Quare unitas illa, aut paucitas deberet quodammodo triumphare de innumerabili multitudine, quod eſt difficillimum, & quo major elucet animo differentia, & inæqualitas inter opportunas & inutiles combinationes, eo evidentior eſt moralis impoſ-

(1) Tull. de Nat. Deor. lib. 2. cap. 37.

impoſſibilitas, ut emergat caſu illa, quæ opportuna eſt. In noſtro autem caſu inæqualitas iſta tanta eſt, ut ne illam quidem concipere poſſimus. Ex una enim parte eſt ſola hæc atomorum combinatio, quæ nunc habetur, admirabilis ut ſupra vidimus, cujus emerſio per fortuitam agitationem atomorum poſtulatur: ex alia autem parte ſunt aliæ omnes poſſibiles ex iiſdem combinationes, quarum numerus etſi finitus, ſua tamen amplitudine apprehenſionem noſtram ſuperat. Etenim ſi ſolæ 23 literæ Alphabeti tot libros & ſenſus diverſos faciunt, & ut ait Lucretius (1)

Paſſim noſtris in verſibus ipſis
Multa elementa vides multis communia verbis:
Cum tamen inter ſe verſus, ac verba neceſſe eſt
Confiteare & re & ſonitu diſtare ſonanti.
Tantum elementa queunt permutato ordine ſolo.

Quin immo ſi verſus illi hexametri, qui Protei dicuntur ob multitudinem combinationum, quas ſuſcipere poſſunt ſub paucis illis verbis, quibus conſtant, tot reipſa admittunt variationes, ut admirationi omnibus ſint: cujuſmodi eſt verſus ille Bernardi Bahuſii,

Tot tibi ſunt Virgo dotes, quot ſidera Cælo,

quem facto ipſo Ericius Puteanus in libro, quem Thaumata pietatis inſcripſit, oſtendit poſſe commutari mille & viginti modis ſervata hexametri forma, & neglectis illis ſub eadem forma erumpentibus permutationibus, quæ ſibi viſæ fuerunt habere ſenſum, qui laudes Virginis minueret: Jacobus vero Bernoullius poſt alios multos ab ipſo citatos (2), qui idem diſquiſierunt, ſequutus theoriam magis accuratam dixit, *ſalva metri lege omnino ter millies tercenties ac duodecies variabilem eſſe*: & generatim, ſi verum eſt, ſicut veriſſimum eſt, Theorema illud artis combinatoriæ, quod, ut videre eſt apud citatum Bernoullium, & expeditius apud Tacquetum (3), Wolfium (4), aut Ricciolium (5), docet, dato elementorum, quæ combinari debent numero, inveniri numerum omnium poſſibilium combinationum, multiplicato ſucceſſive per ſequentem numerum producto, quod habetur per multiplicationem

R eorum,.

(1) Lucr. de Rerum natur. lib. 1.

(2) Bern. Ars conjectandi par. 2. cap. 1. pag. 78.

(3) Tacq. Arithm. Pract. lib. 5. cap. 8. probl. 2. pag. 516.

(4) Wolf. Elem. Analyſ. par. 1. cap. 3. §. 129. pars 267.

(5) Ricci. Almag. lib. 6. cap. 6. ſchol. pag. 413.

eorum, qui primi ſunt in ſerie numerorum, quæ incipit ab unitate: ut ſi tria ſint elementa, ſex poſſibiles ſunt ex illis combinationes; Unitas enim & binarium invicem multiplicata dant binarium, binarium vero multiplicatum per ternarium producit ſenarium: citatus verſus Bahuſii neglecta forma hexametri, cum conſtet vocabulis octo, poterit modis 40320 variari. Cum hæc inquam omnia ita ſe habeant, quam immanis erit numerus combinationum poſſibilium ex omnibus innumerabilibus atomis, quæ Mundum hunc componunt. Profecto moralis impoſſibilitas emerſionis hujus ordinati Mundi ex mero caſu proveniens, & hujus impoſſibilitatis evidentia dicenda eſt perquam maxima. Quin immo debet cum Hooke (1), Jacobo Riccato (2), Jacquierio (3), & Boſcovichio (4) numerus combinationum poſſibilium ex atomis ſtatui infinitus, habita ratione ad figuram & ſitum illarum inter ſe, quæ duo cum infinite variabilia in infinito ſpatio ſint, infinitatem etiam refundunt in atomorum combinationes poſſibiles. Atque tanto illuſtrior tunc evadit evidentia impoſſibilitatis moralis, ut ex fortuita combinatione extiterit hic Mundus admirabilis, ut ſtultitiæ accuſetur, qui illam neget. Nam *qui ſperat*, inquit citatus Hooke, *ex concurſu fortuito orituram hanc Mundi formam, ſperat contra infinitam probabilitatem, quo nihil poteſt eſſe levius: & qui credit ortam illam eſſe, credit etiam contra probabilitatem infinitam, quo nihil poteſt eſſe ſtultius*. Cardinalis Sfortia Pallavicinus in ſuis *de Bono* libris Italice primum ſcriptis, & ab eodem paulo poſt Latine redditis, non videtur (5) quicquam ultra requirere, quam ut clare pateat moralis impoſſibilitas, ut ex fortuito atomorum concurſu exiſtat hæc rerum ordinata combinatio, qua nunc Mundus diſpoſitus eſt. Verum ulterius procedi poteſt ad impoſſibilitatem phyſicam, & etiam metaphyſicam demonſtrandam. Atque hujuſmodi demonſtrationes haberi poſſe mihi quidem videtur aperte inſinuatum ab illo, (6) *Inviſibilia ipſius per ea, quæ facta ſunt, conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus &*

(1) Hoo. Princ. Relig. natur. & revel. tom. 1. ſec. 1. arg. 5. pag. 59.

(2) Ricc. Opere tom. 2. lib. 1. cap. 18. num. 5. & 8. pag. 183. & 186.

(3) Jacq. Phy. par. 3. ſect. 1. cap. 2. in appendice.

(4) Boſcov. Philoſ. Natural. Append. num. 532. pag. 286.

(5) Pall. del Bene. lib. 2. par. 2. a cap. 40. ad 45. a pag. 255.

(6) ad Rom. 1. v. 20.

& Divinitas; conſpicere enim Virtutem & Divinitatem illius, per quem Mundus factus eſt, aliquid amplius ſignificat, quam habere de his certitudinem moralem.

SECTIO IV.

Argumenta pro impoſſibilitate phyſica Mundi per caſum.

131. Sic arguo. Ordo eſt connexio mutua plurium rerum in unum finem conſpirantium: ſic poſtquam apud me ordinis notionem ſtatueram, invenio eamdem proponi, & fuſius declarari a Buffierio (1), Muratorio (2), & Vernejo (3), quæ eſt longe melior illa, quam Stoici referente Tullio (4) tradiderunt *per compoſitionem rerum aptis & accomodatis locis*: ergo ordo ſupponit cauſam intelligentem. Nam finis intentio, quæ ſpectat ad notionem ordinis, non habetur ſine intelligentia: ergo Mundus hic habens ordinem in ſuis partibus, phyſice impoſſibile eſt, ut fieri potuiſſet ex fortuito atomorum concurſu. Conſequentia ex notione phyſicæ impoſſibilitatis manifeſte deſcendit. Eadem confirmatur tum ex perſuaſione illa ineluctabili nata ex perpetua, conſtantique obſervatione, quod nunquam fiat ſine conſilio & arte id, quod præſefert ordinem in ſuis partibus: tum ex ſimilibus aliorum auctorum argumentationibus. Balbus Stoicus apud Tullium ſic arguit, (5) *Si quis in domum aliquam, aut in gymnaſium, aut in forum venerit: cum videat omnium rerum rationem, modum, diſciplinam, non poteſt ea ſine cauſa fieri judicare, ſed eſſe aliquem intelligit, qui præſit, & cui pareatur: multo magis in tantis motibus, tantiſque viciſſitudinibus tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus ſtatuat neceſſe eſt ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari*. Quibus ſimilia fuſe habet in eodem libro. (6) *Videt quiſpiam*, ſic Leſſius (7) *, palatium, cujus ſtructuram omnes Archi-*

(1) Buff. Des prem. verit. num. 287. pag. 145.
(2) Mur. Filoſ. Moral. cap. 23. pag. 275.
(3) Ver. Metaph. lib. 4. cap. 10. pag. 179.
(4) Tull. de Offic. lib. 1. num. 40. pag. 317.
(5) Id. de Nat. Deor. num. 15. lib. 2. pag. 295.
(6) Id. num. 34. & 35.
(7) Leſſ. de Provid. num. 150. pa. 665.

tecti mirantur, quærit, quis artifex hoc extruxerit, reſpondetur lapſu ac colliſione montis propter terræmotum, ſingulas partes ita coaluiſſe. Ecquis adeo vecors hæc credat? quo exemplo utitur etiam Daniel Bartolus (1), illudque multis aliis cumulavit S. Jo. Chryſoſtomus in illud Pſalmi 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus*. Galenus conſiderata opportuna nervorum diſtributione ad omnes vultus humani partes exclamat, (2) *Hæc fortunæ ſunt opera? Haud ſcio, an hominum ſit ſobriorum ad Fortunam opificem id revocare*. Alii ſimiliter arguunt ex eo, quod nemo ſanus, propoſita ſibi eleganti aliqua ſculptura aut pictura, dubitat unquam artiſne, an meri caſus ſit opus: immo ſiquis forte cum peritis harum artium verſetur, exquirit ſubito, cujus authoris ſit opus, quos pudet, ni poſſint ſtatim reſpondere eſſe Bonarrotæ aut Algarvis, Raphaelis aut Caraccii. *Ecquando*, inquit Pluche (3) *profertur horologium ad demonſtrandum adeſſe horologiorum artificem? Hæ duæ ideæ ita inter ſe connexæ ſunt, ut nullo opus ſit conatu ad illarum unionem efficiendam, de qua ſiquis dubitaret, nemo eſſet, qui tempus vellet inſumere ad hujuſmodi dubium amovendum*. Idem exemplum urgent Buffierius non ſemel (4), & citatus Bartolus (5), & Valſecchius (6), & ante hos Tullius (7), recurrens tamen ad Solarium, & Clepſydram, quæ ſola inventa erant ejus ætate. Idem promovetur Derhami (8) obſervatione, quod ſi nemo eſt, qui horologium, terreni artificis machinulam, credat eſſe opus fortuiti caſus, etſi perſæpe erret in deſignatione temporis, & multi generis irregularitates frequenter ſuſtineat, poteritne eſſe aliquis, qui magnam ſyſtematis Planetarii machinam, cujus ſibi evidens eſt conſtans regularitas, adſcribat caſui? Laurentius Bellini fabricam cordis obſervans concludit, (9) *Hæc omnia ſi a rudi intelligentia hominis tantum conſilii, tantum ratiocinii, tantum peritiæ mille rerum, tantum ſcientiarum exigunt ad hoc ut percipiantur, poſtquam facta*

(1) Bar. Ricre. del ſav. lib. 2. cap. 16. §. coſtringiamo. pag. 554.

(2) Gal. de uſu part. lib. 11. cap. 7.

(3) Plu. ſpett. de la Nat. Tom. 3. Uſage du ſpett. §. Le primier uſage.

(4) Buff. Prem. veri. num. 31. col. 565. Id. Ibid. num. 60. col. 574. Id. ibid. num. 192. col. 654. Id. Elem. de Metaph. n. 83. col. 933. Id. Preuves de la Relig. num. 18. col. 1265.

(5) Bar. Ricr. del Sav. lib. 2. cap. 16.

(6) Valſ. Fond. della Relig. lib. 3. par. 2. cap. 2. num. 3. pag. 204.

(7) Tul. de Nat. Deor. lib. 2.

(8) Derh. Aſtro-Theol. B. 6. pag. 66.

(9) Bell. de Motu Cordis in fine.

facta ſunt, illum cujus opera fabrefacta ſunt, tam vani erimus, atque inanes ut exiſtimemus eſſe conſilii impotem, aut ignarum rerum omnium? (1) *Qui*, inquit Whiſtonus, *ex artificiis ſibi propoſitis, impar eſt ad deducendam exiſtentiam artificis, hic caret ratione, & qui nolit legitimam fateri deductionem illam, eſt minus honeſtus ruſtico quovis viliſſimo*. Hoc ipſum iſti increduli de ſe faſſi aliquando ſunt, ut idem Auctor ſuadet. Nec diſſimilia his dicunt Cotes (2), Derham (3), Magalottus (4), Valſecchius (5), Jacobus Riccatus (6), & fuſe Daniel Bartolus (7) & Nievventitius (8). Merito igitur malæ fidei nota Paulus Segnerius (9) inuſſit Democritum, quia, poſtquam concluſerat colligationem lignorum in unum ſatis concinne diſpoſitum faſciculum, a puero Protagora ſub ſuiſmet oculis factam, ut Gellius refert, demonſtrare illius non vulgarem mentem, quam nefas eſſet ruſticis operibus circumſcribi, negavit deinde, non eſſe neceſſario fatendum, intelligentia & conſilio effectam fuiſſe hanc mundi molem cum tanta in omnibus ſuis partibus tam grandioribus, quam minoribus connexione diſpoſitione & varietate. Quid magis indignum ingenuitate Philoſophi? quam palam dicere grandiores mundi partes, corpora cæleſtia, potuiſſe exiſtere per fortuitum atomorum motum, & in gyros ordinatiſſimos compoſita, in iiſdem tam conſtanter perſeverare; ut Aſtronomiam illorum cognitio condat, ſcientiam pulcherrimam & acutiſſimam, qua cognoſcimus tot Planetas in eodem fere plano ad diverſas diſtantias moveri in gyros ellipticos circa Solem: & decem ſatellite s, illos ſcilicet Terræ, Jovis, & Saturni ſimiliter revolvi conſtanti modo circa ſuos primarios planetas: & Cometas viam regularem tenere in orbitis ejuſdem generis circa Solem. Quid minus honeſtum? quam in caſum authorem refundere corpora organica, quæ ſunt ex minoribus hujus mundi partibus, cum nemo ſit, qui horum ſtructuram

(1) Whi. Aſtr. Princ. par. 8. pag. 258.

(2) Cot. Prælat. ad Principia Nevvt. §. Obtinebit. pag. 30.

(3) Derh. Phyſ. Theol. B. XI. cha. 3. pag. 429.

(4) Mag. Lett. Famil. par. 1. lett. 21. §. Chi v' ha detto pag. 227.

(5) Valſ. Fondam. della Relig. lib. 1. cap. 2. num. 7. pa. 33. & num. 9. pa. 43.

(6) Ricc. Opere tom. 2. lib. 1. cap. 19. §. 13. pa. 204.

(7) Bar. Ricr. del Sav. lib. 1. cap. 4. pa. 963.

(8) Nievv. The Relig. Philoſ. Preface. ſec. 29. pa. 43. & alibi paſſim.

(9) Segn. Incredulo par. 1. cap. 8. num. 10. pa. 16.

ram eo magis non admiretur, quo majorem ejuſdem cognitionem ſibi comparaverit? *Nec avis pennulam*, inquit S. Auguſtinus, *nec arboris folium ſine partium ſuarum convenientia Deus reliquit*. Soli vultus humani ſunt, non ſolum compendium quoddam pulchritudinis in exiguo ſpatio incluſæ, hoc eſt diverſarum partium minimarum, quæ apto inter ſe ordine unitæ ſunt, ſed etiam argumentum nunquam ſatis admirandum varietatis in hac una pulchritudinis ſpecie, dum in integra civitate, immo in integro terrarum orbe non habetur una hominis facies omnino indiſcernibilis ab alia, ita ut ſiqua forte adſit ſimilitudo oris inter duos, quæ incautis det anſam unum accipiendi pro alio, numeretur inter res memorabiles, quemadmodum factum videmus a Valerio Maximo (1). Et erit, qui ſerio dicat, inquit citatus Segneri (2) *innumerabilem multitudinem humanorum vultuum eſſe opus mente capti, qui temere tot formas continuo excudat, atque producat?*

SECTIO V.
Argumentum pro impoſſibilitate metaphyſica Mundi per caſum.

132. PRimo ſic arguo. Si mundus hic extitiſſet ex mere fortuito atomorum illum componentium motu, atomi, res ſcilicet mere corporeæ, eſſent inertes, nam inertia eſt de eſſentia cujuſcunque corporis, ut alibi (3) oſtendo, & non eſſent inertes, ut mox evincam: atqui eſſe & non eſſe inertes eſt aperta contradictio, & quod includit apertam contradictionem, illud eſt metaphyſice impoſſibile: ergo metaphyſice impoſſibile eſt ex mere fortuito atomorum motu extitiſſe hunc Mundum. Quod atomi illæ non eſſent inertes, ſic oſtenditur. Non ſunt inertes illæ atomi, quæ continuo nulla interveniente extrinſeca ipſis cauſa mutant directionem rectilineam. Nam inertis proprium eſt perſeverare in ſtatu, in quo ſemel ſit, ſi a nulla cauſa ſibi externa removeatur. Atqui multæ illæ atomi, quæ plura hujus Mundi corpora componunt, ut Planetas omnes, quos circa nos motibus conſtanter periodicis cum diverſis velocitatibus circumvolvi intuemur, ſi omnis cauſa

(1) Val. Max. lib. 9. cap. 14. pag. 459.

(2) Seg. Incr. cap. 16. num. 3. pa. 33.

(3) Diſſ. de Inertia.

Digitized by Google

cauſa intelligens & dirigens ipſorum motus excludatur, nulla interveniente cauſa ipſis externa, mutant continuo directionem motus rectilineam; motus enim in gyrum non eſt motus rectilineus, nec aliter habetur, quam per continuam a rectilinea directione receſſionem: ergo non ſunt inertes. Hoc argumentum Antoninus Valſecchius profitetur eſſe, (1) *Veram demonſtrationem cauſæ infinite potentis liberæ & ſapientis*, vi cujus hic Mundus formatus eſt & conſervatur.

133. II. Cum Cheyne (2). Si Mundus hic extitiſſet ex fortuito atomorum motu, atomi haberent & non haberent eſſentialiter mutuam gravitatem, quod repugnat: ergo. Haberent quidem, quia qualis apparet nunc Mundus, ita præſefert mutuam gravitatem, ut unice per hujuſmodi principium reddatur ratio eorum, quæ in hoc Mundo conſtanter videmus, præſertim in ſyſtemate Planetario, ut poſt Nevutonum nemo jure dubitat: haberent vero eſſentialiter, quia hæc gravitas non poſſet repeti a fortuito motu, utpote præſeferens tantum conſilii & artis, cum quibus non componitur talis motus caſualis, & aliunde excluditur omnis cauſa extrinſeca, quæ illam ipſis tribuerit ex conſilio & arte. Non autem haberent, quia mutua gravitas non eſt eſſentialis materiæ; non enim eſt eſſentialis materiæ motus, ut ubi agitur de inertia materiæ, oſtenditur: & rurſus poſito in materia motu non ſequitur neceſſario talis mutua gravitas, quæ proinde eſt effectus continuus principii cujuſdam prorſus extrinſeci ipſi materiæ.

III. Cum eodem Cheyne (3). Mundus qualis nunc eſt, continet bruta & homines, in quibus habentur motus ſpontanei & voluntarii, & etiam liberi: ſed impoſſibile metaphyſice eſt, ut hi motus fiant caſu; nam nobis conſtat intima conſcientia nos ſæpe moveri ex conſilio & arte, quæ per diametrum opponuntur caſui, & motus brutorum fiunt tali modo, qui opponitur illi, quem poteſt tenere materia ſibi relicta, qui eſt ſequi leges mechanicas, quæ abhorrent a mutatione arbitraria directionis in motu, & tranſitu a motu ad quietem improviſam, & a quiete ad improviſum motum, & a motu cum tanta velocitate ad motum improviſum cum velocitate majori vel minori: ergo.

IV.

(2) Valſ. Fondam. della Relig. lib. 1. pa. 73. cap. 2. num. 5. per. 27.
(1) Chey. Princ. Filoſ. cap. 3. a §. 8.
(3) Chey. ubi ſupra §. 11. pa. 80.

134. IV. Ad Mundum pertinent quotquot fuerunt & ſunt homines, quorum unuſquiſque poſſidet principium illud cogitandi, quo operationes ſuas, vel politicas vel civiles vel militares vel literarias dirigit, intendens finem, obſervans medi, ex ea eligens & applicans, quæ opportuna vidit. Sed principium iſtud cogitandi nequit eſſe a fortuito atomorum concurſu; Nam imprimis illud non componitur ex materia, aut ex hujus modificatione aliqua, ut alibi (1) demonſtratur: deinde quis unquam dixit operationes heroum, quotquot fuerunt in quavis arte aut ſcientia, fuiſſe fortuitas? Tandem ne ipſi quidem obiicientes patiuntur ſe contemni, quaſi hæc dicant caſu, & blaterent incogitanter.

135. V. Effectus dependentes a motu fortuito, & includentes in ſua eſſentia continuam agitationem etiam minimarum partium, ut earum, quæ ſunt in corporibus organicis animalium atque plantarum, repugnat eſſe frequentes, conſtantes, & uniformes; Nam motus fortuitus hæc omnia attributa a ſuo conceptu excludit. *Fortuna*, inquit Tullius (2) *amica varietatis conſtantiam reſpuit*: & Galenus, (3) *Providentiæ & arti omnino contrarium eſſe debet, quod caſu ac fortuito fit*. Atqui in hac rerum univerſitate dantur effectus includentes in ſua eſſentia continuam agitationem etiam minimarum partium, qui ſunt frequentes, conſtantes, & uniformes: ergo repugnat illos eſſe a motu fortuito. Hoc argumento uſus jam eſt Boetius dicens, (4) *Non tam certus naturæ ordo procederet, nec tam diſpoſitos motus locis, temporibus, efficientia, ſpatiis, qualitatibus explicaret, niſi unus eſſet, qui has mutationum varietates, manens ipſe diſponeret*. Eodem utuntur etiam Paulus Segneri (5) Jacobus Riccati (6), & Formeyus (7). Illud brevi comprehendit Buffierius (8) in hac propoſitione, *quod continet multas differentes partes, quæ conſpirant in effectus, qui regulariter redeunt, nequit eſſet effectus caſus, ſed eſt effectus entis intelligentis*, quam propoſitionem ipſe numerat inter axiomata. Minor argumenti declaratur. Conſtantia & uniformi-

(1) Diſſ. de Inertia.

(2) Tull. de Nat. Deor. lib. 2. n. 43. pa. 304.

(3) Galen. de Uſu part. lib. 11. cap. 7.

(4) Boe. de Conſol. lib. 3. proſa ultima.

(5) Segneri. Incredulo. par. 1. cap. 8. pa. 16.

(6) Ricc. Oper. tom. 2. lib. 2. cap. 18. §. 4. & 6. pa. 182.

(7) Form. Diſc. prelimin. ſur le Beau du P. Andr. §. L'importance. pa. LXII.

(8) Buff. Elem. De Metaph. Entr. 6. num. 81. col. 933.

formitas apparet primo in tota hac rerum adſpectabilium congerie, quæ a tot jam ſæculis teſte hiſtoria eſt eadem; Octo enim vel decem Stellæ, inquit Jaquelotius (1), quæ olim apparuerunt, & deinde evanuerunt, ſunt minimæ quædam in Cælis variationes a paucis obſervabiles, quæ fortaſſe etiam conſtantes quidam effectus ſunt juxta illos, qui conjiciunt eſſe Cometas a remotioribus Cæli partibus ad proximiores nobis redeuntes. Secundo conſtantia & uniformitas ſe prodit in motu partium hujus Mundi grandiorum, ut corporum cæleſtium; Nam pro quovis tempore prædici accurate poſſunt appulſus atque reditus cæleſtium corporum ad hæc vel illa Cæli puncta: (2) *Defectiones Solis & Lunæ*, dicebat jam a ſuis temporibus Tullius, *cognitæ prædictæque in omne poſterum tempus, quæ, quantæ, quando futuræ ſint*. Atque cum motus iſti Planetarum ſint circa Solem cum tali in ipſum tendentia, quæ ſequitur ſenſibiliter rationem inverſam quadrati diſtantiarum, quas ſinguli habent a Sole, ex qua tamquam neceſſariæ conſequentiæ habentur quadrata temporum periodicorum, quæ in iiſdem deprehenduntur, in ratione cubi illarum diſtantiarum, & areæ æquales, radio a Sole ad illos ducto æqualibus temporibus deſcriptæ, bene cum Cheyne (3), & Derhamo (4), qui in hoc copioſus eſt, ſic arguitur. Si quis ſeptem vel plures talos millies projiciens numerum ſenarium ſemel aut bis obtineret, poſſemus quidem dicere, id illi eveniſſe caſu, ſed ſi ſemper ſenarium obtineret, concluderemus illum habere artem, qua id facit, vel talem eſſe naturam illorum talorum, ut neceſſario ſe debeant obvertere ex parte ſenarii. Hoc antecedens eſt evidens, ut jure Cardinalis Ptolomæus numeret inter axiomata hanc propoſitionem, (5) *Eſt impoſſibile, quod ſiquis homo continuo per centum annos projiceret fortuito talos, ſemper idem numerus in omni jactu exiſteret*: ergo a pari, cum omnes Planetæ præſeferant eamdem attractionem a tot jam annorum millibus nobis notis, dicendum eſt nullum in hoc intervenire caſum, ſed artificium alicujus cauſæ, vel attractionem iſtam pertinere ad

S natu-

(1) Jaqu. Exiſten. de Dieu. Diſſ. 4. cha. dernier. pag. 685.

(2) Tul. lib. 2. de Nat. Deor. num. 153. pag. 327.

(3) Chey. Princ. Filoſof. cap. 5. §. 19. pag. 137.

(4) Derh. Aſtro-Theol. B. 4. cha. 2. & ſeq. pag. 46.

(5) Ptolom. Philoſ. Diſſ. 37. Logico-phyſica. ſec. 2. pag. 154.

naturam planetarum, & eſſe ipſis eſſentialem; ſed hoc ſecundum non poteſt dici, quia eſſentialis oſtenditur corporibus inertia, cum qua non componitur eſſe ipſis eſſentialem hujuſmodi attractionem: ergo dicendum eſt primum, non eſſe ſcilicet a caſu. Tullius ex ſimili argumento, quod eloquenter declaravit, concluſit, (1) *Hæc cum cernimus, poſſumus ne dubitare, quin his præſit aliquis vel effector vel moderator tanti operis, & muneris?* Et alibi, (2) *cum impetum Cæli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus, conſtantiſſime conficientem viciſſitudines anniverſarias, dubitamus quin ea non ſolum ratione fiant, ſed etiam excellenti quadam divinaque ratione? aut vero alia quædam natura, mentis & rationis expers hæc efficere potuit, quæ non modo, uti fierent, ratione eguerunt, ſed intelligi qualia ſint, ſine ſumma ratione non poſſunt?* Atque hæc ille in ea, in qua vixit Aſtronomiæ infantia, quæ neminem nondum docuerat de planetis ſecundariis, regulariter circa primarios ſe revolventibus, & de motu ipſo primariorum non ſolum circa Solem, ſed etiam circa ſuos axes, & de cæteris omnibus, quæ poſt Nevvtonum jam vulgata ſunt,

136. Frequentia tandem, conſtantia, & uniformitas effectuum includentium eſſentialiter motum etiam minimarum partium apparet in ſingulis quibuſvis ſpeciebus animalium atque plantarum. Hæ enim in temperamento, colore, ſapore, in viribus medicinæ inſervientibus, in forma foliorum, florum, fructuum, in proportione circa extenſionem menſuram figuram & connexionem inter ſe, in tota demum ſubſtantiali conformatione tum externa, tum interna ſuarum partium, ſunt per univerſam terram, etſi climatum tam diverſorum, eædem, ac ex hiſtoria & aliis monumentis novimus fuiſſe præteritis ſæculis. Ita nec ullus unquam a vitibus decerpſit niſi uvas, nec a quercubus aliud quam glandes, nec e ſato tritico videmus quotannis aliud vegetabile pullulare, quam triticum. Quod ſiqui olim crediderunt & dictitarunt dari metamorphoſes tritici in lolium, & lolii in triticum, & unius plantæ in aliam, ex accuratis jam multorum obſervationibus, & inter alios Vallisnierii in epiſtola ad Chriſtianum Martinellum, quam magna ex parte refert Fortunatus a Brixia (3), convicti

(1) Tull. Tuſc. lib. 1. num. 29. juxta Olivet, pag. 323.

(2) Id. de Nat. Deor. lib. 2.

(3) Brix. Phyſ. partic. num. 4366. §. Opponitur. 3. pag. 223.

victi ſunt erroris, nati vel ex præconcepta opinione, vel ex oſcitatione in obſervando, vel ex nimia credulitate. Similiter quæ nunc ſunt animalia vivipara nunquam novimus fuiſſe ovipara, aut viceverſa: nec ab ovibus, aut alio quadrupede unquam nata ſunt ova, nec ab ovis oves, aut aliud terreſtre quadrupes: ſed omne animal ſemper generavit animal, quod tandem præſefert ſtructuram generanti ſimilem. Atque ſi ſit ex illis, quæ nunc videmus ad unum ſui ſtatum pervenire per varias metamorphoſes, ut accidit in papilionibus, non aliter novimus jam olim ſe habuiſſe, & fruſtra optamus aut timemus, ne in poſterum alia via res contingat. Sin autem ex iis ſit, quæ certo in loco vivunt, vel certis cibis paſcuntur, nunquam alibi viſa ſunt, quam in iiſdem ſibi aſſignatis quaſi regionibus. Ita campe, quæ rodit folia ſalicum, nullibi invenitur aſſidere eidem menſæ cum illa, quæ veſcitur braſſica, nec curculiones proprii frumento unquam generantur in leguminibus, nec tineæ pannorum habitant in plantis. Quid quod animalia illa, quæ ſuis recens natis debent cibum quærere vel parare, paucos ſolum ſingulis vicibus conſtanter generant, quia aliter nimis grave eſſet multos alere contra id, quod accidit in gallinis, phaſianis, perdicibus, aliiſque, quæ copioſa poſſunt ſimul prole abundare, quia hæc ſtatim ab ortu apta eſt per ſe ipſa ad cibum ſumendum, & quærendum per apertos campos, ubi copioſam annonam in diverſis ſeminibus, & omnis generis inſectis comparatam ſibi invenit a provido Creatore, ita ut unica genitorum cura ſit pullos ſuos ducere ad meliores cibos, vel illos, dum veſcuntur, cuſtodire. Non raro autem videremus in rerum generatione viciſſitudines toto genere diverſas, ſemel dato, quod ex fortuito atomorum motu illæ aliquando extiterint, ut Lucretius poſt Epicurum citatum a Lambino in ejus commentario auſus eſt dicere: ſemper enim haberetur materia fortuito mota, eadem ſcilicet cauſa, vi cujus (1)

Ex omnibu' rebus
Omne genus naſci poſſet: nil ſemine egeret:
E mare . . . homines, e terra poſſet oriri
Squammigerum genus & volucres: & erumpere Cælo
Armenta, atque aliæ pecudes; genus omne ferarum

 Inter-

(1) Lucr. de Rerum Nat. lib. 1.

Incerto partu culta ac deſerta teneret:
Nec fructus iiſdem arboribus conſtare ſolerent,
Sed mutarentur: ferre omnes omnia poſſent.

Quæ ipſius verba quam opportune in hanc rem cadunt, tam importune ille uſurpat ad concludendam nullam eſſe vim, quæ ex nihilo poſſit aliquid efficere.

137. Aliter idem argumentum cum Mauro (1) ſic proponitur. Quod eſt contra eſſentias rerum eſt metaphyſice impoſſibile; ſed eſt contra eſſentiam caſus, illum operari ordinato modo, quo operatur cauſa intelligens: ergo eſt metaphyſice impoſſibile caſum operari ordinato modo, quo operatur cauſſa intelligens: Atqui Mundus, & quæ in ipſo accidunt, ſunt effectus ordinati, & quales fierent a cauſa intelligente: ergo metaphyſice impoſſibile eſt Mundum, & quæ in ipſo continuo accidunt, fieri a caſu. Hoc pacto Athei illi, qui volunt materiam non ſolum æternam eſſe, ſed etiam a ſe ipſa mobilem, nihil adhuc proficiunt, ut Deum non eſſe ſuadeant. Etiamſi enim impoſſibilia illorum principia permittantur, nihilominus per ſolam materiam & ipſius motum ſine aliqua mente dirigente impoſſibile metaphyſice eſt, ut extiterit hæc Mundi machina.

SECTIO VI.

Objectiones contra impoſſibilitatem Mundi per caſum.

138. Primo objicitur. Si Mundum hunc non eſſe a caſu evidens fieret Philoſophis, primus non fuiſſet Anaxagoras, qui docuerit illum non factum a caſu. Atqui Tullius (2) teſtatur primum fuiſſe Anaxagoram, qui id docuerit: ergo.

Reſp. conc. maj. & nego min. Tullius enim tantummodo dicit Anaxagoram fuiſſe primum, qui Mundi formationem tribuerit Deo. De quo tamen multi citati a Jo. Chriſtophoro Wolfio (3) illum expoſtulant tamquam de contradictione, quippe in eadem pagina ſcribit, *Thaletem dixiſſe aquam eſſe initium rerum, Deum autem*

(1) Maur.Oper.Theol. lib. 1. qu. 16. 26. pag. 276.
num. 16. pag. 45. (3) Wol.Manichæiſm. num. 28. pag.
(2) Tull. de nat. Deor. lib. 1. num. 113.

autem mentem , quæ ex aqua cuncta fingeret; & deinde deſcendens ad Anaxagoram, qui poſt Thaletem fuit, hunc *primum dicit, qui voluerit vi mentis infinitæ Mundum deſignatum atque confectum*. De aliis ut Platone (1), Ariſtotele (2), & Laertio (3), qui citantur idem narrare de Anaxagora, alii viderint. Dici fortaſſe poteſt, illos ſignificare Anaxagoram primum fuiſſe, qui ex profeſſo docuit Mundum eſſe opus mentis infinitæ, quod alii vel ſuppoſuerunt evidens, vel tribuerunt menti quidem, ſed non infinitæ: nunquam vero caſui.

139. II. Objicitur. Inveniuntur non raro lapilli & gemmæ, in quibus nulla arte & mero caſu expreſſa apparent elegantiſſime diverſa corpora naturalia, ut flores, frondes, rami, vultus, manus, aut aliæ partes corporis vel humani vel alicujus bruti: Nec quidem hæc rara ſunt; Nam tria horum genera numerantur, ſcilicet lapides *engraphi*, hoc eſt picti, *lithographi*, hoc eſt figurati, & *lithotomi*, hoc eſt inciſi, quorum ſingulis aſſignat Jo. M. de Turre (4) quinque primarias ſpecies quæ ſub ſe habent plures ſpecies infimas, iis apud Authores diſtinctas notis ac nominibus, quæ ſtatim indicant, cujus corporis ſint imago. Ita lapides *uranomorphi* audiunt, qui corpus aliquod cæleſte, *anthropomorphi*, qui humanum, *phytomorphi*, qui plantam repræſentant. Frequentius in Achate hi naturæ luſus obſervantur, qui proinde pro variis figuris, quas repræſentat, varia nomina ſortitur, quæ ex eodem authore (5) ſunt hæc. Achates *technomorphos*, ſi characteres, vel figuras mathematicas habeat: Achates *uranomorphos*, ſi Stellas vel Lunæ phaſes: *Corallio-achates*, ſi ramos corallorum: Achates *phytomorphos*, vel *Dendrachates*, ſi arbuſta aut arbores: Achates *zoomorphos*, ſi animalia: & determinate *Lagites*, ſi caput leporis, & *phaſachates*, ſi palumbum: Achates tandem *Anthropomorphos* ſi homines. Huc etiam pertinet marmor dictum Florentinum, in quo obſervantur virgulta arbores cryptæ montes ædificia. His addi poteſt celebris imago ſpumæ circa os equi facta, coloribus projectis in tabulam a pictore irato, quia fruſtra circa illam jamdiu laboraverat, ut nar-

(1) Pla. in Theet.
(2) Ariſt. 1. Metaph. cap. 3.
(3) Laer. lib. 2.
(4) Tur. Elem. Phyſic. tom. 4. §. 1028. & ſequ. pag. 311.
(5) Idem Phyſic. part. tom. 1. num. 598. pag. 315.

narrat Plutarchus (1). Addi rurſus poſſunt diverſæ Cryſtallizationes, & coagulationes in formam plantarum & arborum, quæ caſu eveniunt chymicis miſcentibus inter ſe diverſas ſubſtantias heterogeneas. Solent hæ appellari vegetationes Philoſophicæ: & in particulari dicuntur Salinæ, ſi fiant cum Salibus: metallicæ vero, ſi cum metallis, in quibus celebres ſunt multorum ſcriptis, præcipue Hombergii (2), & Lemerii Junioris (3), in commentariis Academiæ ſcientiarum Pariſienſis, illæ quæ fiunt, per Argentum & Ferrum, & dicuntur Arbor Dianæ, & arbor Martis: ergo non eſt ne moraliter quidem impoſſibile, exiſtere opus aliquod elegans ex fortuito atomorum motu. Et etiamſi in hac noſtra terra artificia omnia perfecte expolita videamus habere pro ſui cauſa doctos artifices, fieri tamen poteſt, ut in aliis corporibus cæleſtibus, Jove aut Saturno, aut alio quovis, ſint hæc & ſimilia his opera, ſine ullo artificio perfectiſſime a ſolo caſu facta.

140. Reſpondet primo objecto Ludovicus Barbieri (4) permittendo dari lapillos aliquos, qui caſu imaginem alicujus objecti ſufficienter diſtinctam præſeferant, negans hinc inferri omnia, quæcunque videmus propemodum infinita hunc Mundum componentia tam apte inter ſe connexa, eſſe ſimiliter a caſu. Sed negandum revera illud eſt adæquate, ſcilicet tum quantum ad caſum, qui auctor dicitur illarum imaginum quarumcumque quæ in meris lapidibus inveniuntur: tum quantum ad diſtinctionem, quæ dicitur eſſe in hujuſmodi imaginibus. Nam quod pertinet ad primum, ſemel quod hujuſmodi lapides figurati conſtituant ſpecies aliquas, jam habetur in illis quædam determinata figura, eaque conſtans, quæ proinde caſum excludit, & repeti debet a naturæ legibus mechanicis, & immechanicis, quæ etſi a nobis non cognoſcantur, attamen admitti neceſſe eſt, quemadmodum has non negamus in productione verorum arborum & animalium, quamvis ne in his quidem nobis illæ innoteſcant. Quod vero pertinet ad elegantiam talium imaginum, id jam olim negavit Magalottus, qui Amſtelodami collectionem quamdam hujuſmodi ut ita dicam naturæ miraculorum cum viderit, profite-

(1) Plut. de Fortu. pag. 64.
(2) Homb. ad ann. 1692.
(3) Lem. ad ann. 1706. & 1707.
(4) Barb. Saggio di Metap. par. 1. art. 8. pag. 51.

fitetur, ſe nihil in illis vidiſſe (1), quod elegans revera dici poſſet, & ne umbram quidem aliquando obſervaſſe ſe earum imaginum, quas alii dicebant clariſſime ſe intueri: nec diſſimili modo circa hæc viſa credit rem ſe habere, ac circa ſonitum campanarum, quem unuſquiſque pro ſuo libito interpretatur. Idem pariter ſentiunt Pluche (2) & Jacobus Riccati (3) comparantes has imagines illis, quas ſibi aliqui videntur videre in nebulis. Comparari etiam poſſunt naturalibus illis certorum liquorum congelationibus, in quibus cum aliqui dixerint contemplatos ſe fuiſſe diverſarum rerum elegantes picturas, Robertus Boyle ex ſuis repetitis experimentis concluſit, in Tentamine phyſico de experimentis, quæ non ſuccedunt, illas non haberi, niſi in imaginatione obſervatorum. Ipſe objectus de Turre poſt enumeratos, & deſcriptos hujuſmodi lapides concludit, putandum non eſſe inveniri accurate delineatas imagines rerum, a quibus nomen acceperunt, ſed eam tantum cum iis ſimilitudinem, qua (4) *adjuti ab imaginatione ſæpe clare in iis videmus, quæ natura tantum ruditer adumbravit*.

141. Quod ſi imagines frondium ramorum animalium unanimi plurium conſenſu cenſeantur eſſe in illis lapidibus: non eſt dubitandum illas habere originem a veris ramis, frondibus, animalibus, quæ vel ſui impreſſionem in materia limoſa nondum in lapidem durata reliquerunt, vel jam olim lapidis naturam contraxerunt. Ea enim phyſicæ pars, quæ Mineralogia dicitur, non ſolum novit jam dari hujuſmodi concretiones, ſed propter illarum multitudinem coacta fuit illas dividere in plura genera, & hæc in plures ſpecies. Ita unum ex his generibus juxta citatum de Turre (5) eſt vegetabile lapidoſum, cujus prima ſpecies complectitur petrificationes vegetabilium: ſecunda eorum impreſſiones in lapidibus: tertia eorum converſiones in terram: quarta eorum commixtionem cum ſuccis mineralibus: quinta eorum reductiones in carbonem: ſexta eorum conſervationem in ſuo ſtatu quaſi naturali. Illud etiam eſt, ut idem Auctor monet,

(1) Mag. Lettere famil. par. 1. Lett. 21. §. Io ho veduto pag. 228.

(2) Plu. ſpett. de la Nat. Tom. 3. par. 2. Les Carrieres. §. Il y a une mepriſe.

(3) Ric. Opere Tomo 2. lib. 1. cap. 28. §. 2. pag. 151.

(4) Tur. Elem. Phyſ. tom. 4. §. 1035. pag. 316.

(5) Id. Ibid. §. 581. pag. 278.

net, advertendum, quod oportet hujuſmodi figuras attente examinare, antequam ſtatuatur, artem omnem humanam ab illis abeſſe; Nam, inquit (1), ſi inter duo plana marmorea colloces chartam, in qua ſint figuræ quævis depictæ aut atramento, quod ſaturum ſit vitriolo, aut colore ſoluto in aqua ex vitriolo, ſale marino, bitumine, & alumine cum aqua diſtillatis, & ne colores evaporent, obturatis cera rimis omnibus, illas recondas in loco humido, invenies poſt menſem figuras eaſdem in tabulis expreſſas. Idem facilius fit in Achate, quem, eodem referente (2) conſtat infici coloribus pro libito diverſis, pennicillo imbuto ſolutione argenti, vel biſmuthi, vel auri. Hoc modo explicari poſſet celebris Achates anuli Regis Pyrrhi, in quo conſpiciebantur Apollo, & novem circa ipſum Muſæ cum ſuis omnes inſignibus, ſi credimus Plinio, qui de illo meminit (3), ut ſibi per famam cognito.

142. Reſpondet ſecundo objecto Plutarchus ipſe, qui pluribus ſtultitiam eorum, qui quidquam fortunæ tribuunt, declarans, dicit, *hoc unum fortunæ artificioſum facinus narratur*, quod præterea parum habet admirationis; Nam expreſſio ſpumæ equinæ longe diſtat ab artificioſa imagine vultus alicujus, vel integri animalis. Quænam eſt proportio, inquit Benedictus Pictetus (4), inter ſpumam equi iactam ſemel intra plura ſæcula per temerariam projectionem non jam multorum colorum, ſed unius, fortaſſe diligenter etiam jam ante præparati, & ſtructura unius equi, & tot corporum organicorum ſpecierum diverſarum, & totius Mundi?

Reſpondetur tertio objecto, imprimis Adverſarios non advertere, vegetationes philoſophicas ſic appellari per metaphoram deſumptam ex quadam dumtaxat ſimilitudine, quæ in illis concretionibus habetur, cum figuris herbarum & plantarum. Cæterum longe illæ diſtant ab uniformitate, ſtructura organizatione elegantia, quæ eſt in ſingulis herbarum partibus. Rurſus nihil in illis haberi fortuiti evidens eſt, cum ad artem quamdam redactæ ſint hujuſmodi vegetationes, quoniam illæ conſtanter haben-

(1) Tur. Elem. Phy. tom. 4. §. 1035. pag. 316.

(2) Id. Phyſ. partic. tom. 1. §. 400. pag. 316.

(3) Plin. lib. 37. cap. 1.

(4) Pict. contre l' Indifferen. des Religi. cha. 1. pag. 57.

habentur, quoties quis teneat rationem illam operandi, quam Authores præſcribunt, & ex ipſis brevi exponit Jo. de Turre (1). Quare quemadmodum quando aqua erumpens e ſalientibus cogitur diverſas figuras aut ſtellarum, aut cyathi repræſentare, nemo dicit illas eſſe ex caſu, ita ne hæc quidem vegetationis ſimilitudo dici fortuita poteſt, niſi ab eo, qui per abuſum nominis fortuitum dicat illud, cujus cauſam explicare non poteſt, etſi intelligat illam adeſſe in legibus naturæ, nobis partim notis, partim ignotis.

Reſpondetur quarto objecto, quod omiſſa impoſſibilitate ſupra demonſtrata hujuſmodi operum, quæ ordinem in ſuis partibus habeant, per fortuitum motum, ex hoc ipſo, quod in noſtra hac terra hæc caſus vis non appareat, inferri debet nullibi vim hanc illi ineſſe; Nam hic primum deberent apparere per vim hujuſmodi caſus perfectæ picturæ hominum, equorum, & exercituum, quoniam materia hujus terræ oſtendit ſe pati ex caſu tales motiones, ut juxta adverſarios concreſcat in veros homines, equos, exercitus.

143. III. Objicitur. Ex ordine & utilitate rerum non infertur res primo factas eſſe cum intentione talis ordinis, & talis utilitatis, ſi hic ordo & utilitas ſit poſt ipſam rerum exiſtentiam ex induſtria hominum: Atqui ordo in partibus Mundi, & ſingularum utilitas poteſt eſſe poſt ipſam rerum exiſtentiam ex induſtria hominum. Ita in montibus inveniuntur aliquando ſcopuli ita diſpoſiti, ut illis utantur homines tamquam gradibus ad altius aſcendendum, & alibi inveniuntur naturales cavernæ, quæ receptaculum viatoribus tribuunt in improviſis tempeſtatibus, quin poſſit quis jure inferre, ea ad hujuſmodi uſus facta fuiſſe, cum inferatur ſolum ea, poſtquam jam fuerunt, adhiberi ab hominibus ad prædictos uſus: ergo ex ordine rerum hujus Mundi, earumque utilitate non infertur res primo factas eſſe cum intentione talis ordinis, & utilitatis: ergo ſi hoc non infertur, jam poſſunt eſſe facta fortuito materiæ motu.

Reſp. conc. maj. & nego minorem. Exempla quæ proponuntur, ſunt quidem de quodam ordine, & uſu aliquarum rerum arbitrario, neque enim negatur homini datam eſſe vim ordinandi

 ali-

(1) Tur. Elem. Phy. tom. 4. §. 1143. & ſeq. pag. 459.

aliqua, quæ jam exiſtunt, & applicandi ad diverſa officia. At quid hæc ſunt comparata cum iis, quæ in tota rerum creatarum congerie habentur, quæ ſi diverſo modo ſint diſpoſita, vel deſint, ſuppleri nullo modo poſſunt. Ipſum corpus hominis & cujuſvis animalis nonne in ſingulis ſuis partibus præſefert conſtructionem directam ad finem aliquem? Tolle pedes homini & brutis, impedita jam utriſque ſemel eſt celeritas motus: nullæ datæ ſint homini manus, avibus alæ, deerunt artes, & artifices in terra, & deſerta erunt habitatoribus aerea ſpatia. Quid clarius, quod oculi aures & reliqui ſenſus dati ſint ad particulares ſenſationes recipiendas? cum eorum uſus ſit in animali, antequam ullius induſtriæ ſit capax, & ſemel quod ii deſint miſerum illud ſit, nec ulla via illorum defectus ſuppleri poſſit. Similiter de ſingulis fere creatis rebus dicendum eſſe luculenter obſervant, & exponunt, qui de cauſis finalibus agunt, cum quibus aliquid diſtinctius dicam infra. Sed magis directe reſpondendo cum Picteto (1) exemplo ſcopulorum & cavernarum, conceditur quidem dependere prædictum illorum uſum a deſtinatione hominum, facta poſt obſervatam eorum exiſtentiam, & conſtitutionem, ſed negatur idem a pari dici poſſe de iis, quæ oculis omnium objiciuntur, & perquirenda non ſunt inter habitationes ferarum & aquilarum. Illud enim inter iſta, quæ invicem comparantur, eſt diſcrimen, quod apparet inter ſcopulos ſibi ſuper impoſitos, & ſcalam ab accurato artifice directam & elevatam, inter cavernam, & domum longo ſtudio, & multo labore diſpoſitam, inter corpus demum informe nec organicum, & corpus organicum, cujuſmodi eſt tota ſtructura Mundi, & præcipuarum ipſius partium, quæ ſunt corpora animata, quæ omnia & ſingula ſuperant creatam ſcientiam, & artem omnium artificum cujuſcumque temporis.

Abſurdam hanc objectionem fecit olim Epicurus, quam fuſe exponit Lucretius (2), eamdemque renovavit Spinoſa apud Hookem (3) dicens, *Homines ordinis & confuſionis, boni & mali notiones ſibi efformarunt: poſtquam ſibi perſuaſiſſent omnia, quæ fiunt*

(1) Pict. contre l'Indifference des Religion. cha. 1. pag. 9.

(2) Luc. de Rerum Natu. lib. 4. a v. 821.

(3) Hoo. Princip. Relig. Natur. & revel. tom. 1. ſec. 1. arg. 5. pag. 108.

ſunt propter ipſos fieri, tunc in unaquaque re præcipuum judicare debuerunt, quod ipſis utiliſſimum.

144. IV. Objicit Maupertuiſius (1). Ordinata rerum diſpoſitio, quæ nunc habetur, potuit erumpere fortuito atomorum motu inter innumerabiles diſpoſitiones non ordinatas; Nam, quamvis probabilitas, ut quid ordinatum fortuito exiſtat, ſit tenuiſſima propter infinitum fortaſſe numerum inordinatorum, qui ſibi opponitur, non tamen dici poteſt nulla: Quæcunque autem ordinata diſpoſitio ſemel eruperit, poteſt per ſe ipſa durare, quemadmodum quæcumque inordinata debet per ſe ipſa deficere. Ita animal, quod fortuito extiterit præditum aptis ad ſui conſervationem, & propagationem organis, conſervari per ſe ipſum & propagari potuit: illud vero, quod his deficiens extiterit, debuit ipſum etiam deficere, nec ulla ex eo ſpecies propagari neceſſe fuit: ergo ordinata rerum diſpoſitio, quæ nunc habetur, non ſuadet Mundum non eſſe nec conſervari fortuito.

Reſp. nego primam antecedentis partem cum ejus probatione, & cadunt reliqua. Attenta enim natura inerti atomorum, quæ ſibi relinquantur, nulla eſt probabilitas de exiſtentia alicujus corporis ordinati & organici ex fortuito illarum motu ex rationibus jam allatis.

145. *V.* Objicit idem ibidem. Uniformitas ſaltem in conſtructione corporum organicorum non eſt aptum argumentum ad excludendam poſſibilitatem illorum exiſtentiæ per fortuitum atomorum motum. Aſſumptum probat I. quia in iiſdem organicis corporibus obſervatur magna varietas: Ita maxime differunt inter ſe piſciculus & cetus, leo & formica. II. quia ſunt, qui ex varietate corporum organicorum eodem modo inferunt excluſionem hujuſmodi caſus: ergo cum ex contrariis antecedentibus nequeat inferri eadem concluſio, dicendum eſt illam non inferri neque ex uniformitate, neque ex varietate corporum organicorum.

Reſp. nego aſſumptum. Primam autem probationem diſtinguo ſic. Obſervatur varietas ſpecierum in corporibus organicis, *conc.* Obſervatur varietas partium vel attributorum, quæ eſſentialia

(1) Mauper. Coſmol. Avant-propoſ. pag. 6.

tialia ſint ſingulis ſpeciebus, quæ ſunt ſub certo genere corporis organici ut plantæ & animalis, *nego*; ſunt enim in omnibus plantis radix, truncus, folia, in omnibus animalibus cor, caput, ſtomachus. Rurſus obſervatur varietas in individuis ejuſdem ſpeciei, ſubdiſtinguo, quantum ad eſſentialia, nego; quantum ad accidentalia, concedo. Ad ſecundam vero probationem concedo antecedens, & nego conſequentiam, ejuſque ſuppoſitum; quod ſcilicet antecedens mentionem faciens de uniformitate in iis, quæ ſunt eſſentialia individuis ſingularum ſpecierum, ſit contrarium illi, quod meminit de varietate ſpecierum, vel eorum, quæ non ſunt eſſentialia individuis, cum diverſum dumtaxat ſit hoc ab illo. Non eſt autem mirum, quod eadem concluſio inferatur ex antecedentibus nullo modo inter ſe oppoſitis, ſed ſolum diverſis.

146. VI. Objicitur. Sunt plures Philoſophi, ex iis etiam, qui maxime pii habentur, qui ſtatuunt plantas aliquas, & viventia aliqua generari ex fortuito materiæ putreſcentis motu; Atqui quævis planta, & quodvis vivens ſunt opera admirabilis ſtructuræ: ergo nec moraliter, nec ullo modo impoſſibile eſt fieri per ſolum materiæ fortuitum motum opera admirabilis ſtructuræ.

Reſp. nego majorem. Nam plerunque hi, qui generationem ex putri propugnant, adſignant putredinem tamquam cauſam ſolum materialem, & pro cauſa efficiente recurrunt, non ad motum fortuitum, ſed vel ad Deum, vel ad alias cauſas, ut alibi (1) dixi. Illi igitur, qui fortuitum putredinis motum putarunt eſſe harum generationum cauſam, reducuntur ad Atheos, & malos Philoſophos. In his Abrahamus Chaumeix (2) numerat Dalembertum auctorem articuli de *Corruptione* in Gallica Encyclopædia, qui *caveamus*, inquit, *ne abſolute affirmemus putredinem in nullo caſu poſſe producere corpora animata*. Hi non advertunt, ut notant Cardinalis Ptolemæus (3), Petrus le Brun (4), & Pluche (5) quod ſi inſecta, res quidem vulgo contemptibiles, ſed

(1) Diſſ. de cauſ. Effici. §. 261.

(2) Chaum. Prejuges contre l' Encycloped. lib. 1. cap. 1. art. 2. pag. 61.

(3) Ptolem. Phyſ. partic. de Corpore animato diſſ. 2. ſec. 5. num. 2. pag. 572.

(4) Brun. Storia delle ſuperſtit. lib. 1. cap. 12. num. 8. pag. 48.

(5) Plu. ſpett. de la Nat. tom. 1. Les Inſect. §. Comment. pag. 41. & tom. 4. par. 2. Entr. 7. Les Microſcop. pag. 526.

ſed apud doctos ſtructuræ admirabilis, poſſent ſemel extare ex putredine caſu fermentante, poſſet ex cumulo fimi ſimiliter incaleſcente exiſtere Elephas, aut Taurus, ex cumulo librorum, quos tineæ exederint, volumen aliquod eruditum, ex cumulo ferramentorum, quæ per rubiginem contrita fuerint, horologium affabre diſpoſitum: Atqui hæc ſtulte crederentur poſſibilia: ergo a pari ſtulte creditur, quod ex putredine extent caſu inſecta. Contra quos proinde tamquam docentes doctrinam Atheiſticam, vel quæ ſaltem infirmat omnia argumenta pro impoſſibilitate exiſtentiæ hujus Mundi per merum caſum, habent locum, quæ jam olim declamarunt Duguetus (1), Beniamin Martinus (2), Pluche (3), Alphonſus Nicolai (4), Jacobus Riccati (5), & ſæpius in ſuis epiſtolis Leuvvenhokius; qui tamen otioſe exclamarunt eo modo contra propugnatores generationis ex putri univerſaliter, cum in ſano ſenſu jam dicto plerique loquuti ſunt, ut contra Leuvvenhokium dixit jam Hartſoeker (6).

147. Inſtabis. Aliquando accidit ex pluribus papilionum ovis erupiſſe totidem parvas muſcas, & ex eruca adhuc viva plures vermiculos, qui ipſi adhærentes tandem muſcæ evaſerunt. Sed id vel non poteſt explicari niſi per hoc, quod putrefactio ſemper antecedens ortum animalium, caſu aliquo paſſa ſit alios motus ab illis, qui plerunque in ſimilibus contingunt, vel ſaltem nullum eſt argumentum deductum a ſuppoſitione, quod generationes animalium uniformi modo ſemper contigant: ergo.

Reſp. conc. maj. & nego minorem. Nam ratio phaenomeni, quod alios ex Philoſophis perturbavit, alios in falſas opiniones induxit, eſt, quod ſupra ova Papilionum depoſuerint muſcæ ſuam foeturam, quæ intra illa penetrans, ibique converſa in Chryſallides, ex illis tandem evaſit in muſcas ſimiles matribus. Res in comperto eſt, poſtquam referente Pluche (7) microſcopium detexit

(1) Duguet. Oüvrage.

(2) Mart. Grammat. delle ſcienze par. 4. cap. 4. pag. 242. in notis.

(3) Plu. Spettac. della Natu. tom. 6. tratt. 7. §. Ed ecco. pag. 198.

(4) Nico. Lezio. 9. di Scrittu. §. Noi ſiamo certi. pag. 95.

(5) Ricc. Opere tom. 2. lib. 1. cap. 15. §. 5. pag. 159.

(6) Harts. Cours de Phyſ. Extrait des Lettr. de Leuvvenoek. lettre 47. pag. 18.

(7) Pluch. Spettac. de la Nat. tom. 1. Entr. 1. Les Chenilles. §. Les mouches. pag. 132.

texit in ovo majoris Papilionis, ex quo muſca eruperat, duplex foramen, alterum majus, ex quo illa exiit, alterum minus, per quod cum eadem eſſet ſub forma vermiculi, ingreſſa eſt.

148. VII. Objicitur. Facta hypotheſi atomos eſſe partes componentes Mundum hunc, creatas quidem, ſed nullo conſilio ab ipſarum Creatore in unum certum ſpatii locum projectas, vel in uno certo ſpatii loco incluſas & temere agitatas, ſequitur dicendum hanc, quæ nunc habetur, combinationem, & partium Mundi diſpoſitionem potuiſſe exiſtere ex ipſarum fortuito motu: ergo ex connexione partium hujus Mundi non infertur ulla ipſius cauſſa intelligens. Probatur antecedens. Ex projectione vel agitatione atomorum in certum ſpatii locum, & intra determinatum ſpatium nullo conſilio factis debet extare aliqua combinatio: ſed quæ nunc habetur ordinata combinatio, una eſt ex combinationibus, quæ extare potuerunt ex projectione vel agitatione nullo conſilio factis: ergo poteſt hoc modo extare illa, quæ nunc habetur partium Mundi combinatio.

Reſp. I. nego hypotheſim primi argumenti, utpote impoſſibilem. Nam Deus atomorum creator eſt immenſus, neque poteſt proinde non eſſe ubicunque quævis atomus ſit, aut fingatur eſſe: præterea ab eodem dependent non ſolum in eo, quod extiterint, ſed etiam in eo, quod perſeverent exiſtere atomi illæ, ut demonſtratur, ubi agitur de Deo conſervante: neque his ſe attributis ſpoliare quodammodo poteſt Deus, quippe ſunt de ipſius eſſentia. Cum igitur ſit quævis atomus ſemper penetrata quodammodo a Deo, neque ullibi eſſe poſſit ab eo diviſa, nec ſine actione illius continua, atque cum tandem Deus ſit infinite intelligens, utpote perfectiſſimus, impoſſibile eſt, ut ſibi relinquat atomos illas, & caſus ullus fortuitus in quavis ipſarum motione contingat.

Reſp. II. Permiſſa hypotheſi nego, quod ex ea infertur in antecedenti. Ac quod pertinet ad hujus probationem, nego primo majorem cum Daniele Bartolo (1) & Cheyne (2). Ex projectione enim atomorum nullo conſilio facta non deberet ulla compoſitio fieri. Diſſolutæ erant antea atomi, diſſolutæ etiam erunt, dum labuntur, vel moventur, & diſſolutæ permanebunt, poſt-

(1) Bart. Ricr. del Savio lib. 1. cap. 4. (2) Chey. princ. Filoſ. c. 3. §. 6. pa. 71.

poſtquam quieſcent. Niſi forte fiat alia hypotheſis, atomos illas creatas fuiſſe diverſæ inter ſe figuræ, alias acutas perforatas tortuoſas aduncas, alias quodam glutine illitas in tota ſua ſuperficie, alias vero ſolum ex parte, ut alteræ in alteras incidentes cohærere invicem poſſint, & diverſas moles componere. Quamobrem omitto etiam hanc majorem, ſed nego minorem; Non enim eſt poſſibilis hæc ordinata præſens conſtitutio Mundi per quaſvis atomos quovis modo figuratas, & ſemel projectas, & mero caſui relictas; Nam præſens conſtitutio Mundi habet innumeras partes, in quibus talis determinatus numerus & ſitus particularum diverſarum invicem colligatur ad efformanda corpora organica plantarum & animalium, & ſingula illorum membra, & membrorum particulas, ratione uniformi ſemper atque conſtanti. Habet rurſus in his ipſis corporibus, & in tota ſua congerie partes, quæ diverſis motibus, & in diverſas etiam plagas continuo ſimul & uniformiter agitantur. Hi autem motus tam varii, impoſſibile metaphyſice eſt, ut proveniant ab atomis ſibi relictis, utpote eſſentialiter inertibus, & vel omnis tandem motus ipſarum, & earum molium, quæ ex ipſis factæ fuiſſent extingueretur, vel ad motum uniformem, & in eamdem partem redigeretur. Hæc ratio longe melior eſt, utpote omnino ſuadens falſitatem illius minoris, quam ſit ea, quæ placet Buffierio (1), quæ in eo nititur, quod inter prima principia haberi debeat, nihil, quod præſeferat ordinem & motum regularem, poſſe eſſe effectum cauſſæ non intelligentis.

149. Inſtatur. Quid aliud Carteſiani poſtulant præter motum ſemel impreſſum materiæ, ut omnia hæc, quæ habentur phænomena, habeantur. Carteſius certe Philoſophus, qui nihil profeſſus fuit admittere ſe tamquam verum, niſi illud, cujus ideam haberet claram, atque diſtinctam, ædificavit ſuam phyſicam ſupra hanc veluti baſim, nimirum (2) *materia mota debet efficere res omnes tam generales, quam particulares abſque eo, quod Deus ullum ordinem, aut proportionem in illis ponat*. Et alibi concludit, (3) *Nolebam ex his omnibus inferre Mundum hunc eo, quo proponebam modo, fuiſſe creatum; Multo enim veriſimilius eſt*

(1) Buff. Prem. verit. num. 65. col. 575.

(2) Cart. Trac. de Lumine.

(3) Car. de Methodo §. 5. pag. 28.

Digitized by Google

eſt Deum ipſum ab initio talem, qualis futurus erat, feciſſe. Verumtamen etiamſi nullam ei aliam, quam Chaos formam ab initio dediſſet, dummodo poſt naturæ leges conſtitutas ipſi concurſum ſuum ad agendum, ut ſolet, commodaret, eo ſolo res omnes pure materiales cum tempore, quales nunc eſſe videmus, effici potuiſſent. Similiter Malebranchius hoc Carteſii placitum adprobans, & commendans dicit, (1) *ſi totus Mundus in ordine, in quo illum videmus perſiſtat, id ſit, quia leges motuum, quibus in illo ordine conſervatur, illum etiam in eodem ordine potuiſſent collocare*: & alibi (2) tenet, omnia naturæ phænomena tum regularia tum monſtroſa eſſe conſequentias duarum legum motus, altera quod corpora mota tendant in directum, altera quod motus in corporum conflictu diſtribuatur pro ratione maſſæ corporum. Eodem modo Houtteville arbitratur; Nam inquit (3) *ſtatim atque Deus imprimit motum materiæ, video ejus determinatum gradum illi impreſſum tendere ad omnes revolutiones ſucceſſivas omnium temporum, locorum, & generationum*. Et infra: *Concipitur potuiſſe Deum ita determinare legem communicationum motuum, ut hoc tempore ex. gr. Mundus videret hanc ſanationem, hanc Eclypſim, hanc reſurrectionem*. His ſimilia habet Leibnitius (4).

Rurſus quid aliud Nevvtoniani præter motus quoſdam poſtulant, ut conſervetur hæc Mundi machina? (5) *Mundus*, inquit Nevvtonus, *formatus poteſt per meras leges naturæ in multa ſæcula perdurare*.

150. *Reſpondeo* quod pertinet ad Carteſianos, primo quidem, propter hoc ipſum, quod ſyſtema Carteſii audet dicere per materiam & motum fieri poſſe mundum hunc ſine Deo, male illud audire apud cordatos Philoſophos. Derhamus (6), & Clarkius (7) profitentur eſſe Atheiſticum, & ut tale adhibitum ab aliis, hoc ſolum concedentes Carteſio, quod ipſe in multis aliis ſcriptis oſtenderit ſe plenum Religionis, & alienum ab Atheiſmo. Carteſium propter eamdem cauſam accuſat Cudvvor-

(1) Mal. de Inqui. Verit. lib. 6. par. 2. cap. 4. §. Noverat. pag. 435.

(2) Id. de la Nat. & Grace Diſſ. 1. num. 18. pag. 35.

(3) Hout. Relig. Chreti. lib. 1. cha. 6.

(4) Leib. Pheodic. par. 2. num. 188. pag. 187.

(5) Nevu. Opti. lib. 3. qu. 31. in fine.

(6) Derh. Phyſico-Theol. B. 5. cha. 1. pag. 271.

(7) Clar. A diſcours of Religion. Introd. pag. 18.

vvorthus, quod (1) *quantum in ipſo fuit, ſuſtulerit unum ex præcipuis argumentis, quibus Deum eſſe intelligimus*: eamdemque ſententiam alibi exponens concludit, (2) *Quid abſurdum magis, & ridiculum ſit, non equidem intelligo*. Freindius dicit, (3) *Qui univerſum Phyſices negotium mechanica quadam ratione geri volunt, ita ut nihil ſit, quod non ab ipſa materiæ vi, immutabilique motus conditione proficiſci putent, quid aliud agunt, niſi ut cum Epicuro notionem ex animo hominum evellant cunćta providentis, atque moderantis Dei*. Cheyne de eodem Carteſio ſic loquitur, (4) *Admiror dum cogito, quonam modo potuerit homo ſanus ſibi perſuadere, hanc rerum Univerſitatem effećtam fuiſſe per materiam & motum*, quæ fere deſcripſit ex Nevvtono (5). Maupertuiſii non omittam illa, quæ aliquo modo minuunt invidiam ſuperiorum ipſius objećtionum, (6) *Satis temerarii fuerunt illi Philoſophi, qui per ſolas leges mechanicas aggreſſi ſunt explicare Phænomena mundi viſibilis, & ejus primam formationem*. Hoc ipſum Pluche (7) vocat delirium Carteſianum, & periculoſam quam maxime deceptionem, in quo ſuadendo iterum iterumque (8) fuſe immoratur. Eamdem cenſuram exercet Angelus Papi (9). Plures alios, qui pari modo cenſent, citat Moshemius in notis ad Cudvvorthum loco citato, quibus addo Valſecchium, qui determinate rejicit (10) dićta Houttevillæi. Profećto cum ſæpe nobis contingat, non poſſe nos adhibito omni etiam ſtudio obtinere quædam, quæ leviſſimi momenti, & primo adſpećtu etiam facillima, ut dirigere fumum camini extra cubiculum, etiam poſtquam inſignis aliquis Algebriſta viam, quæ optima ſibi meditando viſa eſt, complanavit, & experti Artifices accurate ſtraverunt, merito irridere poſſumus Carteſium, & ipſius ideas claras de ſtrućtura mundi hujus per ſolum materiæ impreſſum motum, & tamquam perditiſſimæ audaciæ

V homi-

(1) Cudvv. Syſte. Intellec. poſt cap. 3. Diſſ. de natura genitri. §. 31. p. 193.
(2) Id. Ibi. §. 3. pag. 154.
(3) Fre. Præl. Chym. in Vindic. pagin. 165.
(4) Chey. Princ. Filoſo. cap. 3. §. 7. pag. 72.
(5) Nevvt. Opti. lib. 3. qu. 31. in fine.
(6) Mau. Oeuvrs. Coſmol. Les loix du mouvem. pag. 23.
(7) Plu. Spett. de la Nat. tom. 3. Entr. L'Air. §. la Philoſophie.
(8) Id. Ibid. Uſage du Spettac. §. Il n'en eſt pas
Id. Ibid. Tom. 6. Entr. 1. L'Origine de la Societè. §. En effet. pag. 6.
(9) Pap. Sacra Auth. critic. tr. 2. §. 1. pag. 142.
(10) Valſ. Fond. della Relig. lib. 2. cap. 16. num. 9. pag. 239.

homines execrari quotquot Carteſianiſmum eo deducant, ut Increduli tandem evadant, & fortaſſe etiam Athei, ſicuti ex illo Atheus factus eſt Spinoſa, & alii ut notarunt Pluche (1), Voltaire (2), & Trevoltiani (3). Hi ſunt ex illis, de quibus jam olim dixit S. Auguſtinus,(4) *Sunt qui magnum aliquid ſe agere putant, ſi univerſam iſtam corporis molem, quam Mundum nuncupamus curioſe perquirant. Unde tanta etiam ſuperbia gignitur, ut in ipſo Cœlo, de quo ſæpe diſputant, ſibimet habitare videantur, & nihil putent eſſe, niſi corpus.*

151. *Reſpondeo ſecundo*, Carteſium quidem, dum per ſolam materiam & leges motus dixit potuiſſe exiſtere hunc mundum, nomine mundi, etſi per abuſum vocabuli, de quo dignus eſt accuſari, intellexiſſe dumtaxat collectionem corporum majorum, & inorganicorum. Nam de his ſolis, ut obſervat Clarkius (5) conatus eſt exponere modum, quo iis legibus poſitis conformarentur & diſponerentur, tacens de modo, quo corpora organica & animata producerentur. Quod vero pertinet ad Carteſianos, illi communius poſtulant motum impreſſum cum ineffabili & myſterii pleno conſilio mentis Divinæ, non motum mere fortuitum, eumque volunt ab ipſomet primo motore conſervari. Immo eorum aliqui ita moveri dicunt, quicquid movetur, ut ſolius Dei effectum eſſe motum quemcunque dicant. Quare Moshemius (6) advertit Carteſianos jure poſſe conqueri de injuria ſibi facta, dum accuſantur favere ſe per ſuum ſyſtema Atheiſtis. Ipſe etiam Carteſius dolere de hac accuſatione poſſet, nam illam ipſam ſententiam, quæ ex eo objecta fuit, ille non pronunciavit niſi in ſuppoſitione, quod Deus prius ſtabiliverit motus, ſeu ut ipſe ait, naturæ leges, quæ intelligi non poſſunt, niſi præſuppoſitis quibuſdam Divinis decretis, quæ Pluche (7) enumerat, etſi hæ ipſæ ſuppoſitiones adhuc non ſufficiant, ut ipſe idem oſtendit,

(1) Pluch. Hiſtoir. du Ciel. Prefaz. pag. 22.
Id. Ibid. tom. 2. lib. 2. n. 8. §. Il y a diſent. pag. 254.

(2) Volt. Oeuvres tom. 6. Metaph. cha. 1. §. Il s'en faut. pag. 20.

(3) Memor. de Trev. ann. 1737. art. 13. pag. 227.

(4) S. Aug. de Morib. Eccle. lib. 1. cap. 21. pag. 297.

(5) Clar. A demonſt. of God. propoſ. 8. coroll. 3. pag. 64.

(6) Moſ. in notis ad Cudworthum. diſſ. de Natura Genitrice §. 2. pag. 151.
Id. Ibid. §. 5. pag. 155.

(7) Plu. Hiſtoi. du Ciel. tom. 2. lib. 2. num. 8. §. Voyont. pag. 214.

dit, ad tollendas omnes a Carteſiano ſyſtemate abſurditates, inter quas eſt hæc, quam perſequitur Hooke (1), quod illud vel tribuat materiæ cognitionem, & arbitrium, vel tollat omnem Dei cultum, timorem, & ſpem. Tribuit quidem materiæ cognitionem, ſi aliquas ipſius partes, ut halitus & vapores, velit attemperare ſe precibus piorum, ut illis parcant, dum alios proſternunt: tollit vero omnem Dei cultum, timorem, & ſpem, ſi illas velit neceſſario nulla ullius habita ratione operari. Cum tot tantique errores ex Carteſii verbis ſupra expoſitis manifeſte inferantur, Jacquierius putat eo loquendi modo ipſum, (2) *nihil aliud ſignificare voluiſſe, niſi Deum figura dumtaxat & motu uſum fuiſſe ad diverſas corporum ſpecies diſtinguendas*.

Quod pertinet ad Malebranchium, qui etiam determinate nobis objicitur, ille ipſe audiens hanc objectionem, illam a ſecum Carteſio repellit admonendo, quod quoniam Carteſii principia ſunt, (3) *nullum corpus poſſe moveri propriis viribus & omnes leges immutabiles communicationis motuum nullas alias habere cauſas, quam voluntates Dei, profanis ſuam impietatem illius ſyſtemate tegendi, omnis occaſio ſublata eſt.* In eodem opere ipſe idem limitat hanc ipſam ſententiam ad ſola corpora non organica: (4) *corpora organizata*, inquit apud Arnaldum, *dependent ex aliis legibus naturalibus nobis penitus ignotis præter duas illas motus in directum, & communicationis ipſius in colliſione corporum pro ratione maſſæ*, quibus ſimilia alibi (5) repetit. Et tam evidens per ſe eſt ita rem eſſe, quam evidens eſt non jam motum impreſſum fragmentis ferri & æris producere rotas, elaſteria, & horum inter ſe unionem, ſed rotas jam ante cum opportunis elaſteriis, & inter ſe artificioſe conjunctas, producere in illis motum.

152. Quod pertinet ad Newtonianos, quos pariter tamquam ſibi faventes objecerunt Adverſarii, dico illos eum in materia & diverſis ipſius partibus motum conſiderare, ut ſtatim inferant, ergo Divina mens adeſt, quæ dirigit iſtos motus, quos impoſſibile eſt haberi per cognitas leges communicationis mo-

 tus,

(1) Hoo. Princip. Relig. tom. 1. par. 1. ſec. 3. art. 5. pag. 356.

(2) Jac. Phyſ. par. 1. ſec. 2. in concl. art. 3. pag. 325.

(3) Mal. de Inq. Verit. lib. 1. par. 2. cap. 4. §. ultimo pag. 440.

(4) Arn. Reflex. ſur. le nouveau ſyſt. de la Natur. & Grac. lib. 1. cha. 5. p. 110.

(5) Maleb. Medit. 7. num. 5.

tus, quæ habent quidem locum inter corpora ſibi contigua, non vero inter illa, quibus hæc rerum univerſitas componitur, cum ea ſint in diverſis locis, & ad diverſas ab invicem diſtantias collocata, ſpatiis interea mediis magna ex parte vacuis, vel a fluido maxime raro ſolum occupatis. Quare præter leges illas mechanicas recurrunt ad alias non mechanicas, eas præcipue, quas Attractionis vocant, & quas optime intelligunt & animadvertunt non poſſe dependere, niſi a libera electione entis infinite intelligentis & potentis, cum nulla ſane ſit neceſſaria connexio inter materiam exiſtentem & vires attractionis, quæ has potius leges ſequantur, quam alias utique poſſibiles. Atque ad hujuſmodi vires, quæ in hac rerum creatarum congerie ſe produnt, alludit Nevvtonus in verbis ex ipſo objectis, eoſdemque plerique ipſorum putant eſſe effectum immediatum Divinæ mentis, omnia continuo conſervantis, & diſponentis, certe quidem aliquid omnino immechanicum, ut ſæpius inculcat Cheyne (1). Quin alibi Nevvtonus iterum repetens, quod corpora cæleſtia (2) *perſeverabunt in orbitis ſuis per leges gravitatis*, addit, *ſed regularem Orbium ſitum primitus acquirere per leges haſce minime potuerunt*. Hoc unum eſt, quod narrat Voltaire (3) ſe inter Carteſianos quidem agnoviſſe Pantheiſtas, inter quos primas tenet Spinoſa, cujus ſyſtema eſt *Carteſianiſmus immoderatus*, ut dixit Leibnitius (4), quod ipſius dictum ſatis reſpondet objectioni ex illo ſupra factæ: inter Nevvtonianos vero, nunquam niſi Dei ſinceros & publicos adoratores.

153. VIII. Objicitur. In hypotheſi æterni atomorum motus fortuiti, præſens atomorum combinatio, in qua conſiſtit hic Mundus, poteſt infinities caſu redire. Pro hoc aſſumpto, quod negatur, ſic arguitur. Infinities poteſt caſu redire ea combinatio, quæ eſt intra numerum finitum combinationum, quæ infinities debent exiſtere: ſed præſens Mundi combinatio eſt intra finitum numerum combinationum, quæ infinities debent exiſtere. Nam in hypotheſi æterni atomorum motus, numerus combina-

(1) Chey. Princ. Filoſof. cap. 3. §. 8. pag. 73.
Id. Ib. cap. 4. §. 2. & §. 9. pag. 97.

(2) Nevv. Princ. Math. lib. 3. Schol. General.

(3) Volt. Metaphy. cha. §. Il s'en faut. pag. 20.

(4) Leibn. Eſſai de Theodic. par. 3. num. 393. pag. 592.

binationum, quæ ex illis debent exiſtere eſt infinitus: finitus vero eſt numerus combinationum ex atomis componentibus hunc mundum numero finitis, inter quas eſt præſens combinatio, in qua conſiſtit hic Mundus: ergo.

Reſp. I. nego majorem. Combinatio ordinata, qualis eſt illa, in qua conſiſtit hic mundus, impoſſibile modis omnibus eſt ex rationibus ſupra allatis, ut aliter exiſtat, quam vi cauſæ intelligentis & ſapientiſſimæ. *Reſp. 2. tranſeat major, ſed nego minorem*. Cujus ſecundam probationis partem diſtinguo ſic cum Boſcovichio (1). Finitus eſt numerus combinationum ex atomis componentibus hunc mundum numero finitis, ſi nomine combinationis veniat tantummodo ſeries quædam, in qua alii termini poſt alios jacent, concedo: ſi nomine combinationis veniat etiam ſitus, velocitas, & locus in ſpatio imaginario ipſorum terminorum, nego juxta etiam ſupra (§. 130.) dicta. Quod intelligi facile poteſt animadvertendo, lineas rectas in uno plano eſſe infinitas, & infinita eſſe plana in ſpatio, & pro recta quavis in quovis plano, eſſe infinita curvarum genera, & motum atomorum infinitis modis variari poſſe pro gradibus velocitatis, qui poſſunt eſſe infinitis modis diverſi. Quæ omnia pertinent ad poſſibilem diſpoſitionem atomorum etſi numero finitarum infinitam. Quare optime in hac re concludit Franciſcus Jacquier, (2) *Pro ipſis materiæ particulis haberetur numerus combinationum infinitus per ipſum particularum numerum multiplicatus*.

154. IX. Objicitur. Terra hæc noſtra caſu regitur: ergo potuit etiam ipſa & totus Mundus caſu conſtitui. Antecedens probatur. Si Deus regeret mundum hunc, non eſſent in ipſo tot corpora inutilia, monſtroſa, & pernicioſa; Nam Deus eſt ſapientiſſimus. Rurſus boni in præmium virtutis eſſent felices, & mali in pœnam malitiæ eſſent miſeri; Nam Deus eſt juſtus; quod tamen ſæpe vel plerunque ſaltem non videmus accidere: ergo. Cotta apud Tullium ſecundam hujus argumentationis partem vehementer urget, eamdem eleganter expreſſit Claudianus (3) contra Ruffinum, & alii multi ſemper inventi ſunt, qui magnum in ea

(1) Boſch. Phil. Natur. Appen. num. 532. pag. 286.

(2) Jacq. Phy. par. 1. ſec. 1. cap. 2. in append. pag. 107.

(3) Claud. lib. 1. in Principio.

ea momentum pro Incredulis poſuerunt, confutatis tamen a S. Auguſtino (1), & aliis, ex quibus plures citat Jo: Chriſtophorus Wolfius (2), & iis addo Didacum Zunicam in ſuo libro, *Il fa per tutti* (3), verbis & ſententiis certe non vulgaribus contexto.

Reſp. nego ans. Quod pertinet ad primam probationis partem, illam nego. Sua enim in omnibus creaturis eſt utilitas, nec quod nos illam non noverimus, infert nullam eſſe. Monſtroſitas vero cum non dicatur de rebus conſideratis abſolute, ſed ſolum comparative cum aliis perfectioribus, non tollit, quæ monſtroſa dicuntur, a numero operum, quæ plena ſint artificio. Damnum tandem, quod nobis alia inferant, non eſt purum damnum, ſed medium ad plura alia bona, ut alibi (4) diſtinctius dixi. Bene etiam Ariſtoteles hoc argumentum ſic retorquet (5): Eſſe in mundo aliquid inutile, monſtroſum, & noxium ſignificat eſſe in mundo aliquid, quod in finem non conſpirat, vel fini opponitur: Atqui ſi nulla eſſet mens omnium directrix in mundo, nullus etiam eſſet finis: ergo ſi eſt aliquid in mundo, quod cognoſcimus in finem non conſpirare, vel illi opponi, eſt aliqua in mundo mens omnium directrix. Eadem retorſione deinde uſus eſt S. Thomas contra illum, qui ſic interrogabat, (6) *Si Deus eſt, unde malum eſt? Eſſet*, inquit S. Doctor, *e contrario arguendum, ſi malum eſt, Deus eſt. Non enim eſſet malum ſublato ordine boni, cujus privatio eſt malum: hic autem ordo non eſſet, ſi Deus non eſſet.*

155. Quod vero pertinet ad ſecundam probationis partem, illam ſic diſtinguo: Boni eſſent felices, & mali miſeri in ſtatu finali conc. in ſtatu vitæ, ſeu probationis, ſubdiſtinguo, boni eſſent felices felicitate ſita in certa animi tranquillitate, & mali eſſent miſeri miſeria ſita in animi perturbatione, concedo: boni eſſent felices felicitate ſita in bonis fortunæ, & mali miſeri miſeria ſita in carentia bonorum fortunæ, nego. Diſtinctio iſta eſt neceſſaria, quandoquidem felicitas & calamitas ſunt nomina æquivoca. Felicitas conſiſtens in animi quiete, & pace conſcientiæ, non deeſt bonis in hac vita, ſaltem ſi comparetur cum malis. Teſtes ſunt ipſi Martyres lætiſſimi in fame & ſiti, frigore

(1) S. Aug. in Pſal. 48. pag. 157.
(2) Wol. Manichæiſmus ſec. 3. n. 42. pag. 518.
(3) Zunic. cap. 31. pag. 186.
(4) Diſſ. de Malo. §. 74. pag. 226.
(5) Ariſt. 2. Phyſ. tex. 82.
(6) S. Tho. lib. 3. cont. Gent. cap. 71. pag. 317.

gore & nuditate, & omnis generis cruciatibus, deeſt autem malis, qui in mediis opibus, & deliciis intus ſemper exeduntur triſtitia ex conſcientia ſuorum ſcelerum, quæ pacem tollit de die, & ſomnum impedit de nocte, ut vere illi propter internum luctum externis fortunæ bonis coopertum dici poſſint eſſe ſepulchra dealbata. Felicitas vero conſiſtens in bonis fortunæ non ſemper quidem comitatur bonos, quemadmodum ne ſemper quidem comitatur improbos, quin hoc repugnet Juſtitiæ Dei, quod probatio adjuncta videtur ſupponere; Nam agitur de Juſtitia Dei erga homines in ſtatu viæ, quæ proinde intelligitur opus eſſe, ut ſit talis, quæ locum in hac vita relinquat acquiſitioni meritorum per exercitationem virtutum, inter quas potiſſimæ ſunt Theologicæ; Fides per quam credimus in Deum etiam remuneratorem & vindicem, Spes, per quam adſpiramus ab bona æterna per contemptum terrenorum, quæ videmus non eſſe vera bona, cum non reddant bonos, qui illa habent; Charitas per quam non ſervimus Deo propter terrena iſta, quæ tam parvi ab ipſo fiunt, ut & malis ea largiatur. Præclare S. Auguſtinus per Dialogiſmum hæc exponit dicens, (1) *cum mali floreant, boni laborent, dicis Deo, ipſa eſt juſtitia tua? Et Deus tibi, ipſa eſt fides tua? Hæc enim tibi promiſi, ad hoc Chriſtianus factus es, ut in ſæculo iſto floreres?* Finge conjurationem in patriam, cædem æmuli, vim & ſcelus quodcunque ſemper attuliſſe ſuis auctoribus infamem & terribilem mortem, quid jam opus eſt exhortari ad Fidem in Deum, & ejus Juſtitiæ timorem? Evidenter hæc omnia ſe haberent. Ut igitur locus eſſet hujuſmodi fidei, videmus quod

Un iſteſſo misfatto in guiderdone
A chì porto capeſtri, a chì corone,

ut vertit Pallavicinus (2) celebre Juvenalis effatum (3):

Ille Crucem pretium ſceleris tulit, hic diadema.

156. Rurſus ex ipſa Dei juſtitia infertur, mala vitæ poſſe quandoque etiam eſſe pœnas temporarias pro aliquibus culpis, in quas boni ipſi aliquando incidunt: & contra bona vitæ, præmia temporaria pro aliquibus bonis actibus, quos etiam mali aliquando

(1) S. Aug. in Pſal. 25. enarr. 2. numer. 4. pag. 110.

(2) Pall. del Bene c. 23. n. 6. pag. 77.

(3) Juven. Satyr. 13.

quando faciunt. Adde ſocietatem hominum eſſe talem, ut non poſſet Deus punire in hac vita ſceleratos, quin per miraculum ab afflictione etiam pios cum illis conjunctos vinculis amicitiæ vel ſanguinis vel commodi vindicaret. Fac puniat improbum parentem filii innocentis & boni, quanta in filium etiam redundaret calamitas. Expectandum igitur eſt tempus extremum, tunc profecto nec bonos pœnitebit dilati præmii, nec mali gloriabuntur de dilatione ſupplicii. Adde male ſemper ex ſolis apparentiis concludi de Juſtitia Dei in rerum adminiſtratione. S. Auguſtinus eos, qui concludunt bonos a Deo derelictos eſſe, quia hos vident minus abundare improbis, vel etiam deficere ab apparenter neceſſariis, comparat (1) iis, qui concludunt illum non habere curam ſui equi, quia conſuetum ipſi cibum denegat, cum ſi adverterent equum ægrotare, concluderent ex hac ipſa denegatione, ipſius curam actualem. Adde tandem hac via Deum nobis inculcare, quod ſæpe in Scriptura dicit, velle ſe, ut mali reſipiſcant, quibus ad hunc finem pœnitendi ſpatium largitur, & ut omnes intelligant præſens tempus eſſe tempus ſementis, ſcilicet meriti & demeriti: futurum vero meſſis, hoc eſt præmii aut pœnæ, quæ ex illo in ſempiternum conſequentur, juxta illam Apoſtoli allegoriam, (2) *Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet*, quam Paulus Segneri (3) luculenter exponit.

Reſponſio confirmatur ex Sacra Scriptura, in qua ſæpius exponitur hæc objectio, & aliquo ex prædictis modis diluitur. Ita apud Jobum, ubi repetita habetur & fuſa deſcriptio felicitatis impiorum, & calamitatis bonorum, quin unquam mentio fiat de ſingularibus Divinæ Providentiæ demonſtrationibus in liberatione Hebræorum ab Ægypto, ut jure hinc plerique inferant librum hunc, vel nullo modo perſcriptum eſſe a Moyſe, vel ante illam liberationem ſcriptum, apud Jobum, inquam, huic interrogationi, (4) *Quare impii vivunt, ſublevati ſunt, confortatique divitiis?* reſpondetur (5) *quia in diem perditionis ſervatur malus & ad diem furoris ducetur*. Ita Jeremiæ quærenti, (6) *Quare via impiorum proſperatur? reſpondet Deus*, (7) *ſi cum peditibus currens*

(1) S. Aug. de ſerm. in monte lib. 2. cap. 17.
(2) ad Rom. 2. 5.
(3) Segn. Manna. Agoſto. 21. & 22. pag. 381.
(4) Job. cap. 21. v. 7.
(5) Ibid. v. 30.
(6) Jerem. cap. 12. v. 1.
(7) Jere. cap. 12. v. 5.

rens laboraſti, quomodo contendere poteris cum equis? quod interprete Cornelio a Lapide in hunc locum, ſignificat præter prædictionem majorum malorum, increpationem vanæ curioſitatis in re, in qua Deus requirebat a Propheta, ut abyſſo Providentiæ ſuæ & judiciorum ſuorum inſcrutabili cæce ſe ſubmitteret. Ita Habacuc dolens in hæc verba, (1) *Impius prævalet adverſus juſtum, propterea egreditur judicium perverſum*, reſpondet Deus, ponens ante oculos ipſius quaſi picturam vindictæ, quam de impiis illis Judæis, de quibus ibi ſermo erat, tandem ſumpturus erat per Chaldæos, ut oſtenderet omnia ſe in ſapientia & conſilio diſponere. Ita Judæis pariter blaſphemantibus apud Malachiam, (2) *omnis qui facit malum, bonus eſt in conſpectu Domini, & tales ei placent, aut certe ubi eſt Deus judicii*? reſpondetur, expectate tempus præfinitum a Deo, & conceſſum ad veſtram converſionem, (3) *& videbitis, quid ſit inter juſtum & impium, & inter ſervientem Deo, & non ſervientem ei*. Ita David, poſtquam deſcripſit pacem & felicitatem peccatorum, ex qua incauti dicunt, (4) *Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo*, cogitur exclamare ad Deum, (5) *dejeciſti eos dum allevarentur.... ſubito defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam*.

Quare cum allatæ rationes vel expreſſe habeantur in Scripturis, vel ex illis prona conſequentia deducantur, ut pluribus oſtendit citatus a Lapide (6), male Whiſtonus (7) univerſim ſtatuit Deum noluiſſe nobis revelare ſolutionem ſimilium difficultatum, quæ circa ea, quæ hic in terra contingunt, ſolent afferri, ita ut videatur concedere eas eſſe inſolubiles. Sed inſolubiles hæ ſunt illi ſoli, qui Scripturas non quærit, quia revelationi non credit. De hoc dicit S. Auguſtinus, (8) *Nullum mare tam profundum eſt, quam eſt iſta cogitatio Dei, ut mali floreant, & boni laborent, ubi naufragat omnis infidelis*. Opportunius forte dixiſſet Whiſtonus determinatum in ſingulis caſibus conſilium Dei ignotum eſſe, nec opus eſſe Chriſtiano illud perquirere, qui, ut ait

X idem

(1) Haba. cap. 1. v. 4.
(2) Mala. cap. 2. v. 17.
(3) Id. cap. 3. v. 18.
(4) Pſal. 72. v. 11.
(5) Ibid. v. 18.
(6) Lapi. in Habacuc. cap. 1. ad v. 4. pag. 34.
(7) Whi. Aſtronomical Principles par. 9. num. 13. pag. 150.
(8) S. Aug. in Pſal. 91. circa medium pag. 369.

dem Auguſtinus, (1) *dicit ſibi, Deus novit quid agat, nos non poſſumus noſſe conſilium ipſius, quare parcit malis ad tempus, vel quare laborant boni ad tempus, ſufficit tamen hoc ſcire, quia & ad tempus laborat bonus, & ad tempus floret malus.*

157. Inſtatur. Hi duo ſtatus hominis, alter viæ, alter termini noti nobis ſunt non per rationem naturalem, ſed per Revelationem Divinam: ergo ſtando ſoli rationi ex pari ſaltem diſtributione felicitatis & miſeriæ inter bonos & malos, infertur Mundum regi caſu,

Reſp. diſt. ant. Illi ſtatus noti nobis non ſunt per rationem naturalem ea certitudine, qua noti ſunt per revelationem, concedo antecedens: alia pluſquam ſufficienti certitudine, nego antecedens, & conſequentiam. Certitudo naſcens ex revelatione Divina eſt omnium prima, & nihilominus adſunt aliæ certitudinis ſpecies ut metaphyſica, vel phyſica, vel moralis, quarum aliquam ratio acquirit vel immediate vel mediate etiam in hac re, per ea argumenta, quæ ſuadent hanc propoſitionem, & illa quæ demonſtrant Divinam Providentiam.

PRO-

(1) Id. in Pſal. 93. num. 2. pag. 999.

PROPOSITIO III.

Mundus creatus non eſt omnium abſolute poſſibilium optimus.

158. **A**Ntequam aggrediar ſuadere hanc propoſitionem dicam primo aliqua, quæ pertinent ad majorem ipſius declarationem: ſecundo vero de aliquibus mentionem faciam, quibus illa opponitur.

SECTIO I.

Mundus in aliquo ſenſu dici poteſt optimus.

159. **P**Ropoſitio negans Mundum eſſe omnium abſolute poſſibilium optimum apertam præſefert limitationem illius propoſitionis, quæ contenderet nullo modo Mundum eſſe optimum, vel non eſſe omnium etiam ſub aliqua hypotheſi poſſibilium optimum. Quorum neutrum verum eſt, ut hic ſtatim explico & oſtendo.

Primo igitur Mundus dici debet optimus ut ſic loquar finaliter, hoc eſt ſi conſideretur relate ad finem, quem ſibi in rerum creatione libere propoſuit Deus, manifeſtandi ſuam gloriam in tali dumtaxat menſura, quam ipſe libere pariter determinavit, quæ menſura etſi neceſſario finita ſit, utpote quæ reſpondere debet facultati cognoſcendi creatæ eſſentialiter finitæ, major tamen eſſe poteſt in infinitum, ſicuti vis cognoſcendi creata, licet eſſentialiter finita, poteſt eſſe major in infinitum.

II. Mundus dici debet optimus ſubjective, hoc eſt ſi conſideretur relate ad Divinam operationem, ſiquidem omnes Divinæ operationes ſunt æque infinite perfectæ & optimæ, cum ſint maxime conformes primæ regulæ omnis optimitatis, quæ eſt Divina Voluntas. In hoc ſenſu dixit S. Thomas, (1) *quod Deus facit, eſt optimum per ordinem ad Dei bonitatem*: & alibi (2) *Deus non poteſt facere melius, quam ſicut facit, quia non poteſt facere ex ma-*

(1) Thom. de Potentia qu. 1. art. 5. ad 15.

(2) Id. 1. par. qu. 25. art. 6. ad 1.

majori ſapientia & bonitate. Quem dixi Mundum ſubjective optimum, alii dicunt optimum ex parte operantis, qualem utique affirmant eſſe hunc Mundum, cui opponunt Mundum optimum ex parte operis, & hunc negant eſſe, & poſſibilem eſſe.

III. Mundus dici poteſt optimus objective, hoc eſt ſi conſideretur in ordine ad genera & ordines rerum, qui in illo qui exiſtit habentur, poſita præſertim, ut aliqui volunt, impoſſibilitate novi alicujus generis, & ordinis rerum. Hæc porro genera, in quibus non proceditur in infinitum, dicunt aliqui, ut Maurus (1) pertinere ad perfectionem formalem univerſi: quæ autem ſub his generibus ſpecies & individua ſunt, pertinere ad perfectionem Mundi materialem. Porro genera rerum diverſa ſunt hæc quatuor; Inanimatorum, in quibus eſt eſſe: Vegetabilium, in quibus eſt eſſe & vivere: Animatorum in quibus eſt eſſe vivere & ſentire: Et Rationalium, in quibus vel eſt duntaxat eſſe vivere & intelligere ut in Angelis, vel eſt etiam ſentire, ut in homine. Ordines vero rerum diverſi ad tres reducuntur, Naturæ, Gratiæ, & Unionis Hypoſtaticæ. Ad genus Mundi objective optimi revocari poſſet ſenſus ille, in quo Ariſtoteles ſtatuit Mundum eſſe optimum, ſeu ut ipſe ait perfectum, niſi eſſet ridiculus, ut conſtat ex ratione, quam adducit. Perfectum enim dixit, propterea quod habet tres dimenſiones; Nam tria ſunt omnia; Non enim utimur vocabulo omnia, cum unum vel duo, ſed ſolum cum tria habentur, & quod habet omnia, profecto perfectum eſt. Quo argumento concludi ſimiliter poteſt, ut advertit Auctor artis cogitandi (2), quodvis arenæ granum eſſe ſimiliter quid perfectum.

IV. Mundus dici poteſt etiam optimus omnium poſſibilium diſpoſitive, hoc eſt ſub hypotheſi eorum, qui compingi poſſint ex talibus rerum ſubſtantiis ex Divina Libertate determinatis, & limitatis, quales habet hic Mundus. Ita ſentit S. Thomas dicens, (3) *Univerſum ſuppoſitis iſtis rebus, non poteſt eſſe melius propter decentiſſimum ordinem his rebus attributum*. Huc etiam ſpectat illud, quod alibi dicit, (4) *Optimi agentis eſt producere totum*

(1) Mau. Oper. Theol. lib. 2. qu. 51. num. 10. pag. 166.

(2) Art. de penſ. par. 3. cha. 17. §. 3. pag. 319.

(3) S. Thom. 1. par. qu. 25. art. 6. ad 3.

(4) Id. Ibi. qu. 47. art. 2. ad 1.

totum effectum ſuum optimum, non tamen quod quamlibet partem totius faciat optimam. Qui Balbum Stoicum apud Tullium audiat dicentem (1). *Ex iis naturis, quæ erant, quod effici potuit optimum, effectum eſt. Doceat ergo aliquis potuiſſe melius. Sed nemo unquam docebit, & ſiquis corrigere aliquid volet, aut deterius faciet, aut id quod fieri non potuit, deſiderabit*, crederet illum non aliter Mundum dixiſſe optimum, quam in quarto hoc ſenſu S. Thomæ. Verum neſcio an benigna hæc interpretatio habeat locum in Stoico, quia aliunde conſtat, hoc genus hominum aliam diſtinctionem non admiſiſſe inter Deum & Mundum, quam rationis. Hanc interea in ſano ſenſu optimitatem Mundi luculenter, & fuſe demonſtrat Ægidius Eſtrix (2), quæ tamen intelligenda eſt ſecundum ſubſtantiam ut ita dicam diſpoſitionis, quæ dici poteſt conſiſtere in eo, quod omnia ſe habeant, prout exigunt paucæ quædam ſimplices & conſtantes leges, quibus Deus uſus eſt in hac diſtributione, non vero ſecundum ejuſdem accidentia, (3) *quoniam*, ut inquit Vaſquez, cujus eſt hæc obſervatio, *hæc harmonia, & conſonantia partium inter ſe non eſt individua, ſed latitudinem habet*. De Mundo itaque optimo in aliquo ex dictis ſenſibus relativis non eſt controverſia, ſed in ſenſu abſoluto, ut exprimit propoſitio.

SECTIO II.

De Adverſantibus propoſitioni.

160. VEnio ad commemorandos aliquos mihi notos adverſarios. Ex his primo ſunt Pantheiſtæ, qui ſtulte ſtatuentes Mundum hunc viſibilem eſſe Deum, jure inferunt eſſe optimum. Nam optimitas eſt attributum Divinitatis. Sed iſtos hic non curo. Ab his enim, qui ſubripiat illud antecedens, Mundus eſt Deus, quod fit, ubi agitur de Exiſtentia Dei, amplius jam non dicent Mundum eſſe optimum. Secundo ſunt, qui rite ſentientes Deum eſſe auctorem quidem Mundi, non vero ipſum Mundum, adhuc

(1) Tull. de Nat. Deor. lib. 2. num. 86. pag. 313.

(2) Eſtr. Diatriba Theol. ſec. 1. aſſer. 5. & ſeq. pag. 6.

(3) Vaſq. in 1. par. diſp. 107. num. 5. pag. 519.

adhuc ſtatuunt Mundum eſſe optimum. Inter iſtos viſus eſt olim eſſe M. Aurelius Imperator, qui docuit (1) mundum hunc eſſe omnium optimum, & proinde amanda ipſa mala quæcunque, quia neceſſaria integritati mundi totius. Pro eadem opinione citantur Petrus Abaleardus, qui in pluribus erravit tempore S. Bernardi, Wicleffus, & alii hæretici, qui ut referunt Caſtro (2), & Suarez (3) propugnarunt, Deum non potuiſſe creare alia ab iis, quæ creavit. His ſe jam olim oppoſuit Magiſter ſententiarum (4), & deinde S. Thomas (5), & alii paſſim Theologi, qui expreſſe monuerunt quædam Patrum aliquorum teſtimonia, quæ Adverſariis videntur ſuffragari, aliud non ſignificare penſatis omnibus, quæ ipſi docent, niſi omnia eſſe optima in aliquo ex ſenſibus relativis. Sic jubet Platelius (6) intelligi illud Dionyſii (7), *Optimi eſt optima adducere*: & illud Cyrilli, (8) *Omnia Pater poteſt, & meliora ſemper vult*: & illud Baſilii, (9) *Nihil eorum, quæ nobis accidunt, malum eſt, aut tale, ut melius illo aliquid excogitare queamus*: Et illud Auguſtini, (10) *Juſtitia ſummi Dei factum eſt, ut non modo ſint omnia, ſed etiam ſic ſint, ut omnino melius eſſe non poſſint*: Et alia. Nihilominus eamdem iterum referente Nicolao Ghezzio (10), rejectam a tot tantiſque Doctoribus ſententiam excitavit Raimundus Lullus. Sed noſtra hac ætate celebrior illa facta eſt, quia magna animorum contentione pro illa, & contra illam diſputatum eſt, non ſolum in Germaniæ Academiis, ubi primo novæ hæ turbæ extiterunt, ſed in tota jam Europa. Illarum fomes præcipuus fuit Leibnitius, dum ex laudabili cæteroquin intentione tuendi Providentiam Divinam, accuſatam ab impiis propter multa hujus Mundi mala ſæpiſſime affirmavit, (12) Deum cum vellet creare Mundum, cre-

aſſe

(1) Aurel. Soliloqu. lib. 5. cap. 5.

(2) Caſt. contra hæreſes. Verbo. Libertas, & Futurum.

(3) Suar. Metaph. diſp. 19. ſec. 11. num. 2. pag. 464.

Id. diſp. 30. Ibid. ſec. 17. n. 19. pag. 138.

(4) Mag. lib. 1. diſt. 44.

(5) S. Tho. 1. par. qu. 25. art. 5. & 6. Id. de Potent. qu. 1. art. 5.

(6) Plat. de Incarn. n. 59. pag. 30.

(7) Dion. de Div. Nomin. cap. 4.

(8) Cyril. lib. 2. Theſau. cap. 1.

(9) Baſil. hom. 9. ex variis.

(10) S. Aug. de Quant. anim. cap. 33.

(11) Ghez. Princi. della Moral. Filoſof. lib 3. par. 1. dial. 2. num. 27. p. 761.

(12) Leib. Eſſai de Theod. par. 1. a num. 8. pag. 115.

Id. Remarq. ſur. le liv. de l'Origine du mal. num. 7. & 14. pag. 38. & 53. & num. 22. pag. 438.

Idem. Commerc. Philoſ. cum Bernoullio epiſ. 88. ann. 1699. pag. 438.

aſſe ex omnibus, quos videt poſſibiles, omnium optimum, atque cum in Mundo, qui exiſtit, habeantur plura mala, non ſolum metaphyſica, qualia ſunt imperfectiones, & phyſica ut morbi, ſed etiam moralia, cujusmodi ſunt peccata, aperte dixit (1), & quidem frequenter, hæc omnia mala, & ipſa peccata pertinere ad Mundum, quem vidit ex omnibus poſſibilibus optimum: *Dum* inquit, (2) *improbus aliquis exiſtit, inventam a Deo fuiſſe oportuit in poſſibilium regione, talis hominis ideam incluſam rerum ſeriei, cujus electionem exigebat major univerſi perfectio*. *Quod*, ut alibi (3) dicit, *vel inde judicamus, quia factum eſt*. Proinde docet Deum peccata hujus mundi velle, non quidem ea voluntate, cujus objectum ſint ſola peccata præciſive conſiderata, quam voluntatem vocat (4) antecedentem, ſed ea voluntate, cujus objectum eſt complexio omnium, quæ conſlant optimum Mundum, quam vocat voluntatem conſequentem. Eamdem opinionem ſequutus eſt Pictetus (5), & qui articulum de Bono in recenti Gallica Encyclopædia ſcripſit, dicens, (6) *Mundus, ex quo exularent omnia vitia, non eſſet certe tam perfectus, quam eſt Mundus, qui illa admittit*.

161. Eamdem ipſe Leibnitius (7) dicit Malebranchium jam ante ſe propugnaſſe, quod revera fecit tum in ſuo Tractatu de Natura & Gratia (8), tum in ſuis Dialogis Metaphyſicis (9), repetens mundi hujus perfectionem, non ex ipſo dumtaxat Mundo ſecundum ſe conſiderato, ſed ex eo, quod ſit creatus, moderetur, & conſervetur viis omnium poſſibilium maxime ſimplicibus, fœcundis, univerſalibus, uniformibus, & melius exprimentibus Divina attributa, quarum conſequentiæ ſunt quævis mala, & vitia, quæ in illo lugere quidem poſſumus, ſed ſimul

(1) Id. Eſſa. de Theod. par. 1. num. 9. 10. & 21. Et par. 2. num. 114. & par. 3. num. 248. pag 425.
Id. Epitom. ad finem. Theodic. pag. 3.
Id. Cauſa Dei poſt Theod. n. 45. par. 15.
Id. Remar. ſur le livre de l'Origine du mal. num. 16. pag. 56.

(2) Leib. Eſſa. de Theod. par. 3. numer. 350. pag. 542.

(3) Id. cauſ. Dei poſt Theodi. n. 126. pag. 30.

(4) Id. Eſſa. de Theodic. par. 2. numer. 119. & 204.

(5) Pict. Indifferen. des Relig. cha. 10. pag. 144.

(6) Encycl. art. Bon. §. Tous les etres. pag. 269.

(7) Leib. Theod. num. 283. pa. 376.

(8) Mal. diſcour. 1. a n 12. pag. 28.

(9) Id. Entret. ſur la Metaphy. 9. a pag. 364.

ſimul credere debemus illa pertinere ad opus, quod præferri debuit a Deo ſapientiſſimo. *Nullum* (1) *enim*, inquit, *fuit illo dignius, quam illud quod requirebat, ut permitteret omnium per peccatum ruinam, ut omnibus deinde miſericordiam impertiretur*. Idem jam olim in ſua *Inquiſitione veritatis* dixerat, (2) *Deum ſemper agere per vias ſimpliciſſimas*: qua propoſitione cæteroquin veriſſima cum accuſatus fuiſſet ipſe abuti, dum mentem ſuam circa ipſius intelligentiam declarare voluit in adjecta ad illum locum illuſtratione (3), vitioſe magis abuſus fuit: Sed in citatis tandem libellis ejuſdem abuſum modo jam dicto cumulavit. A malo hoc Optimiſmo parum, vel nihil differt impudens fabula apum a Mandeville conficta, ſeu ſyſtema propugnans, vitium neceſſarium eſſe ad bonum commune, cujus compendium quoddam habetur tomo 13. Bibliothecæ Britannicæ. Nova ejuſdem editio prodiit anno 1729 cum augmento ſecundæ partis, in qua mitigare Auctor videtur, quæ in prima parte totius Angliæ invidiam, atque clamores in ſe concitaverant.

162. Leibnitium acerrime ſequuti ſunt Chriſtianus Wolfius (4), Vattel, & Reimbeckius; Et Vattel quidem, ut refert Alphonſus Nicolai (5), defenſionem Leibnitianæ opinionis contra Jo: Georgium Palms: Reimbeckius vero contra Crouzam, alioſque ſuſcepit. Optimiſta viſus mihi eſt etiam Samuel Clarkius, ubi dicit, (6) *ex perfecta Sapientia & Bonitate Dei ſequitur neceſſario res creatas eſſe ab illo tali tempore, & tamdiu conſervatas, & inſtructas variis perfectionibus talium graduum, quales infinita Sapientia & Bonitas vidit illis tribuendos, ut optime & ſapientiſſime operaretur*. Sunt qui etiam Alexandrum Popem, celebrem Poetam Anglum, eumque Catholicum accuſant Optimiſmi, quem ſibi videntur legere in ſuo de Homine poëmate, ubi hæc exprimit, *Sapientia Dei infinita intelligit, qui ſit Mundus perfectior: ergo hunc debet producere, nec in eo quicquam conſtituere poteſt, quod etſi videatur a cæteris disjunctum, non bene ſe habeat in ordine ad totum*. Inter hujus accuſatores eſt Voltai-

re

(1) Id. de la Natur. & Grac. Diſcou. num. 32. pag. 34.

(2) Mal. de Inq. Ver. lib. 6. par. 2. cap. 4. pag. 430.

(3) Id. Illuſtr. ad cap. 4. ſecundæ partis de Methodo. pag. 139.

(4) Wolf. Theol. Natur. par. 1.

(5) Nicol. Lez. 15. di Scritt. pa. 269.

(6) Clar. A Demonſtr. of God. prop. 12. cor. 2. pag. 133.

re (1), & ante illum Crouzas in examine ejus *de Homine* Poematis, contra quod extant etiam apud Trevoltianos (2) quædam epiſtolæ. At ſunt qui hanc ab illo accuſationem propulſant, ut citatus Nicolaus cum Warburtono, & Thomas Needham (3), qui contendunt objectum ex illo locum nihil aliud ſignificare, quam creatum a Deo eſſe Mundum hunc relative ad fines ab ipſo libere intentos optimum. Recentius idem Pope omnem hujus ſuſpicionis umbram penitus diſſipavit in ſua epiſtola ad Aloyſium Racinem data anno 1742, quæ edita eſt una cum verſione Poematis *de Religione* ipſius Racines mortui anno 1763, Italicis rithmis per Carrum alligata, & una cum alia pro eodem Pope defenſione Angli Equitis Raſmay: in qua epiſtola Pope non ſolum, quæ Warburtonus pro ipſius apologia jam ſcripſerat, approbat, ſed etiam profitetur ſe diametraliter oppoſitum Leibnitio, atque judicio Catholicæ Eccleſiæ in omnibus ſubjectum. Voltaire quidem loco citato credit commentitiam eſſe hujuſmodi epiſtolam Popes. At argumentum quod affert de ipſius ignorantia Linguæ Gallicæ, ſibi, cum in Anglia eſſet, perſpecta, eſt importunum; Nam quotidie accidit, ſcribi ſenſus animi ſui ad amicos adhibita illorum opera, qui in lingua minus nobis nota illos exprimant. Author qui Leibnitii Theodicæam Latine reddidit, in ſuo monito prævio multos citat, qui Optimiſmum in ſenſu Leibnitii tuentur. Sed non eſt ita facile credendum, cum poſſint intelligi loqui de Mundo optimo in aliquo ſenſu ex illis, qui veri ſunt.

SECTIO III.

Argumentum I. pro propoſitione ex limitatione perfectionis eſſentiali in creaturis.

163. I. SIC arguitur cum Trevoltianis (4), & Jacobo Riccati (5). Hic mundus habet perfectionem eſſentialiter finitam; Nam eſt quid creatum a Deo etiam per Adverſarios,

 & om-

(1) Volt. Opere ſcelte tomo 3. p. 129.

(2) Memoi. de Trev. ann. 1737. art. 26. & 45.

(3) Need, Nouvell. Obſervat. §. ultimo. pag. 506.

(4) Mem. de Trev. ann. 1733. p. 210.

(5) Ric. Opere tom. 2. lib. 3. c. 13. §. 1. pag. 141.

& omnis creatura habet pro attributo ſibi eſſentiali limitationem in perfectione eſſentiæ ſuæ, propter quam cauſam in hypotheſi, quod Gratia habitualis ſit ens quoddam creatum animæ infuſum, hæc ne in ipſo quidem Chriſto Domino fuit in ſe infinita, ut ex communi ſententia ſuadet Platelius (1): ergo mundus hic nequit eſſe omnium poſſibilium optimus, niſi negando Deo potentiam creandi alia perfectiora aliis in infinitum, quod eſt negare Deo Omnipotentiam. Hanc reipſa negare Deo viſus eſt Leibnitius, qui admiſit infinitos quidem mundos poſſibiles, ſed hoc qui exiſtit imperfectiores. Quod ille admiſerit omnem alium mundum fore hoc imperfectiorem vidimus jam ſupra. Quod vero ille nihilominus admittat mundos poſſibiles eſſe infinitos, videt plane, qui hæc ab illo audiat, (2) *Principium per me eſt infinitas mundorum poſſibilium, qui repræſentantur in regionibus veritatum æternarum, hoc eſt in objecto Divinæ Intelligentiæ*. Quoniam autem admiſit mundos poſſibiles eſſe infinitos, ſed unum hunc qui exiſtit eſſe optimum, bene utrumque hoc ſuum aſſumptum repræſentavit per pyramidem ita infinitam, ut in ea poſſit aſſignari apex, non vero baſis, & apicem dixit eſſe (3) mundum, qui exiſtit, omnium poſſibilium optimum, gradus autem ſingulos hujus pyramidis eſſe reliquos mundos decreſcentes in perfectione in ratione inverſa planorum pyramidis. Eamdem omnipotentiam in hac re negavit etiam Ariſtoteles (4), ſtatuens fieri non poſſe a Deo alium mundum ſolo numero diſtinctum ab hoc præſenti, ex ea ductus ratione, quod tunc gravia tenderent deorſum in centrum Terræ, utpote centrum hujus mundi, & ſimul tenderent alio in centrum alterius mundi. Quæ eſt ratio pluſquam importuna, ut Vaſquez dixerit, (5) *omnes quos legi* contra Ariſtotelem in hoc ſunt. Nam nec terra eſt centrum, in quod tendant omnia gravia; Planetæ enim in illam non tendunt: nec hoc omiſſo difficile eſſet intelligere, partes unius mundi fore ſine ulla communicatione cum partibus alterius, cum unus dicatur eſſe diſtinctus ab altero. Igitur non opus eſſet duplici illa tendentia in duo diverſa centra, vel quando etiam mutua quædam communica-

(1) Plat. de Incar. num. 229. p. 126.
(2) Leib. Theod. par. 1. num. 42. pag. 154.
(3) Id. Ibid. par. 3. n. 416. pag. 618.
(4) Ariſ. de Cæl. lib. 1. cap. 9.
(5) Vaſq. in 1. par. diſp. 107. cap. 1. num. 2. pag. 518.

nicatio in illis admitteretur, Philoſophia Nevvtoniana propugnans mutuam attractionem inter corpora cæleſtia, docet modum, quo poſſent invicem in ſe tendere duo illi mundi ſine repugnantia.

Cum facto argumento connexum eſt hoc aliud ſic habens. Non ſolum impium, ſed ſtultum etiam eſt dicere mundum hunc eſſe ipſum Deum: Sed ſi mundus hic eſſet omnium poſſibilium optimus, eſſet ipſe Deus; Nam hoc modo optimum, ſive quo melius exiſtere nequit, eſt attributum conveniens Deo: ergo. Trevoltiani (1) hoc etiam argumento uſi ſunt accuſantes Optimiſmum directe ducere ad impietatem illam credendi naturam hujus mundi connexam eſſe cum Divina Natura, & eſſe quaſi ipſius partem eſſentialem, quemadmodum deliravit Spinoſa.

164. I. Objicitur. Ille Deo negat Omnipotentiam, qui negat Deum poſſe creare mundum omnium poſſibilium optimum: ergo ex Omnipotentia Dei infertur illum poſſe hunc creare.

Reſp. Nego ans. Qui ſic objicit, non informat animo notionem convenientem Omnipotentiæ. Hæc eſt hujuſmodi, Potentia faciendi quicquid non involvit contradictionem. Cum autem creare Mundum omnium poſſibilium optimum, ſeu perfectiſſimum, plures involvat contradictiones, inter quas una eſt tribuere Deo potentiam infinitam creandi, & ſimul finitam, hinc Omnipotentiam non negat, qui negat Mundum omnium poſſibilium optimum non eſſe objectum Divinæ Potentiæ.

II. Objicitur. Plures vel etiam duo Mundi æqualis perfectionis ac conſtructionis non ſunt inter ſe diſcernibiles: ſed quæ ſunt indiſcernibilia, non offerunt menti, quæ ſapienter, ſeu cum ratione operetur ſufficientem rationem, propter quam vel utrunque vel unum potius ex illis, quam aliud operetur: ergo etiamſi plures vel etiam duo Mundi æqualis perfectionis ac conſtructionis ſint abſolute poſſibiles, attamen Divinæ Sapientiæ eſt nullum ex illis creare. Similiter ſi ſermo ſit de pluribus Mundis inæqualis inter ſe perfectionis, niſi a Deo eligatur ille, qui ſit omnium optimus, fingitur Deus operans temere, & ſine ſufficienti ratione.

Reſp. tranſeat major, & nego minorem. Ipſa indiſcernibilitas requiri poteſt ad pulchritudinem operis, ita ut ea deficiente il-

(1) Mem. de Trev. ann. 1737. art. 58. pag. 587.

ſa depereat. Da in vultu humano oculos diſcernibiles per pupillam in uno diverſæ magnitudinis vel coloris, ac in alio. Da unum crus brevius, aut gracilius alio, deformis jam homo eſt, & ſic in aliis ſexcentis: Quare Jacobus Riccati (1) obſervat tam inutile eſſe hoc, quod Leibnitiani vocant *Principium indiſcernibilium*, ad acquiſitionem ullius ſcientiæ, ut ipſius potius oppoſitum inveniatur habere potiorem locum. Eſt præterea in eadem minori reprehendenda falſa illius ſuppoſitio, quod Mens Divina repetat rationem ſufficientem operandi aliquid extra ſe ab ipſis rebus ſibi extrinſecis, ut non poſſit habere pro ſufficienti ratione ſuammet voluntatem. Ad alterum, quod additur, nego aſſumptum. Inprimis enim falſo ſupponitur mundum omnium poſſibilium optimum eſſe poſſibilem: deinde falſo iterum ſupponitur objecta abſolute poſſibilia finitæ eſſentialiter perfectionis, qualia ſunt omnia creabilia, debere aut poſſe offerre menti Divinæ ullam rationem, propter quam ad aliquid ex illis creandum ſe determinet, ut inferius ſuadebo.

165. III. Objicit Wolfius (2). Scriptum eſt (3) *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: ſed eſſe valde bonum eſt idem ac eſſe optimum, juxta phraſim hebraicam: ergo. Minorem ille quidem non probavit, ſed probare vel confirmare poſſet ex eo, quod illud Eccleſiaſtes, (4) *Cuncta fecit bona*, in Syriaca verſione apud Cornelium a Lapide legitur, *Omne quod fecit optimum*, & in Arabica, *Omnes res quas fecit, cognovit eſſe optimas.*

Reſp. Conc. majo. & diſtin. min. Valde bonum juxta phraſim Hebraicam idem eſt ac optimum ſed in ſenſu aliquo relativo, *permitto min.* in ſenſu abſoluto, *nego min.* & ſimili diſtinctione excipio conſequens. Cum optimum in ſenſu abſoluto non ſit quid cadens in ullam rem creatam ex demonſtrationibus jam allatis, neceſſe eſt fateamur, quod ſi hæc vox optimum revera reſpondeat in textu hebræo his vocibus Vulgatæ, valde bonum, ea ibi ſumi debet ſolum in aliquo ſenſu relativo (§. 159.). Atque hoc modo dicendum eſt uſurpari in objecta verſione Syriaca & Arabica. Cæterum vulgata lectio Scripturæ eſt illa, quæ authentica

(1) Ric. Oper. tom.2. lib. 1. cap.11. num.7. pag.232.

(2) Wolf. Theol. Natur. par.1. cap. 3. §.406.

(3) Gen.1. v. 31.

(4) Eccle. cap.3. v.11.

tica habetur. Valde autem bonum non eſt idem ac maxime bonum, ſeu optimum, quam interpretationem non invenio apud probatos Interpretes Scripturæ Toſtatum, Nicolaum de Lyra, Cornelium a Lapide, Tirinum, quos conſului. Hi contra advertunt Creatori placuiſſe ut bona, quæ ſingulis diebus creaverat: omnia vero ſimul ſumpta laudata etiam fuiſſe ut valde bona, ut declararet ea eſſe bona, non ſolum ſingillatim ſumpta, ſed multo magis ut invicem connexa.

SECTIO IV.

Argumentum II. Ex poſſibilitate Mundi hoc perfectioris.

166. SIC arguitur. Vel alii Mundi præter hunc majoris perfectionis ſunt abſolute poſſibiles, vel non. Si dicatur non eſſe abſolute poſſibiles, falſum dicitur, I. quia opponitur Scripturæ dicenti,(1) *Potens eſt*(Deus) *omnia facere ſuperabundanter, quam petimus, aut intelligimus*. II. quia opponitur communi Theologorum doctrinæ, qui illud S.Thomæ adprobant, (2) *Simpliciter loquendo qualibet re a ſe facta poteſt Deus facere meliorem*: & alibi, (3) *Poteſt Deus quamlibet creaturam facere meliorem; infinita enim bonitas rationi creaturæ repugnat, non autem determinata bonitas quantacunque*. III. quia pluralitas mundorum hoc perfectiorum non involvit contradictionem, quod omnino male iterum iterumque affirmavit Leibnitius (4) contra communem pariter Theologorum doctrinam. Ex his Cornelius a Lapide habens præ oculis in hac ipſa re hoc principium, Deum poſſe efficere quicquid non involvit contradictionem, omnino ſtatuit,(5) quod *Deus poteſt infinitos novos mundos creare, qui non tantum hunc mundum noſtrum, ſed & ſeſe invicem gradatim immenſum ſuperent*. Si autem dicatur eſſe abſolute poſſibiles alios mundos, jam non poteſt dici non poſſe aut non potuiſſe a Deo creari, quin vel negetur Deo omnipotentia, quæ eſt potentia facien-

(1) Ad Eph. 3. v.30.
(2) S. Thom. 1.par. qu.25.O.
(3) Id. de Potent. qu.3. art.14.O.
(4) Lei. Theod. par.2. n.224. & 226. pag.403. & 406.
(5) A Lapi. in cap.43. Eccli. v.36. pag.411.

ciendi, quæcunque ſunt abſolute poſſibilia, quod eſt contra omnem Religionem, vel committatur turpiſſima in terminis contradictio, de qua revera Michael Klaus (1) accuſat in hac re Leibnitium, referens ipſum in ſuis Principiis Philoſophicis ſic loqui, *infinita ſunt univerſa poſſibilia in ideis Dei, & eorum non niſi unicum exiſtere poteſt*: ergo poteſt creari a Deo alter Mundus iſto melior. Simile argumentum adhibet etiam Jacobus Riccati (2).

167. I. Objicit Leibnitius (3). Ideo Deus poteſt creare Mundum meliorem iſto, quia creatura perfectiſſima non eſt poſſibilis: ſed hoc vel eſt falſum, vel non eſt ad rem. Falſum quidem ſaltem poſſe eſſe tenent aliqui apud Capreolum (4): Non eſſe autem ad rem ſuadetur, quia Mundus non eſt una creatura, ſed complexum creaturarum: ergo etſi una ſubſtantia creata non poſſit habere ſummam perfectionem, complexum tamen creaturarum poteſt illam habere.

Reſp. permitto majorem, quæ concedi tunc ſolum abſolute poſſet, quando adderet, vel quia admiſſa poſſibilitate creaturæ perfectiſſimæ, manifeſtum eſſet hunc mundum non eſſe perfectiſſimum. Additum hoc neceſſarium eſſe quiſque novit, qui meminerit illius effati, a potentia ad actum non valet illatio. Sed *nego min.* Ad cujus primæ partis probationem, concedo eſſe, qui admittunt poſſibilem creaturam perfectiſſimam, ſed cum illi valide & communiter impugnentur, nullum ex illis haberi poteſt ſuffragium. Ad probationem vero ſecundæ partis *conc. ant*, & nego conſequentiam. Quæ enim ratio probat non eſſe poſſibilem unam ſubſtantiam creatam perfectiſſimam, eadem probat ne eſſe quidem poſſibilem complexionem quamcunque creaturarum perfectiſſimam.

II. Objicit idem ibidem. Deus fecit mundum hunc infinitum; Nam quævis pars quantitatis cujuſcunque eſt quoddam infinitum, utpote diviſibilis in infinitum: & rurſus mundus duraturus eſt in infinitum: ergo Deus fecit Mundum hunc in aliquo ſenſu perfectiſſimum.

Reſp. diſtin. mai. Fecit Mundum infinitum, ut ajunt, ſyncate-

(1) Kla. Metaph. num. 239. pag. 251.
(2) Ricc. Oper. tomo 2. lib. 1. cap. 13. §. 2. pag. 142.
(3) Leib. Theodic. par. 2. num. 195. pag. 365.
(4) Capr. in 1. diſti. 44. qu. 2. & 3.

categorematice, hoc eſt in numero partium indeterminatæ unitatis actu exiſtentium, *conc. ans* : infinitum, ut ajunt, categorematice, hoc eſt in numero partium determinatæ unitatis actu exiſtentium, *nego antec. & omitto conſequ.* Probatio adjuncta probat ſolum, quod damus infinitum ſyncategorematicum.

168. III. Objicitur. Ex eo, quod ſint poſſibiles abſolute, hoc eſt non involvant contradictionem alii Mundi etiam iſto perfectiores, non infertur eſſe poſſibiles etiam relative ad Omnipotentiam Dei; Nam ne unquam illi exiſtant impeditur Omnipotentia a Divina Sapientia; ergo etiamſi abſolute poſſibilis ſit Mundus iſto perfectior, non eſt tamen poſſibilis habita ratione ad Omnipotentiam Divinam.

Reſp. cum Trevoltianis (1), *nego antecedens, & ejus probationem*, quam Malebranchius jam (2) olim protulit, ut tandem aperte dicat, (3) *a Sapientia Divina reddi Deum impotentem, dum illum cogit agere viis omnium ſimpliciſſimis*, in quo eſt cumulus quidam abſurditatis. Nam imprimis jam negatur Deo Omnipotentia, affirmando illum non poſſe facere alium Mundum etſi abſolute poſſibilem. Deinde ſi obſtat Divina Sapientia, ne unquam exiſtat alter Mundus, jam non poteſt dici abſolute poſſibilis; Eſt enim illativa ſaltem contradictio in Mundo illo, quem concipiamus alium ab iſto, ſemel quod ille repugnet perfectioni alicui Divinæ, ut Sapientiæ: ergo ſunt revera abſolute impoſſibiles alii Mundi. Tandem facere inter hæc attributa Divina, Omnipotentiam, atque Sapientiam, diſtinctionem aliquam pluſquam per rationem, eaque inducere quaſi invicem ſibi adverſantia eſt manifeſtæ falſitatis, & impietatis, quippe hæc non cadunt in Deum perfectiſſimum & ſimpliciſſimum. Alibi (4) etiam adnotavi Leibnitium in hanc tandem abſurdam opinionem ex ſuo optimiſmo deveniſſe, ut affirmaverit, (5) *differre etiam in Deo poſſe & velle, ſi Deus poteſt omnia, ſed non vult ex omnibus, niſi quædam tantum.*

169. IV. Objicitur. Si Mundus creatus non eſſet omnium poſſi-

(1) Memoi. de Trev. ann. 1737. art. 13. pag. 212.
(2) Mal. de la Nat. & de la Grac. diſc. 1. num. 22. pag. 4.
(3) Id. Ibid. num. 38. pag. 61. Id. Ibid. Eclairc. 3. num. 9. pag. 292.
(4) Diſſ. de Extenſione.
(5) Leib. Commerc. Philoſoph. cum Bernoull. epiſ. 91. pag. 445.

poſſibilium optimus, eſſet in illo aliquid, quod corrigi poſſet: ſed abſurdum eſt opera divina habere aliquid, quod poſſit corrigi, ut merito Leibnitius invidiam concitaverit in Nevvtonum, propterea quod dixit, (1) *fore ut longinquitate temporis hæc naturæ compages manum emendatricem ſit deſideratura*; hoc enim inquit, (2) *eſt Dei ſapientiæ & perfectionibus derogare, dum velit Mundum eſſe machinam non minus imperfectam, quam horologia noſtrorum artificum, quæ ſæpe retendi debent, aut alias corrigi*. In qua Nevvtoni accuſatione Leibnitium imitatus deinde eſt Jacobus Riccati (3): ergo

Reſp. nego maj. Nam ex hac propoſitione, Mundus creatus non eſt omnium poſſibilium optimus, non ſequitur hæc conſequentia, ergo eſt in eo aliquid, quod corrigi poſſit. Si enim Divinus Artifex voluit hunc ipſum Mundum, nec alium perfectiorem, & quod voluit fecit ea ſapientia, ut ex parte facientis non ſit poſſibilis melior Mundus, etſi ſit poſſibilis melior ex parte facti, ut ait S. Thomas (4), nihil profecto eſt, quod corrigatur neque ab ipſomet Deo, neque ab alio extra Deum, quippe nihil eſt ſupra Deum. Quod ex Nevvtono adducitur, non ſonat emendationem ullius erroris, quem Deus fecerit in compage hujus Mundi, ſed emendationem ipſius compagis in ſuppoſitione, quod eam Deus velit ulterius durare, ac patiantur leges, per quas ejus partes nunc invicem connectuntur. Quemadmodum compages hæc noſtri corporis opus habet manu emendatrice Dei, ſi ille velit per plures ætates durare, aliter intra unam certe diſſolvetur. Quare injuria Leibnitius invehitur contra loquutionem illam Nevvtoni, ut bene obſervat Voltaire (5). Rationem aliquam, quare machina hujus Mundi, vel ſaltem ſyſtematis noſtris Planetarii tandem diſſolvi debeat, repetit non ſemel Whiſtonus (6) ex materia lucis diffuſa per ſpatium, in quo revolvuntur circa Solem Planetæ & Cometæ, & Planetæ ſecundarii circa primarios, quæ ſenſim decerpit, & extinguit aliquid ex vi projectionis ipſis planetis impreſſa. Quare illa tandem ſatis diminuta, neceſſe erit, ut ſola vi gra-

(1) Nevv. Optic. lib. 3. in fine qu. 31.

(2) Leibn. Comm. Philoſoph. cum Bernoul. epi. 232. pag. 381.

(3) Ricc. Oper. Tom. 2. lib. 2. cap. 17. §. 1. pag. 383.

(4) S. Thom. 1. p. qu. 25. art. 6. ad 1.

(5) Volt. Oevures. Metaphyſ.

(6) Whiſ. Aſtronomical Principleſ par. 4. num. 25. pag. 88.

vi gravitatis relicta, Planetæ primarii in ſolem, & ſecundarii in primarios tandem decidant.

Inſtat Leibnitius (1). Mundus alius melior iſto eſſet correctio hujus Mundi: ergo qui dicit Deum poſſe efficere Mundum meliorem creato, dicit poſſe Deum corrigere ſeipſum.

Reſp. cum Trevoltianis (2), *diſt. antecedens*. Alius Mundus melior iſto eſſet correctio hujus, ſi præter intentionem Dei volentis alium meliorem efficere; extitiſſet hic Mundus, *conc. antecedens*: ſi non extitiſſet præter intentionem Dei hic Mundus, *nego antecedens & conſequentiam*.

170. V. Objicit idem (3). Alphonſus Rex Caſtellæ, hujus nominis decimus, celebris Aſtronomus non poſſet reprehendi tamquam blaſphemiæ, & etiam ſtultitiæ in eo, quod dixerit Deum melius quid facturum, ſi in creatione Mundi ſuummet conſilium exquiſiiſſet, ſemel quod melior Mundus ſit poſſibilis: ſed tamquam blaſphemia & ſtultitia reputatur ipſius dictum: ergo

Reſp. nego maj. Blaſphemia revera eſt negare Deo cognitionem melioris Mundi, ſicuti videtur ſignificaſſe Alphonſus. Hanc tamen Deo concedendo, non debet negari illi alia perfectio libertatis ab omni neceſſitate, quod facit Leibnitius. Rurſus ſtultitia eſt hominem, qui quotidie experitur ſe ita imbecillem mente, ut incipiendo a ſeipſo non intelligat, quid ipſemet ſit tum in anima tum in corpore, quibus conſtat; proferre tale judicium de tota rerum omnium univerſitate, quaſi illam comprehenderit, ut aliquid in ea melius fieri poſſe pronunciet. Tandem nova vel blaſphemia vel ſtultitia eſt ex dictis (§. 159.), ſuppoſitis iſtis rebus a Deo creatis, quorum dumtaxat cognitionem aliquam habere poteſt homo, exiſtimare illas quoad ſubſtantiam potuiſſe melius a Deo diſponi, quem pariter errorem imbibit ſententia Alphonſi, qui non advertit ſe illam proferre ex ſuppoſitione, quod Deus conſtruxerit Mundum, ſicut Ptolemæus, quem ſequebatur, imaginatus fuerat, hoc modo impie tribuens Deo, ut ait Jacobus Riccati, (4) errores hominis. Idem (5) *ſi reviviſceret*, cre-

(1) Leibn. Theod. par. 1. num. 8. pag. 116.

(2) Memoi. de Trev. 1737. art. 28. pag. 450.

(3) Leib. Theod. par. 2. num. 193. pag. 363.

(4) Ricc. Opere tom. 2. lib. 1. cap. 13. §. 1. pag. 141.

(5) Cot. præf. ad princip. Nevvt. circa finem pag 30.

credit Rogerius Cotes, *vel ſimplicitatem, vel harmoniæ gratiam non deſideraret*, poſt præclaras Nevvtoni de tota hac re inventiones.

SECTIO V.

Argumentum III. ex poſſibilitate Mundi ſine tot peccatis.

171. Arguitur cum Trevoltianis ſic (1). Excludere ab abſoluta poſſibilitate Mundum, in quo omnia ſint eadem, ac ſunt in iſto, excepta ſola aliquorum perverſitate eſt plane gratuitum, & deducens ad falſas & deteſtabiles illationes. Gratuitum quidem, quia nulla eſt contradictio in eo, quod Mundus careat tot perverſis: Deducens autem ad abſurda; Nam ut arguit Cardinalis Pallavicinus in epiſtola ad Michaelem Elizaldam data anno 1662 (2): Homines debent orare Deum ex præcepto & doctrina Chriſti, ne inducantur in tentationem, ſeu ut ſibi Deus largiatur gratiam ne peccent, & quoties id faciunt, Deo inſpirante & adjuvante faciunt: ſed ſi ad rationem Mundi omnium poſſibilium optimi, qualis dicitur eſſe hic qui exiſtit, pertinent peccata, jam imprudentes eſſent hujuſmodi preces, & etiam ex natura ſua infructuoſæ, utpote quæ peterent a Deo, ut recedat ab optimo, & ipſa inſpiratio Divina, & auxilium ad preces illas peragendas eſſent otioſa; quæ omnia abſurda ſunt: ergo ad rationem Mundi omnium poſſibilium optimi abſurdum eſt dicere, quod pertineant peccata. Semel autem admiſſa poſſibilitate abſoluta Mundi, in quo non ſint tot ſcelerati, negare illum, ſi exiſteret, fore meliorem præſenti Mundo, eſt aperta contradictio: vel eadem poſſibilitate admiſſa negare, quod Deus illum poſſit creare, eſt negare Deo Omnipotentiam: ſed aliquid horum importat ſyſtema Leibnitii de hoc Mundo omnium poſſibilium optimo, ut ipſemet Leibnitius in diverſis locis jam relatis fatetur: ergo illius ſyſtema de optimo Mundo eſt vel gratuitum, vel involvens contradictionem, vel negans Omnipotentiam Divinam. Ad hoc genus argumenti reducitur hoc aliud.

Statim

(1) Memoi. de Trev. ann. 1737. art. 18. pag. 977.

(2) Pallav. Lettere. pag. 68.

Statim poſt Mundum creatum dicitur in Scriptura, (1) *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, quod ſonat approbationem Dei circa res creatas: contra vero poſt Adæ peccatum dixit Deus, (2) *Maledicta terra: in ſudore vultus veſceris: in dolore paries*: ſed quod Deus laudat, non poteſt eſſe æqualis, & multo minus majoris bonitatis, ac illud, cui Deus maledicit: ergo Mundus poſt peccatum non eſt æque bonus, & multo minus melior, ac ante peccatum: ergo Mundus prout nunc eſt, non eſt omnium poſſibilium optimus.

Aliter hoc argumentum cum Trevoltianis (3) ſic proponitur. Verba Geneſeos nuper citata aperte declarant Mundum poſt peccatum amiſiſſe priſtinam ſuam bonitatem: ergo Leibnitius dicens Mundum cum peccatis meliorem eſſe, quam ſine peccatis, contradicit Scripturæ.

SECTIO VI.

Argumentum IV. ex libertate Divina creandi Mundum quemvis.

172. SIc arguitur. Divina libertas in omnibus, quæ extra ſe vult, eſt perfectiſſima; ſed ſi Deus non potuit creare, niſi Mundum omnium poſſibilium optimum, non ſalvatur perfectiſſima Dei libertas: ergo potuit creare Mundum, qui non ſit ſic optimus: Atqui non probatur, Mundum hunc eſſe ſic optimum: ergo non eſt. Cum cætera dependeant ab objectionibus infra ſolvendis, dicam aliqua de majori & minori. Imprimis major continet communem ſententiam omnium, qui agnoſcunt poſſibilem aliam libertatem præter illam, quæ dicitur a coactione, non ſolum quia non eſt neganda Deo ulla perfectio, quin immo quævis in ipſo admittenda eſt infinita, ſed etiam quia, cum Deus ſe ab æterno communicet ad intra, generando Filium, & producendo Spiritum Sanctum communicatione perfectiſſima, & continente eminenter omnes alias communicationes, non poteſt habere ullam neceſſitatem communicandi ſe ad extra. Quod pertinet ad mi-

 norem,

(1) Gen. cap. 1. v. 31.
(2) Ibi. cap. 3. v. 16.
(3) Memoi. de Trev. an. 1737. art. 28. pag. 454.

norem, non ſalvari libertatem Dei perfectiſſimam ab Optimiſtis, eſt accuſatio ipſis facta a pluribus. Inter iſtos ſunt Trevoltiani (1), qui fatentur ſe non videre, quomodo ſubſiſtat perfectiſſima Dei libertas cum ipſius determinatione naturali ad creandum Mundum omnium poſſibilium optimum, in hypotheſi, quod ſe determinaverit ad creandum aliquid: & alibi (2) poſt diligentius Optimiſmi hujus examen, illud rejiciunt cum Clarke, quem citant, ex hoc etiam capite, quod neget Deo omnem libertatem indifferentiæ, quo argumento uſus jam fuit Platelius (3). Idem habent Crouzas (4), Boſcovich (5), Klaus (6), & pluribus urget Bayle, quæ ipſe Leibnitius (7) refert, putans illis ſe ſatisfacere, quod non ſolum in re non facit, ſed ne verbo quidem tenus, utpote qui admittat in Deo talem libertatem ad rerum creationem quæ ſubjacet neceſſitati naſcenti ex ratione Bonitatis, Sapientiæque ſuæ, quam ipſe dicit neceſſitatem moralem, ſed neceſſario eſt multo major neceſſitas, ſemel quod ea ex Divinis illis attributis naſceretur, quod ſufficienter expreſſit, qui animadverſiones quaſdam in Theodicæam fecit, inſertas a M. D. L. in Monito prævio ad Latinam ejuſdem interpretationem, dicens, *Fateor hunc Mundum, licet optimus ſupponatur, non tamen in objecto ſuo includere neceſſitatem exiſtendi, ſed meram poſſibilitatem. Verum ſi ex ſumma Dei bonitate & ſapientia, quæ ſunt prædicata mundo extrinſeca, in ipſum refundatur mundum neceſſitas exiſtendi, illam tam neceſſario habebit, quam ſi ex objecto ſuo naſceretur, ac proinde liberam Dei electionem ad creandum, vel non creandum evertet.*

SECTIO

(1) Memoi. de Trevou. ann. 1713. ar. 101. pag. 1187.

(2) Ibid. ann. 1737. art. 13. pag. 210. & art. 23. pag. 453.

(3) Plat. de Incarn. num. 57. pag. 29.

(4) Crou. Exam. de Pope. pag. 42. & pag. 90.

(5) Boſc. Philoſ. Natur. num. 567. pag. 294.

(6) Kla. Metaphy. num. 239. pag. 252.

(7) Leib. Theod. par. 2. num. 227. a pag. 406.

SECTIO VII.

Argumentum V. ex impugnatione rationum Adverſariorum.

173. Sic arguitur. Ideo per Optimiſtas Deus, ſiquid extra ſe creat, omnium poſſibilium optimum creat, quia ratio majoris bonitatis rerum eſt ſola ratio ſufficiens, quæ poſſit determinare voluntatem Divinam ad rerum creationem: ſed impoſſibile eſt, ut ratio majoris bonitatis rerum ſit ratio, quæ poſſit determinare voluntatem Divinam ad rerum creationem. Probatur hæc minor. Ratio majoris bonitatis rerum, quæ determinet voluntatem Divinam ad ipſarum creationem, vel eſt illa, quæ reperitur in majori bonitate rerum objectiva, vel illa, quæ reperitur in majori bonitate rerum actuali; neque enim eſt tertia aliqua major bonitas: ſed neutrum dici poteſt. Et primo oſtendo primam partem. Major bonitas objectiva rerum extra Deum reducitur tandem ad illarum abſolutam poſſibilitatem, hoc eſt ad negationem contradictionis in complexione talium attributorum, quæ non ſolum ſingulis rebus, ſed omnibus etiam ſimul ſumptis, & in unum Mundum conſpirantibus conveniunt, quam complexionem mens Divina cognoſcit eſſe perfectiorem aliis, cognitis pariter ut abſolute poſſibilibus. Sed neque poſſibilitas abſoluta ſingularum rerum extra Deum determinat voluntatem Divinam ad illarum creationem, ut eſt ſine controverſia; aliter enim continuo Deus multa crearet, cum abſolute poſſibilia ſint finita in infinitum: Idemque a priori etiam ſuadetur, quia contradictio manifeſta eſt, bonum quodvis creatum, & quidem dumtaxat poſſibile eſſe finem ſupremum illius, qui eſt ſupremus omnium finis: (1) *Deus*, ſic Cardinalis Pallavicinus, *ab ea quam obtinet celſitate, nimium ſe dejicere poſſet, ſi vel ſolo effectarum rerum bono moveri poſſit; illico enim eam ſibi detraheret excellentiam, ut ſupremus ſit omnium finis, quin immo finem ſupremum ſuum ſibi proponeret effectum illud, in cujus bonum unice conniteretur.* Neque poſſibilitas abſoluta talis rerum complexionis, cognitæ a Deo ut melioris

(1) Pall. de Bono. lib. 3. cap. 33. num. 2. pag. 218.

lioris altera, determinat ejus voluntatem ad ipſius creationem. Imprimis enim hic pariter valet ratio a priori nuper allata: Deinde ut loquar cum Boſcovichio, (1) *Etſi unum ſit melius alio, non tamen eſt melius creare potius unum, quam aliud, quia æque bonum eſt creare vel non creare quodcumque, quod phyſicam bonitatem quamcunque habeat; ſolum enim Divinæ libertatis exercitium infinities perfectius eſt quavis perfectione creata, quæ idcirco nullum poteſt offerre Divinæ libertati meritum determinationem ad ſe creandum*. Rurſus dato, Deum ad creandum id, quod videt altero perfectius, determinatum eſſe ab hac illius perfectione, jam quodvis ens exiſtens vel ſibi ſoli, vel ſibi magis, quam Deo deberet, quod exiſteret; Nam *quidilli*, inquit idem Boſcovich (2), *pro noſtra exiſtentia debeamus, qui nos condidit idcirco, quia in nobis invenit meritum majus, quam in iis quos omiſit, & a ſua ipſius natura neceſſario determinatus fuit, & adactus ad obſequendam ipſi huic noſtro intrinſeco, & eſſentiali merito prævalenti*? Repugnat autem aliquod ens creatum ſibi ſoli, vel ſibi magis quam Deo debere, quod exiſtat: ergo major bonitas objectiva rerum non determinat voluntatem Divinam ad illarum creationem. Probo jam ſecundam prædictæ minoris partem. Major bonitas actualis rerum extra Deum eſt ipſarum exiſtentia: ſed contradictionem involvit, voluntatem Divinam determinari ad rerum creationem a rebus jam ex Voluntate Divina exiſtentibus: ergo contradictionem involvit Voluntatem Divinam determinari ad rerum creationem a Bonitate ipſarum actuali.

174. Objicit Leibnitius (3). Bonitas objectiva rerum non reducitur dumtaxat ad abſolutam illarum poſſibilitatem: ergo etiamſi abſoluta rerum poſſibilitas non poſſit determinare voluntatem Divinam, poteſt illam determinare Bonitas objectiva, quæ major ſit cæteris. Antecedens probatur, quia abſoluta rerum poſſibilitas eſt negatio contradictionis in ipſarum attributis, & eorum inter ſe connexione: bonitas vero rerum objectiva eſt quædam ipſis intrinſeca qualitas, per quam ipſa poſſibilia habent perfectiones inter ſe inæquales. Sic in multitudine infinita poſſibilium nume-

(1) Boſc. Phil. Natur. num. 567. pag. 194.

(2) Id. Ibidem.

(3) Leib. Remarq. ſur. le lib. de l'Origine du Mal. num. 21. pag. 72.

numerorum, figurarum, affectionum corporis & animæ, aliqui numeri ſunt magis apti, quam alii ad ſuſcipiendas plures diviſiones exactas, aut componendas figuras regulares: aliqua figura eſt aptior ad continendam ſub ſe datam materiam ſub minori ſuperficie: aliqua affectio, ut voluptas, eſt proportionata ad felicitatem ſubjecti, alia, ut dolor, ad ejuſdem miſeriam.

Reſp. primo, nego antecedens. Cum loquimur de Bonitate objectiva rerum, quæ conſlant hunc Mundum, ſermo eſt non ſolum de illa, quæ eſt propria ſingulis rebus ſeorſim ſumptis, ſed de illa etiam, quæ convenit ſingulis conjunctim conſideratis. Utraque autem reducitur ad abſolutam illarum poſſibilitatem, ſed prima ad illam, quæ propria eſt rebus ſeorſim ſumptis, & ſecunda ad illam propriam rebus conjunctim conſideratis. Nam notiones abſolutæ poſſibilitatis, & objectivæ bonitatis rei non differunt inter ſe, niſi in eo, quod notio hujus poſſibilitatis prius ingerit animo quid negativum, nempe negationem contradictionis in attributis, quæ rem conſtituant, & deinde quid poſitivum, ipſa ſcilicet rei attributa: notio autem bonitatis objectivæ inverſo modo prius objicit animo notam poſitivi, & deinde illam negationis. Probatio allata pro illo antecedenti nihil concludit, ſiquidem, in ea quod dicitur conceſſo, illud non infert negatum antecedens; Nam illa ipſa intrinſeca qualitas propria ſingulis poſſibilibus, vel congeriei multorum poſſibilium in unum aliquod compoſitum, nihil aliud poteſt eſſe, quam ipſummet complexum attributorum, quæ apte inter ſe conveniunt, ſive nullam involvunt contradictionem, ac proinde iterum concluditur eſſe aliquid, quod reducitur ad abſolutam rerum poſſibilitatem.

Reſp. ſecundo, tranſeat antecedens & nego conſequentiam; Nam nullius rei extra Deum bonitas objectiva poteſt determinare voluntatem Divinam ad ullius creationem, quandoquidem illam non poteſt determinare omnium in infinitum poſſibilium cognita poſſibilitas, quæ ſemper præſens eſt Divino Intellectui omnia cognoſcenti.

Aliter contra adductam Leibnitii rationem ſic arguitur. Si ideo Mundus creatus eſt omnium poſſibilium optimus, quia aliter Deus ſine ſufficienti ratione non elegiſſet meliorem, ſemel quod ratio nitens in ſola libera voluntate ſit inſufficiens: eadem ratio-

Digitized by Google

ratione hic Mundus eſt infinitus, & æternus, tum quia ſimiliter ſine ratione ſufficienti illum non creaſſet ante quodvis tempus finitum, & ultra quoſvis aſſignabiles limites, vel ſaltem nulla eſt talis ratio, quæ proferri poſſit excluſa illa ſita in libera electione, quæ dicitur inſufficiens: tum quia ratio Mundi omnium poſſibilium optimi, quæ dicitur Deum determinaſſe ad illum creandum, cum ſemper præſens fuerit menti Divinæ a tota æternitate, ſemper a tota æternitate illum determinaſſet: ſed Mundum eſſe infinitum, & æternum eſt contra Fidem, & contra Philoſophiam: ergo.

Malebranchius dixit (1) rationem creandi Mundum in tempore eſſe, quia aliter creaturæ potuiſſent ſe credere independentes, & neceſſariæ ad Divinam felicitatem. Verum gratis hoc dicitur, & rurſus ratio iſta ad ſummum excluderet æternitatem, & infinitatem Mundi, non vero importaret neceſſitatem non creandi Mundum ante tempus, quo creatus eſt, & cum majori amplitudine, quam nunc habet.

SECTIO VIII.

Objectiones pro Adverſariorum rationibus.

175. PRimo objicit Wolfius (2). Si Deus non eſt ſequutus rationem Mundi omnium poſſibilium optimi in ejus creatione, aſſignanda eſt alia ratio, quam fuerit ſequutus; Nam Divina Sapientia exigit, ut nihil poſſit operari cæco modo: ſed alia non poteſt aſſignari: ergo.

Reſp. I. nego majorem, quam non ſuadet adducta ratio, quæ eſt utique vera, ſed non deducens ad negatam majorem, primo quia dicente Apoſtolo (3) *Incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, aut quis Conſiliarius ejus fuit?* nemo poteſt aut debet hanc rationem aſſignare, & ne perſcrutari quidem. (4) *Singula quidem*, inquit S. Auguſtinus, *propriis creata ſunt rationibus, quæ ſunt in ipſa mente*

(1) Mal. de la Nat. & de la Grac. num. 52. diſc. 2. pag. 52. a §. 383.
(2) Wolf. Theol. Natur. par. 1. cap. 3.
(3) ad Rom. cap. 11. v. 33.
(4) S. Aug. lib. 83. quæ. in quæ. 46.

mente Creatoris, eaſque præſtat ex conſilio Benedicti Pererii, (1) *pie ignorare, quam curioſe ac ſuperbe perſcrutari*. Secundo quia ut docet S. Thomas, Deus creavit omnia & ſingula cum ratione ſapientiſſima, non quia habuerit cauſam aliquam finalem ad ea creanda, ſed quia illa creavit inter ſe ordinata: (2) *Voluntas*, inquit, *Dei rationabilis eſt, non quod aliquid ſit Deo cauſa volendi, ſed in quantum vult unum eſſe propter aliud*.

176. *Reſp. II. tranſeat major, & nego min.* Nam dici poteſt ſequutum eſſe rationem optimi Mundi in ſenſu relativo (§.159.); In hoc ipſo autem ſequutum eſſe liberam Voluntatem ſuam, quæ eſt ratio ſufficiens, quoties ſermo eſt de operatione cauſſæ abſolute liberæ, qualis eſt Divina Voluntas relate ad omnia, quæ extra ſe vult. Pro qua eſt etiam illa ratio, quod certum eſt Voluntatem Dei non poſſe habere ullam cauſam finalem a ſe diſtinctam in re ulla creanda, ut docet S. Auguſtinus contra Manichæos concludens, (3) *Compeſcat ergo ſe humana temeritas, & id quod non eſt*, ſcilicet rationem hujus Mundi extra ipſam Voluntatem Dei, *non quærat*. Pererius hoc ipſum ſic etiam ſuadet. (4) *Ridiculum eſt quærere, cur non plura & majora in Mundo procreata ſint a Deo; etenim cum illa quantacunque, & quotcunque forent, oporteret eſſe finita, ſemper eadem maneret dubitatio, cur non plura & majora facta fuiſſent*. Et poſtquam ſimilia dixit de creatione Mundi tali determinato tempore, ſic proſequitur: *adde quod tunc, & non ante factum eſſe Mundum pendet ex ſola Voluntate opificis, cui tunc libuit facere, & non antea; ea enim agentia, quæ voluntarie ac libere operantur, plerunque ita agunt tantum, quia ſic volunt*. Adde iterum, quod in ipſo Mundo, quem habemus, pendet unice a libertate; quod hæc ſint reſpective ad aliquod punctum ex parte dextera, & illa a ſiniſtra, hæc Boream verſus, & illa meridiem verſus. Sicuti enim horologium, inquit Jacobus Riccati (5), quod quis præ manibus habeat, idem in ſe remanet, vel ego ipſum aſpiciam ex una parte, vel ex alia oppoſita, quamvis ſi ex una parte illud intuear, videam rotas ſe convertere ex Oriente in Occiden-

A a tem,

(1) Perer. de Comm. Princi. lib. 15. cap. 4. ad 1. pag. 502.

(2) S. Tho. 1. p. qu. 19. art. 5. ad 1. pag. 83.

(3) S. Aug. de Gen. contra Manich. lib. 1. cap. 2. pag. 316.

(4) Per. de Comm. Princi. lib. 15. cap. 4. ad 1. pag. 501.

(5) Ricc. Opere tomo 2. lib. 1. cap. 10. §. 8. pag. 124.

tem, ſi ex alia ex Occidente in Orientem, ita non variato hoc ipſo Mundo, & ejus conſtructione, unice a libertate Dei originem habuit illa, quæ nunc obtinet ipſarum partium diſpoſitio. Et jure urgent aliqui apud Voltairem (1) Leibnitianos, ut ſe doceant, quæ alia ſit ratio præter Divinam Voluntatem, cur in Hemiſphærio nobis inferiori collocaverit Americam potius, quam viceverſa: cur hos montes in uno gradu latitudinis potius, quam in alio paulo Æquatori propius vel remotius erexerit.

Similia argumenta pro eadem veritate comprobanda congerunt Clarkius (2), & Whiſtonus (3), cujuſmodi ſunt gravitatio mutua & conſtans corporum in tali ratione, quæ eſt duplicata ſuæ inter ſe propinquitatis: talis determinata velocitas in vi projectionis, quæ deprehenditur in Planetis tum circa ſuum axim, tum circa Solem euntibus ex Oriente potius in Occidentem, quam contra: talis ejuſdem projectionis directio, ut ſit fere perpendicularis directioni centripetæ: talis ſingulorum corporum ad has potius diſtantias quam alias collocatio, & determinatio illa Planetarum, per quam fere omnes circa Eclipticam verſantur; (4) *Curſus contrarii*, ſic alibi idem Whiſtonus, *iique in planis diverſiſſimis, & ad ſe invicem ſecundum angulos quoſvis inclinatis æque conceptu, & deſcriptu faciles ſunt, ac illi in eodem fere plano, inque eaſdem partes perpetuo volventes, quos in ſyſtemate Planetario unice reperimus*: Simili modo deſcendendo ad alia minus ingentia corpora, nonne Divina libertas apparet in ſpeciebus animalium & plantarum, quod ſint tot potius, quam plures, aut pauciores? quod homines conveniant cum multis brutis in numero & ordine ſenſuum, & principalium partium. Quæ enim contradictio eſſet, quod extaret aliqua animalium ſpecies, quæ haberet organa ſenſoria omnino diverſa? Fieri id poſſe mihi quidem argumento eſt, quod ſubſtantiæ ſpirituales, quas dubitare non poſſumus contemplari res materiales, & illarum proprietates noſſe, quin tamen ipſæ habeant oculos, aut manus, aut aliud quodvis organum materiale, planum faciunt non eſſe neceſſarios ſenſus noſtros ad eas cognitiones habendas, quas hac

(1) Volt. Oeuvres. Tome 6. Metaphy. cha. 3. pag. 31.

(2) Clar. A demonſtr. of God, prop. 9. corol. 2. pag. 70.

(3) Whiſ. Aſtron. Prin. par. 4. num. 8. & ſeq. pag. 82.

(4) Id. Prælec. Aſtron. 8. probl. 9. pag. 96.

hac via haurimus. Quis oſtendat repugnare illud animal, quod Buffierio venit in mentem proponere tamquam poſſibile (1), cui data eſſet facultas decurrendi breviſſimo tempore perquam longum ſpatium, vel facultas fruendi optima valetudine ſine ea cibi & potus frequentia, qua nos indigemus, vel facultas habendi ſextam aliquam ſpeciem ſenſationum', dato illis alio ſenſu præter quinque illos nobis notos, qualis eſſet, vel ille, qui ipſum adverteret de motibus atmoſphæræ, de quibus nos monent barometra & thermometra, vel ille qui præſtaret vices microſcopii. Hæc igitur & alia cum non ſint neceſſariæ proprietates materiæ nec ſecundum ſe, nec cum modificatione motus ſpectatæ, cum materia ſit eſſentialiter iners, nec motus importet prædictas modificationes ſui, ſunt totidem teſtimonia, quod ſola Voluntas Dei eſt ultima ratio omnium creatorum.

Sunt quidem apud Jacquierium (2), qui aliquorum ex his rationem conantur afferre excludendo omne omnino vacuum, & omnia implendo Monadis diſſimilibus, quæ invicem determinatæ ſunt ad exiſtendum illæ ad Orientem, & illæ ad Occidentem, vel ad alias Mundi partes. At eſt ne afferre rationem ſufficientem de compoſitione corporum, & Mundi materialis, ſive illam intelligibili modo explicare, dicendo eam eſſe effectum vis activæ & paſſivæ, quam ſingulæ monades continuo inter ſe exercent? Sed hoc omiſſo, niſi etiam dicant omnino infinitas eſſe has monadas, atque etiam æternas, quorum utrunque non ſolum ſine ratione ſufficienti, ſed contra omnem rationem dicerent, neceſſe eſt in ipſo determinato monadum numero, & illarum exiſtentiæ tempore fateantur, Deum Creatorem aliam non habuiſſe rationem præter ſuammet liberam voluntatem.

Reponit Leibnitius iſtam quidem libertatem intervenire, ſed illam dirigi & determinari a ratione Optimi Mundi inter omnes infinitos poſſibiles. At hoc dicere eſt fateri libertatem in Deo dumtaxat a coactione, non vero a neceſſitate, & ut dicunt Trevoltiani (3), ex vano timore admittendi Mundum factum eſſe a caſu, pervertere omnem notionem rationalis libertatis,

(1) Buff. Prem. Verit. num. 211. col. 621.

(2) Jacq. Phy. par. 1. ſec. 2. cap. 2. art. 1. pag. 285.

(3) Memoi. de Trev. an. 1737. art. 58. pag. 988.

& rem ad Fataliſmum deducere: Rurſus eſt fateri Mundum æternum contra id, quod Fides Catholica docet. Nam non mutatur ſeries rerum componentium hunc Mundum, per hoc, quod ducta fuerit ad exiſtentiam prius quocunque tempore dato: & ſemel quod ratio Mundi omnium poſſibilium optimi ſit ſola ratio exiſtentiæ illius, jam Mundus factus eſt ab æterno, quia ab æterno præſens ratio illa fuit menti Divinæ.

177. II. Objicit Leibnitius (1). In Geometria, ubi non eſt nec maximum nec minimum, vel eſt æqualitas, vel impoſſibilitas: ergo a pari in genere Divinæ Sapientiæ creantis aliquem Mundum ex infinitis poſſibilibus, quorum nullus eſt æqualis alteri, ſed altero melior, vel creat Mundum omnium optimum, vel nihil creat.

Reſp. I. cum Trevoltianis (2), *tranſeat ant.* Nam non eſt omnino vera, cum dentur innumeræ curvæ, ut ſpirales infinitæ, in quibus non datur maximum, & tamen in illis nec eſt æqualitas, nec impoſſibilitas: & *nego conſequentiam*. Diſparilitas eſt, quod in genere Geometrico datur metaphyſica neceſſitas, in genere autem Sapientiæ Creatoris datur perfectiſſima libertas. Quare ſemel quod debeat exiſtere, vel debeat concipi curva aliqua determinata, ut circulus vel Ellypſis, neceſſe eſt ut ſit juxta eſſentiam illi curvæ propriam. At cum nihil ſit, quod Deo imponat neceſſitatem ad producendum Mundum aliquem ex infinitis poſſibilibus, quorum unum non poſſe eſſe æqualem alteri gratis dicitur, creat ille aliquem pro libito ſuo.

Reſp. II. iterum tranſeat ant., & nego conſequ. cum ejus ſuppoſito, quod ſcilicet in infinitis Mundis poſſibilibus ſit poſſibilis Mundus optimus. Nunquid eſt poſſibilis baſis omnium maxima in pyramide infinita? Hæc enim conſtitui poteſt hujus infinitatis imago, in ſenſu tamen diverſo ab illo Leibnitii (§. 163.), repræſentando ſcilicet per ejus apicem Mundum qui exiſtit, & per ſingulas ſucceſſivas baſes Mundum ſemper meliorem. Cum igitur in infinitate mundorum poſſibilium non reperiatur Mundus optimus, nequit Divina Sapientia hunc creare.

(1) Leib. Theodic. par. 1. num. 8. pag. 116.

(2) Memoi. de Trev. ann. 1737. art. 28. pag. 451.

178. III. Objicit idem (1). Nequit Deus facere ſphæram non determinando ipſius diametrum : ergo neque poteſt facere Mundum, qui non ſit omnium poſſibilium optimus. Probatur conſequentia. Determinatio diametri in creatione ſphæræ eſt neceſſaria ad rationalem ipſius creationem : ſed etiam ratio Mundi omnium poſſibilium optimi eſt neceſſaria ad ejuſdem rationalem creationem : ergo ſi primum etiam ſecundum.

Reſp. conc. ant. & nego conſequ. Ad probationem *conc. maj. & nego min.* Sufficit enim ratio Mundi optimi in ſenſu aliquo relativo ex iis, qui ſupra dicti ſunt. Exemplum etiam objectum retorquetur ad concludendum non poſſe a Deo creari Mundum omnium poſſibilium optimum, quia ſicuti ad creationem ſphæræ requiritur determinatio diametri, quæ proinde excludit diametrum infinitam, ita creatio unius Mundi inter infinitos poſſibiles excludit rationem illam, quæ ſupponat Mundum omnium poſſibilium optimum. Nam tam impoſſibile eſt conficere ſphæram ſupra diametrum infinitam, cum ſit ex terminis impoſſibilis infinita extenſio utrinque terminata, ſicuti requirit diameter ſphæræ, quam impoſſibile eſt creare Mundum omnium optimum, cum hic ſit impoſſibilis.

179. IV. Objicitur. Deus eſt infinite ſapiens, & bonus, & potens : ſed ut infinite Sapiens poteſt cognoſcere Mundum inter omnes poſſibiles optimum, ut infinite bonus non potuit non eligere Mundum ſic optimum, & ut infinite potens potuit illum creare : ergo illum creavit. Leibnitius putat illos (2), qui minorem negent, limitare Divinam Sapientiam, quaſi Deus non viderit iſtud optimum, bonitatem, quaſi non ſit inclinatus ad optimum, & potentiam quaſi non potuerit exequi iſtud optimum.

Reſp. conc. maj. & nego min. vel potius falſum illius ſuppoſitum, quod continetur etiam in illo, quod addit Leibnitius, Mundum ſcilicet omnium poſſibilium optimum eſſe abſolute poſſibilem. Non eſt igitur talis Mundus objectum Divini intellectus, nec proinde potuit Deus illum eligere. (3) *Non officit*,

ſic

(1) Leib. Theod. par. 2. num. 156. pag. 366.

(2) Id. Ibid. num. 117. pag. 239. Id. Ibid. num. 168. pag. 329.

(3) Boſc. Philoſ. Nat. Theor. num 565. pag. 294.

ſic Rogerius Boſcovich, *Sapientiæ aut Bonitati infinitæ, quod optimum non ſeligat, ubi optimum eſt nullum*. Idipſum autem plane ſequitur ex ipſa aſſerta infinita Dei Sapientia; Qua enim ratione eſt infinita, non permittit, ut exhauriatur in idea creaturæ alicujus, ſupra quam nulla alia poſſit eſſe, quæ creaturam perfectiorem repræſentet. Quare notatur etiam contradictionis in ipſis terminis propoſitio æſtimans infinitam Sapientiam, & Bonitatem ex cognitione & creatione rei neceſſario finitæ, qua nihil melius creari poſſit.

Quod ſi dicant Adverſarii, a ſe dici Mundum ita optimum, non quidem ut ſit infinitæ perfectionis, ſed ut in genere Mundi finitæ perfectionis non ſit illo melior, & hunc non poſſe Deum ut infinite bonum non eligere, reſpondetur primo, in genere Mundi finitæ perfectionis nullum eſſe, quo melior eſſe non poſſit; Mundi enim finiti, quorum unus ſit alio perfectior in infinitum, ſunt numero infiniti. Secundo reſpondetur, dato etiam Mundo inter Mundos finitos optimo, ex eo, quod Deus infinite bonus ſit, non ſequitur debere illum creare, ſiquid velit creare; Nam infinita hæc bonitas cum ſibi ſatisfaciat in productione infinita, qualis eſt productio Divinarum Perſonarum, nequit infinite inclinari ad productionem ullam finitam, atque determinatam, ſed æque inclinatur ad hujuſmodi productionem, ac ad ipſius omiſſionem.

Eſt præterea alia non ferenda contradictio, vel abuſus in illa voce eligere, dum paſſim ſumitur a Leibnitio (1) in aliena prorſus a communi uſu ſignificatione; Neque enim eligere ſignificat facere aliquid, quod non poſſit quis non facere, ſed facere aliquid, quod poſſit vel facere vel non facere: Mundum autem omnium poſſibilium optimum non poterat per Adverſarios Deus non facere, poſita determinatione aliquid extra ſe faciendi: ergo Mundum ſic optimum non potuit Deus eligere. De hoc Optimiſtarum abuſu hujus nominis electio jam olim Trevoltiani (2) queſti ſunt, & nuper Thomas Needham contra eoſdem dixit (3), *Ridiculum eſt loqui de electione, ubi nulla eſſe poteſt, & de poſſibilitate*

(1) Leib. Theodic. par. 1. num. 8. pag. 116.
Id. Ibid. par. 2. a num. 238. pag. 407.

(2) Memoi. de Trev. an. 1737. ar. 28. pag. 448.

(3) Need. Nouvel. Obſerv. §. ultimo pag. 510.

Digitized by Google

litate infinitorum ſyſtematum, ubi omnia uno excepto ſunt impoſſibilia. Quod ſi forte electio dicatur tribui Deo, quatenus dicatur fuiſſe liber ad creandum & non creandum, imprimis libertas neganda non eſt Deo, etiam ſuppoſita determinatione creandi, ad creandum quicquid ipſi placuerit: deinde objectio facta ex Sapientia & Bonitate infinita, ſiquid valet, probat Deum ne fuiſſe quidem liberum ad creandum vel non creandum, & omnino ab æterno creaſſe quicquid creavit.

Inſtatur. Eligere poteſt etiam ſignificare aſſumere unum ex pluribus, quæ intellectus cognoſcit poſſibilia in ſeipſis, hoc eſt non involventia contradictionem: ſed Intellectus Divinus cognoſcit infinitos Mundos in ſeipſis poſſibiles, etſi unus ſit omnium poſſibilium optimus: ergo etſi Deus creaſſet etiam neceſſario Mundum omnium poſſibilium optimum, adhuc creatio iſta eſſet electio.

Reſp. nego maj. Eligere enim ſignificat aſſumere unum ex pluribus, quæ intellectus cognoſcat poſſibilia non abſolute ſolum, ſive in ſeipſis, ſed etiam relative, ſive ſibi eligenti. Ita poſſibile in ſe eſt, ut unus homo loquatur Latine, vel Italice, ſed non dicitur quis ignorans linguam Latinam loqui Italice per electionem, & nugatorie agerem cum Adverſariis, ſi illis proponerem, ut eligerent loqui ea lingua quam ignorant, quandoquidem poſſibile abſolute eſt, ut utraque lingua loquantur. Jam vero ſemel quod dicant Optimiſtæ, non poſſe Deum creare niſi Mundum omnium poſſibilium optimum, jam poſſibilitas aliorum mundorum relative ad potentiam Divinam nulla eſſet, adeoque neque electio in tali creatione. Eſt rurſus falſa etiam minor; nullus enim cognoſcitur Mundus omnium poſſibilium optimus, tamquam poſſibilis, cum hic ſit impoſſibilis.

180. V. Objicitur. Sapientia Divina nequit non judicare id eſſe melius ex rebus extra ſe poſſibilibus, quod reipſa eſt melius: ſed Voluntas Divina nequit non eſſe conformis Sapientiæ Divinæ: ergo Voluntas Divina nequit non velle ex rebus extra ſe poſſibilibus id, quod Sapientia Divina judicat eſſe reipſa melius.

Reſp. permit. maj. quia ſi dum dicitur Sapientiam Divinam judicare eſſe melius in rebus extra ſe, quod eſt reipſa melius, intelligatur illo nomine melius, id quod eſt optimum, negaretur ſup-

Digitized by Google

ſuppoſitum, quippe nihil eſt optimum extra Deum, & nihil quo melius infinita Dei Sapientia non cognoſcat. Et *diſt. min.* Voluntas Divina nequit non eſſe conformis Sapientiæ Divinæ, retenta tamen perfectiſſima libertate, *conc. min.* amiſſa hac libertate *nego min. & conſequentiam*. Divinam Sapientiam non trahere neceſſario Voluntatem Divinam non ſolum certum eſt, ſed etiam evidens, quippe Sapientia Divina certe cognoſcit Mundos in infinitum poſſibiles, attamen Voluntas Divina non facit, ut exiſtant hi Mundi. Diſtinctis per rationem noſtram attributis Divinis, & de illis, prout ſic diſtincta ſunt, diviſim diſcurrendo, non mirum ſi aliquid uni tribuatur, quod alteri non convenit, quippe ſingulis ſeorſim ſumptis tribui debet, quicquid in illis non repugnat. Ita Sapientiæ Divinæ tribui debet perfecta cognitio dicens ordinem ad res extra Deum poſſibiles, quia nihil in hoc repugnantis habetur. At Voluntati Divinæ, quæ eſt rerum cauſa, non poteſt tribui omnis volitio dicens ordinem ad omnia poſſibilia, quia hoc repugnat cum Divina Libertate, & Potentia infinita. De iiſdem vero attributis Divinis diſcurrendo, prout in Deo ſunt unum & idem ſine ulla diſtinctione, ita loqui neceſſe eſt, ut nihil affirmetur, quod utrique non conveniat. Ita affirmari poteſt Voluntatem Divinam eſſe conformem Sapientiæ Divinæ, quia ſimiliter affirmari poteſt Sapientiam Divinam conformem eſſe Voluntati Divinæ; Nam Sapientia Divina non ſolum judicat eſſe melius, quod reipſa eſt melius, ſed etiam nihil eſſe abſolute optimum extra Deum, & illud ſolum faciendum, quod Deus velit.

181. VI. Objicitur. Qui libere omittit facere, quod eſt melius, non operatur honeſtiſſime, & contrahit imperfectionem moralem: ſed hoc de Deo dici nequit: ergo Deus facit id, quod eſt abſolute melius, hoc eſt optimum.

Reſp. diſt. maj. Si per illam liberam omiſſionem minus conformetur primæ regulæ omnis bonitatis, & honeſtatis, quæ eſt Voluntas Divina, *conc. maj.* ſi æque bene primæ regulæ honeſtatis conformetur, *nego maj.* & conceſſa *min. diſt. conſequens.* Deus facit id quod eſt melius in ſenſu aliquo relativo (§. 159.) *conc. conſequentiam*: id quod eſt abſolute melius, *nego ſuppoſitum*; Non enim poſſibile eſt iſtud melius. Deus interea per quamcunque
ſuam

ſuam liberam electionem ſemper conformatur primæ regulæ omnis honeſtatis, cum ipſe idem ſit hæc prima regula, & ſumma bonitas, & proinde ſemper facit optimum in ordine ad hanc primam regulam.

Inſtatur I. Ex eo quod Voluntas Divina ſit ipſamet prima regula honeſtatis, non ſalvatur, quod libere omittens facere, quod eſt melius, honeſte ſe gerat; Nam Voluntas creata per hoc ipſum, quod libere omittat facere, quod eſt melius, non ſe gerit honeſte: ergo a pari etiam Voluntas Divina ſemel quod omitteret facere, quod eſt melius, non ſe gereret honeſte.

Reſp. nego aſſumptum. Ad probationem *concedo ant.* in hypotheſi quod voluntas creata aliquo modo teneatur ad faciendum illud, quod eſt melius: ſecus illud *nego*. Ubi enim nulla omnino adeſt obligatio faciendi aliquid, quod melius eſt, qui illud non facit, abeſt ab omni peccato, adeoque non deficit ab ulla honeſtate. Nego autem conſequentiam, & poſita explicatione, per quam intelligitur, quando verum eſt antecedens, intelligitur etiam quare ſemper falſa ſit conſequentia, quia ſcilicet Deus, utpote perfectiſſime liber, & ſibi ſufficientiſſimus, nihil poteſt extra ſe facere ex ullo debito. Hoc eſt proprium creaturæ, quæ melior fit, cum bonum operatur, & deterior, cum illud omittat facere, quod debet. Eadem rurſus falſa etiam eſt propter falſam ſuppoſitionem, quam involvit, quod aliquod ſit objectum creatum, quod voluntati Divinæ proponi poſſit, ut nihil ipſo melius poſſit proponi; Nulla enim voluntas deficit ab ulla honeſtate, quæ non eligat objectum altero melius, quod ſibi non proponitur, vel proponi non poteſt, utpote quid abſolute impoſſibile, cujuſmodi eſt reſpectu Divinæ voluntatis Mundus omnium poſſibilium optimus.

Inſtatur II. Voluntas creata, quæ faciat id quod eſt melius, etiamſi ad illud non teneatur, eſt magis laudabilis: ergo etiam Voluntas Divina, quæ fecerit extra ſe id quod eſt melius, eſt magis laudabilis: ſed Divinæ Voluntati tribui debet id, quod ipſi eſt magis laudabile: ergo illi tribui debet, quod fecerit extra ſe Mundum cæteris meliorem, adeoque optimum.

Reſp. conc. ant. & nego conſequ. Eſt enim latum diſcrimen inter voluntatem Divinam & creatam. Creata capax eſt augmenti in intrinſeca ſui perfectione, ad quam concurrit etiam obje-

ctum ipſi extrinſecum, ita ut ipſa melior & perfectior evadat pro objecto meliori & perfectiori, quod eligat: at Voluntas Divina eſt eſſentialiter infinite perfecta, eaque, ut loquar cum Platelio, (1) *noſtro modo concipiendi accipit omnem ſuam honeſtatem intrinſecam a ſola Bonitate Divina, ex cujus infinito ac proinde ſemper æquali amore operatur, ſic ut nullo modo reddatur imperfecta per hoc, quod objectum extra ſe minus perfectum eligat relicto perfectiori, cum a creaturis quantumlibet perfectis nullam accipere poſſit perfectionem*; Adde Mundum meliorem in ſenſu Adverſariorum eſſe objectum chimæricum.

182. VII. Objicit Leibnitius (2). Minus bonum eſt aliquod malum; ſed ſi Deus creaſſet Mundum bonum relicto meliori, creaſſet minus bonum: ergo creaſſet aliquod malum: Atqui impium eſt dicere Deum creaſſe aliquod malum; ergo dicendum eſt Deum creaſſe Mundum meliorem.

Reſp. diſt. maj. Minus bonum eſt aliquod malum, ſcilicet eſt aliqua natura in ſe bona, quæ habet malum vel metaphyſicum, vel phyſicum, vel morale, quorum notiones alibi (3) dedi, *conc. maj.* eſt aliquod malum, hoc eſt aliqua natura in ſe mala, *nego maj.* Et conceſſa minori, *diſt. conſequens*: ergo creaſſet aliquod malum, hoc eſt creaſſet aliquid in ſe bonum, ſed limitatæ perfectionis, in qua limitatione conſiſtit malum metaphyſicum, *conc. conſequ*: hoc eſt creaſſet aliquid in ſe malum, *nego conſequ.* Venio ad *min. ſubſumptam*. Impium eſt dicere Deum creaſſe aliquid in ſe malum, *omitto*; Nam negari revera debet repugnantia in ipſis terminis propoſitionis; Cum enim malum conſiſtat in negatione, quid eſt creare aliquid in ſe malum, niſi creare nihilum? Impium eſt dicere Deum creaſſe aliquid in ſe bonum, ſed habens malum metaphyſicum, *nego minorem & conſequ.* cum ea falſa ſuppoſitione, quæ in illa includitur de poſſibilitate Mundi, quo nullus melior exiſtere poſſit.

SECTIO

(1) Plat. d. Incar. num. 51. pag. 116. 116.
(2) Leib. Theod. par. 1. num. 8. pag. (3) Diſſ. de Malo.

SECTIO IX.

Argumentum VI. ex abſurdis quæ ſequuntur ex Optimiſmo.

183. PRimum abſurdum. Deum ita eſſe auctorem peccati, ut neceſſario ſit illius auctor, blaſphemum eſt, & impoſſibile, cum Deus ſit infinita perfectio, & ſanctitas: peccatum contra ſit damnabilis imperfectio & malitia. Sed ſi hic Mundus abundans peccatis eſſet omnium poſſibilium optimus, Deus dicendus eſſet Auctor peccati, & quidem ita ut neceſſario eſſet illius Auctor; Nam juxta Leibnitium Deus non poteſt velle niſi Mundum omnium poſſibilium optimum, & ratio Mundi ſic optimi importat etiam peccatum: ergo. Chryſippus Stoicus jam olim ut fuſe refert, & impugnat Plutarchus, docuit (1) *Vitium ex Dei Providentia factum eſſe, ut ex Poetæ conſilio putidum poema*, adeoque non quia aliter non potuerit, ſed quia aliter non voluerit: Sed Optimiſtæ docentes Mundum hunc abundantem peccatis eſſe omnium poſſibilium optimum, ſuperant Stoici hujus deliramentum, cum ex illorum ſententia ſequatur Deum ita velle peccata, ut non poſſit non velle. (2) *Cum inter poſſibilia*, ſic Leibnitius, *Deus hominem libertate ſua abutentem repererit, non potuit non eum ad exiſtentiam admittere, quia optimum ſyſtema generale id poſtulabat*, & ſimilia alibi repetit (3). Atque ut clarius adhuc appareat facilitas Leibnitii in admittenda hac ſui Optimiſmi conſequentia potius quam illud abnegandi, iterum audiatur dicens, (4) *Vulgatum illud, non eſſe facienda mala, ut eveniant bona, falſum eſt, ſi nimis generatim accipias. Sæpe mala vel damnoſa facere, & pati oportet, majoris boni obtinendi, vel mali vitandi cauſa*. Quare licet potiori jure Optimiſtas exprobrare dictis illis Plutarchi contra Chryſippum, *cum mundum Deus conderet, quid ad pulcherrimum hoc & auguſtiſſimum opus latronibus, homicidis, parricidis, & tyrannis habebat opus, in quibus ne per ſo-*

(1) Plu. de Comm. notionibus. pag. 424.

(2) Leib. Theodic. par. 3. num. 165. pag. 450.

(3) Id. Ibid. par. 3. num. 335. pag. 525.

(4) Id. Comm. Philoſ. cum Bernoul. epiſt. 89. anni 1699. pag. 442.

ſomnium quidem videre eſt decantatæ ſimulacrum convenientiæ : & cum eodem concludere ipſos ſuperare omnem cogitationem abſurditatis. Sed ne tam ampla ſit concluſio, impedit Auctor fabulæ, quam per Antiphraſim inſcripſit, *Le Candide ou l'Optimiſme*, attributæ Voltaire, in qua ita irridet Optimiſtas, ut (1) ex obſervatione tot terræ malorum, in pejorem inſaniam inciderit promovendi Manichæiſmum, vel blaſphemandi contra Providentiam, ut refert Guyonus Auctor ut dicitur libri, *L'Oracle des nouveaux Philoſophes*, contra Voltairem ſcripti.

184. Secundum. Si Mundus hic abundans peccatis eſt omnium poſſibilium optimus, ſequitur Deum non eſſe infinitæ Sapientiæ, nec infinitæ Potentiæ: ſed hæc ſunt blaſphemiæ deſtruentes funditus omnem ideam Divinitatis, & recta ducentes ad Materialiſmum, ſeu Pantheiſmum, ut jam obſervarunt Trevoltiani (2): ergo. Major probatur, quia in hypotheſi, quod Mundus hic abundans peccatis ſit omnium poſſibilium optimus, non eſt jam in Deo ulterior ſapientia, quæ intelligat modum componendi alium Mundum ſine hujuſmodi imperfectionibus, neque ulterior potentia, qua alium Mundum hujuſmodi, ſi forte intelligat modum componendi, poſſit creare. Sic jam olim Petrus Bayle poſt Arnaldum oppoſuit Leibnitio, ut ipſemet (3) refert, quæ eſt objectio magis adæquata, quam illa Maupertuiſii, qua dixit, (4) *Leibnitium ut ſalvaret ſapientiam Dei, ſubſtuliſſe ab illo potentiam*.

Tertium. Homines non poſſe abſtinere a peccando, modis omnibus falſum eſt, ut ubi agitur de libertate humana oſtenditur: ſed ſi Deus non poteſt velle, niſi Mundum omnium poſſibilium optimum, & ratio optimi hujus Mundi importat peccatum, non poſſunt homines abſtinere a peccando. Quæ enim creatura poteſt reſiſtere Deo, & impedire ipſius determinationes, ac perfectiones illas, quas non poteſt non velle in Mundo? ergo.

Quartum. Si peccata pertinent ad ſeriem rerum, quæ conſtant hunc Mundum, ita ut nulla melior in ideis Divinis eſſet, jam

(1) Guy. Dixieme converſ. pag. 375.

(2) Memoi. de Trev. ann. 1737. art. 25. pag. 208. & 214.

(3) Leib. Theodic. par. 2, num. 218. pag. 397.

(4) Mauper. Oeuvres. Avant. propoſ. de Coſmolog. pag. 10.

jam nulla ſunt in Mundo peccata: ſed hoc eſt contra Fidem, & evidentiam: ergo peccata non pertinent ad optimam rerum ſeriem: ergo hic Mundus abundans peccatis non eſt omnium poſſibilium optimus. Illatio, quam major includit, tam legitima eſt, ut illius conceſſio effugerit Leibnitio, qui dixit, (1) *ſiquæ mentes peccati notitiam nullam habentes, judicarent nullum eſſe peccatum in Univerſo, probabiliter ratiocinarentur.* Eadem etiam ne ab ullo Optimiſta negari poſſit, ſuadet Apoſtolus, qui ſimili modo concludit non poſſe ſe judicari peccatorem, ſemel quod credant ipſum docere, quod ſua mendacia & peccata ex natura ſua in gloriam Dei cedant, ſicuti dolet eſſe, qui de hac blaſphemia ipſum calumniantur: (2) *ſi*, inquit, *veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipſius, quid adhuc & ego tamquam peccator judicor?*

185. Quintum. Semel quod peccata pertineant ad Mundi conſtitutionem, quæ magis commendat Divinas perfectiones, jam dicendum eſt Deus iniquum eſſe, dum in peccatores iraſcitur, eoſque punit, quos potius deberet præmio afficere, quaſi auctores majoris ipſius gloriæ. Atqui id dicere eſt aperta inſània, atque blaſphemia: ergo etiam id, unde illud ſequitur. Major eſt ejuſdem Apoſtoli dicentis, (2) *ſi iniquitas noſtra juſtitiam Dei commendat quid dicemus? Numquid iniquus eſt Deus, qui infert iram? Abſit.* Non eſt igitur ullius iniquitas de ſe & natura ſua apta ad illuſtrandas perfectiones Divinas: ſed quod hæ etiam ex illis eluceant, unice provenit ex Sapientia Dei, qui mala ipſa moralia ordinare novit ad bonum miſericordiæ vel juſtitiæ ſuæ, ut ex doctrina Patrum luculenter exponit in citatum locum Cornelius a Lapide.

Sextum. Homines peccando bene operari: Adamum addidiſſe Mundo per ſuam Legis Divinæ tranſgreſſionem, perfectionem ipſi deficientem: in rerum confuſione conſiſtere rerum ordinem: leges præſcribi omnibus hominibus, ne omnes ipſis pareant: malum dicere ordinem ad bonum, illudque quod eſt omnium maximum, ſcilicet peccatum, eſſe vel cauſam formalem boni, vel medium ad boni exiſtentiam non ſolum aptum, ſed aptius quo-

(1) Leib. Comm. Philoſ. cum Bernoul. epiſ. 91. pag. 445.

(2) ad Rom. cap. 3. v. 7.

(3) Ibid. cap. 3.

Digitized by Google

quolibet bono, & alia ſimilia, ita abſurda ſunt, ut ſtulta ſint, & involventia contradictionem: ſed ſi Deus non poteſt velle niſi optimum Mundum, & hujus ratio importat peccatum, dicendum eſt homines peccando bene operari; Nam bene operatur, qui Deo gratificatur, & ad perfectionem operum ipſius, quam vult, concurrit: dicendum Adamum addidiſſe per ſuum peccatum Mundo perfectionem; Nam major ipſius perfectio dicitur poſtulare etiam peccatum: dicendum confuſiones rerum, quæcunque in hoc Mundo contingant, non ſolum non perturbare ordinem rerum, ſed illum perficere; Tandem omnia ſupra dicta dicenda ſunt: ergo ſi ea ſtulta & abſurda ſunt, ſtultus & abſurdus etiam eſt ille Optimiſmus, ex quo illa ſequuntur. Ea autem ſequi, vidit etiam Leibnitius, qui (1) *judicandum eſt*, inquit, *ipſas quoque miſerias & monſtra pertinere ad ordinem regulas & leges generales*: contrarium tamen tenuit S. Auguſtinus affirmans, (2) *Non ipſa peccata vel ipſa miſeria perfectioni univerſitatis ſunt neceſſaria, ſed animæ, quæ ſi velint peccant, ſi peccaverint, miſeræ ſiunt*. Cum autem ipſe Leibnitius viderit ſuum illud dictum opponi communibus ideis, quas habent homines circa ordinem & regulas, monuit ſtatim, *modum conformitatis hujus non poſſe nos diſcernere*. At ex hoc ipſo inſtant Trevoltiani (3), & rogant, cur obtrudatur nobis ſyſtema, cujus non ſolum nullam ideam poſſumus habere, ſed ideis ipſis, quas habemus, adverſatur.

SECTIO X.

Objectiones pro abſurdis vindicandis.

186. PRimo Objicit Leibnitius (4). Eccleſia in Sabbato Sancto canit, *o certe neceſſarium Adæ peccatum! O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!* ergo ex ſenſu Eccleſiæ peccatum, & malum ita conducit ad bonum, ut ſit ad illud etiam neceſſarium.

Reſ. conc. antecedens, & nego conſequentiam. Nam ut monent

(1) Leib. Theod. par 3. num. 241. pag. 422.

(2) S. Aug. de lib. arbit. lib. 3. cap. 9. par. 264.

(3) Memoi. de Trev. ann. 1737. art. 58. pag. 969.

(4) Leib. Theod.

nent Trevoltiani (1), ea Eccleſiæ expreſſio eſt ſignificatio ſui gaudii de bono Redemptionis, non vero ſignificatio aut approbatio doctrinæ Leibnitianæ. Obſervant Theologi licere gaudere de effectu bono, præſcindendo ab eo, quod ille ſequutus ſit ex peccato, (2) *quia*, inquit Antoine, *objectum talis gaudii non eſt malum, nec proinde ipſum gaudium*, quam doctrinam ipſe illuſtrat objectis Eccleſiæ verbis, eaque expreſſe Platelius adducit in argumentum, quod humanitas Chriſti Domini (3) *poſſit gaudere de peccato Adami, præciſe prout ex mera Dei Bonitate fuit illi occaſio tanti boni, & omnino abſtrahendo ab ejus malitia*. Quemadmodum ſi ex incendio aut ruina alicujus domus ſumat Rex occaſionem jubendi novam illius conſtructionem magnificentiorem, dicitur felix inflammatio, & vere neceſſaria ruina, non ut affirmetur incendium illud fuiſſe neceſſarium ad exiſtentiam novi ædificii, ſed ut declaretur ſola admiratio occaſionis, ex qua illud factum eſt.

187. II. Objicitur. Merita Chriſti ſunt majus bonum, quam malum ſint peccata hominum; Nam juxta Theologos, (4) *ſatisfactio Chriſti pro peccatis hominum fuit ex natura rei condigna, eorumque malitiæ adæquata, imo ſuperabundat*. Atqui ſi Adamus non peccaſſet, Verbum Divinum non aſſumpſiſſet naturam humanam: ergo ſi Adamus non peccaſſet, non fuiſſet hoc majus bonum, merita Chriſti: ergo etſi peccatum ſit aliquod malum, tamen propter bonum majus, merita Chriſti, Mundus eſt perfectior cum peccatis, quam ſine peccatis.

Reſp: I. permitto totum. Quod enim ſit perfectior Mundus cum peccatis, quam ſine peccatis propter bonum Incarnationis ex illorum occaſione Mundo allatum, non infert ita eſſe perfectiorem, ut ſit omnium poſſibilium optimus, quemadmodum volunt Optimiſtæ. Da enim eamdem Divini Verbi Incarnationem, & tolle a Mundo peccata vel omnia, vel multa, habebitur Mundus perfectior illo, qui nunc habetur.

Reſp. II. permiſſis reliquis omnibus, *diſtinguo ultimum conſequens*. Propter merita Chriſti Mundus perfectior eſt cum peccatis,

(1) Memoi. de Trev. ann. 1737. art. 13. pag. 219.

(2) Ant. Theol. Mor. de Pecc. cap. 6. qu. 6. pag. 89.

(3) Plat. Curſ. Theol. de Incar. num. 93. pag. 49.

(4) Id. de Incarn. num. 65. pag. 33.

Digitized by Google

catis, quam ſine illis ex libera Dei bonitate, qui novit de malis bona facere, *conc. conſeq*: ex neceſſitate, quam Deus habuerit eligendi hanc majorem perfectionem in Mundi creatione, ut contendunt Adverſarii, *nego conſequ.* quæ impietatem includit faciendi Deum Auctorem peccati.

Reſp: *III. conc. maj. & nego minorem* cum multis Theologis, qui contrarium propugnant docentes, (1) *primam rationem*, ſic Suarez, *quæ Divinam Voluntatem inclinavit ad volendam Incarnationem, fuiſſe excellentiam ipſius Myſterii, & alia bona, quæ ipſam per ſe conſequuntur abſque neceſſitate & remedio peccati*. Quam ſententiam oppoſita probabiliorem, ut ait Abelly (2), reddunt multa argumenta, cujuſmodi ſunt. I. Sola excellentia myſterii in Unione Verbi cum natura humana eſt motivum illam decernendi per ſe nobiliſſimum: ſed Deo tribui debet motivum illam decernendi omnium nobiliſſimum, & ſi hoc tribuatur, jam Incarnatio Verbi Divini non eſt bonum, cujus occaſio ſit peccatum: ergo. II. Apoſtolus (3) dicit de Matrimonio, illud *eſſe Sacramentum magnum in Chriſto & Eccleſia*, ſcilicet ſignum Incarnationis, ſeu conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, quod non eſt credibile primum hominem ante ſuum peccatum ignoraſſe, inquit S. Thomas (4): & S. Auguſtinus (5) illud enumerat inter bona nuptiarum, quod futurum fuiſſet etiam in ſtatu naturæ humanæ innocentis: ſed bonum iſtud in ſtatu naturæ humanæ innocentis impoſſibile fuiſſet, ſi cauſa finalis Incarnationis fuiſſet ſolum remedium peccati: ergo hæc ſaltem juxta S. Auguſtinum non fuit. III. Adamus ante ſtatum peccati habuit explicitam fidem de Chriſti Incarnatione, ut ait S. Thomas (6), ſuffragantibus pluribus SS. Patribus citatis a Suarez (7), per revelationem utique illi factam hujus myſterii: ergo ſequutura certo erat Incarnatio, etiamſi non peccaſſet. Probatur conſequentia, quia aliter dicendum eſſet illi factam hanc revelationem non tamquam de objecto abſolute futuro, ſed ſub conditione ab ipſo ponenda ſui ſcilicet peccati, quæ quidem debuiſſet illi celari. Atqui minus congruit Majeſtati Divinæ hujuſmodi

(1) Suar. in 3. pag. diſp. 5. ſec. 4.
(2) Abel. Medull. Theol. de Incarn. cap. 1. ſec. 7. pag. 314.
(3) ad Eph. 5.
(4) S. Tho. 2. 2. qu. 2. ar. 7.
(5) S. Aug. de Nupt. & Concup. cap. 21. lib. 1.
(6) S. Thom. ubi ſupra.
(7) Suar. lib. 3. de Opere ſex dierum cap. 2.

Digitized by Google

modi revelatio de objecto, quod per ſe excellens motivum ſuæ exiſtentiæ haberet, alligato ad conditionem ab ipſo homine libere ponendam, nec Patres dicunt Fidem Adami fuiſſe de Incarnatione conditionate futura: ergo. IV. Quod dicitur, S. Thomam eſſe aperte contrarium in iis verbis, (1) *De his, quæ pendent ex Voluntate Divina, nihil aliud ſcire poſſumus, quam quod ipſe Deus nobis revelavit, in ſacris vero literis nullum aliud explicatur motivum, quam Redemptio peccatorum*, habet ab ipſo S. Doctore aptam hanc in alio loco ſolutionem: (2) *Alii dicunt, quod cum per Incarnationem Filii Dei non ſolum liberatio à peccato, ſed etiam humanæ naturæ exaltatio, & totius Univerſi conſumatio facta ſit, etiam peccato non exiſtente, propter has cauſas Incarnatio fuiſſet, & hoc etiam probabiliter ſuſtineri poteſt, & iis quæ in contrarium objiciuntur, poteſt reſponderi, quod authoritates illæ loquantur de adventu in carne paſſibili ad redimendum, & non de adventu in carne ſimpliciter.* Atque hæc talia ſunt, ut non poſſit ſtatui, (3) *humana natura etiam immortali nequaquam induendum fuiſſe Deum Verbum, niſi peccatis fuiſſet medendum*, quemadmodum dicit Ludovicus Thomaſſinus, propugnans hanc eſſe doctrinam unanimem SS. Patrum.

188. III. Objicitur. Scriptum eſt, (4) *Neceſſe eſt, ut veniant ſcandala*: *Oportet* (5) *hæc* (ſcilicet peccata) *fieri*: *Oportet* (6) *hæreſes eſſe*: ergo peccata hujus Mundi ſunt neceſſaria.

Reſp. conc. antecedens, & diſt. conſequens. Peccata ſunt neceſſaria neceſſitate morali, ex ſuppoſitione ſcilicet tantæ hominum malitiæ, & Voluntatis Divinæ permittentis hominibus abuſum liberi arbitrii ipſis traditi, *conc. conſequ*: ſunt neceſſaria neceſſitate alterius generis, *nego conſequ.*

189. IV. Objicitur. Mundum eſſe perfectiorem cum peccatis, quam ſine illis tenet major pars Theologorum, duce S. Thoma (7), qui retractat vel explicat contrariam ſententiam, quam

(1) S. Tho. 3. p. qu. 1. art. 3.
(2) Id. in 3. ſent. diſt. 1. art. 3.
(3) Thom. de Incarn. Verbi lib. 2. cap. 5. & ſeq. pag. 114.
(4) Matt. cap 18. v. 7
(5) Matt. cap. 24. v. 6.
(6) 1. Corint. cap. 11. v. 38.
(7) S. Tho. 1. p. qu. 23. art. 2. Et qu. 48. art. 2. ad 3. Et qu. 49. art. 2. O. Id. lib. 3. contr. Gent. cap. 71. n. 5. Id. de Potent. qu. 3. art. 6. ad 4.

olim junior viſus eſt docere (1) : ergo ex eo, quod Mundus creatus abundet peccatis, non infertur non eſſe omnium poſſibilium optimum.

Reſp. diſt. antecedens. Tenent Theologi Mundum cum peccatis eſſe in aliquo ſenſu perfectiorem, *conc. antecedens*; eſſe in ſe, ſeu abſolute perfectiorem, *nego antecedens, & conſequ.* Theologi igitur, & S. Thomas ex peccatis hujus Mundi non inferunt illum eſſe in ſe perfectiorem, & omnium poſſibilium optimum, non ſolum quia contrarium aperte affirmat S. Thomas ſupra (§ *166.*) citatus, ſed etiam quia, quoties agunt de ingenti numero reproborum, non recurrunt ad majorem perfectionem Mundi propter peccata, & damnationem conſequentem in tot creaturis, ſed ad occulta Dei judicia. Iidem expreſſe declarant in quo ſenſu dicant Mundum eſſe perfectiorem cum peccatis, quam ſine illis, quatenus ſcilicet plura bonorum diverſa genera ex permiſſione peccatorum dantur in Mundo, quæ aliter locum non haberent, ut bonum patientiæ Martyrum, pœnitentiæ peccatorum, Longanimitatis Dei in tolerando, Miſericordiæ in parcendo, Juſtitiæ in vindicando, & eximiæ Charitatis in redimendo, quæ omnia ſupponunt malum peccatorum. Ceterum *melior* (2), inquit Michael de Elizalda, *Mundus fuiſſet etiam ſine martyribus, ſi omnes homines martyres charitatis extitiſſent: ſine pœnitentibus, ſi omnes ſine caſibus humillimi.* In prædictum ſenſum accipi poteſt Ferrarienſis (3), ubi dixit Mundum cum peccatis perfectiorem eſſe extenſive, non vero intenſive, etſi hic modus loquendi ab aliquibus, ut Mauro (4), non ſatis approbetur.

190. V. Objicitur. S. Auguſtinus docet ad perfectionem hujus Mundi pertinere ipſam miſeriam animarum: (5) *In differentiis*, inquit, *animarum hoc quoque invenies, ut miſeriam, quam doles, ad id quoque valere cognoſcas, ut univerſitatis perfectioni nec ullæ deſint animæ, quæ miſeræ fieri debuerunt, quia peccatrices animæ eſſe voluerunt*: ergo.

Reſp. diſt. antecedens, docet ad perfectionem Mundi pertinere

(1) S. Tho. in 1. ſent. diſ. 46. art. 1. ad 3.

(2) Eliz. Forma veræ Relig. num. 815. pag. 540.

(3) Ferr. in lib. 3. contra Gent.

(4) Mau. Oper. Theol. lib. 2. qu. 52 pag. 169.

(5) S. Aug. de lib. arbi. lib. 3. cap. 9. pag. 264.

nere miſeriam animarum in ſuppoſitione quod peccaverint, *conc. antecedens*, præſcindendo ab hac ſuppoſitione, *nego antecedens*, *& conſequen.* Luculenter exponit ipſe Auguſtinus diſtinctionem hanc, quam dare coactus fuit iis, qui audita ea doctrina, quæ objecta eſt, ſic illi oppoſuerunt: *ſi Univerſitatis perfectionem complet etiam noſtra miſeria, defuiſſet aliquid huic perfectioni, ſi beati ſemper eſſemus. Quapropter ſi ad miſeriam niſi peccando non pervenit anima, etiam peccata noſtra neceſſaria ſunt perfectioni Univerſitatis, quam condidit Deus. Quomodo ergo juſte peccata punit, quæ ſi defuiſſent, creatura ejus plena & perfecta non eſſet?* Illis autem hæc reſpondet, *non ipſa peccata, vel ipſam miſeriam perfectioni univerſitatis eſſe neceſſaria, ſed animæ, quæ ſi velint, peccant: ſi peccaverint, miſeræ fiunt .... ſi enim peccata fiant, & deſit miſeria, dehoneſtat ordinem iniquitas .... & peccati dedecus emendat pœna peccati.*

191. VI. Objicitur. Regula S. Auguſtini eſt, credendum eſſe a Deo factum, quicquid vera ratione nobis occurrit melius; Nam inquit, (1) *Quicquid tibi vera ratione melius occurrerit, ſcias feciſſe Deum tamquam bonorum omnium conditorem*: ergo ſi vera ratione nobis occurreret meliorem eſſe Mundum ſine peccatis, Deus feciſſet, ut Mundus eſſet ſine peccatis: Atqui non fecit: ergo non vera ratione nobis occurrit meliorem eſſe Mundum ſine peccatis.

Reſp. nego antecedens. Ad cujus adjunctam probationem dico, per illa verba non ſtatui ab Auguſtino ullam regulam proprie talem, quæ debet eſſe aliquid applicabile diverſis caſibus, ſed ea ſolum dici ab ipſo in ea particulari materia, de qua tunc agebat, nempe de animabus, quæ permiſſæ ſunt labi in peccata, iiſque intendit docere, ut jam olim advertit Vaſquez (2), Deum optimo & ſapientiſſimo modo operatum eſſe, dum creaturas condidit capaces peccandi, & permittit peccare: non vero intendit docere creaturas, quæ peccant, eſſe quid melius innocentibus, quin immo paullo infra dicens, *ſi te delectat creatura, quæ perſeverantiſſima voluntate non peccat, non eſt dubitandum, quod eam peccanti recta ratione præponas, ſed ſicut eam cogitatione præponis, ſic eam Creator Deus ordinatione præpoſuit*, manifeſte ſtatuit creaturas

(1) S. Aug. li. de lib. arbit. 3. cap. 5. pag. 519.
(2) Vaſq. in 1. p. diſp. 107. cap. 3.

Digitized by Google

turas innocentes judicio Dei & noſtro eſſe quid melius peccantibus. Quare etiamſi vera ratione nobis occurrat, meliorem eſſe Mundum ſine peccatis, attamen nec pro rei veritate, nec juxta S. Auguſtinum infertur Deum debuiſſe facere, ut Mundus eſſet ſine peccatis, ſicuti non ſequitur, quod Deus fecerit, vel debuerit facere creaturas perfectiores illis, quas fecit, etſi vera ratione nobis occurrant tot creaturæ perfectiores factis, quot ſunt objectum Divinæ Omnipotentiæ.

192. VII. Objicitur a Leibnitio (1). Mala in tanta præciſe quantitate ſunt neceſſaria ad habendum aliquod optimum in aliqua linea: ergo peccata hujus Mundi tot, quot reapſe contingunt, poſſunt eſſe neceſſaria ad habendum Mundum omnium poſſibilium optimum. Antecedens probatur, Amarum aliquod aut acidum, neceſſarium eſt, aſpergatur alicui cibo, ut ſit in ſua linea optimus: Umbræ aliquæ neceſſariæ ſunt inter colores, ut perfecta ſit pictura: Diſſonantia aliqua neceſſaria eſt, ut harmonia ſit omnium gratiſſima: Periculum aliquod in funambulis neceſſarium eſt, ut completa ſit ſpectantium oblectatio: Morbi aliqui identidem neceſſarii ſunt, ut bonum valetudinis melius intelligamus comparatione: & alia hujuſmodi.

Reſp. diſt. antecedens. Neceſſaria ſunt mala non moralia ad habendum aliquod optimum in ſua linea, ſed non in ſuo genere, *conc. antecede*: in ſua linea, & in ſuo genere, *nego antecedens, & conſequentiam*. Exempla quæ ad probandum antecedens adducuntur, ſunt de neceſſitate mali non moralis, ſed mali vel metaphyſici, quod conſiſtit in carentia ulterioris perfectionis, vel phyſici, quod conſiſtit in aliqua perpeſſione. Hujuſmodi mala ſi concurrant ad aliquod bonum perficiendum, non tamen proinde illud dici debet optimum niſi in tali individuali linea, non vero in ſuo genere; Nam dari poteſt cibus melior illo, qui conſtat dulci, cui mixtum ſit amarum, & ſic de reliquis. Illud etiam in allatis exemplis animadverti debet, quod mala illa concurrant ad faciendum aliquid melius ex aliqua prævia ſuppoſitione, ut talis in homine guſtus, & talis inadvertentiæ ad bonum valetudinis, adeoque apta ſolum ſunt ad concludendum optimum ſimiliter eſſe Mundum in aliqua hypotheſi, & in ratione

(1) Leib. Theodic. par. 1. num. 12. pag. 120.

Digitized by Google

ne diſpoſitionis talium partium, quæ exiſtant, non vero omnium poſſibilium optimum.

193. VIII. Objicitur in Encyclopædia Gallica, articulo *Bonum*. Quod eſt unum compoſitum ex multis partibus, ad ſui majorem perfectionem poſtulat partes alias magis, alias minus perfectas, ſic Univerſitas rerum eſſet minus perfecta, ſi conſtaret ex ſolis ſpiritibus, vel ex ſolis corporibus, vel ex ſpiritibus ejuſdem ſpeciei, & corporibus unius pariter ſpeciei: ſed Mundus eſt unum compoſitum: ergo poſtulat ad ſui perfectionem homines alios cum virtutibus, alios cum vitiis moralibus.

Reſp. diſt. maj. Quod eſt unum compoſitum poſtulat ad ſui perfectionem partes aliquas magis, & alias minus perfectas phyſice, *conc. maj:* poſtulat partes imperfectas moraliter, ſive cum peccatis, *nego maj.* & conceſſa minori, *nego conſequentiam*.

194. IX. Obiicit Vattel in ſua ſyſtematis Leibnitiani defenſione. Malum morale, quod eſt in hoc Mundo non impedit eum eſſe talem, quo melior a Deo creari non poſſit, ſi ſit malum eſſentiale omni creaturæ: ſed ita eſt; Nam malum morale eſt vel limitatio perfectionis, vel neceſſaria conſequentia hujus limitationis: ſed limitatio perfectionis eſt eſſentialis cuilibet creaturæ: ergo malum morale eſt eſſentiale omni creaturæ.

Reſp. tranſeat major, cæteroquin falſa, niſi forte ponatur alia ulterior hypotheſis, quod eſſentialis ſit omnibus creaturis ſimul ſumptis tanta determinata mali moralis quantitas, quanta reipſa habetur: ſemel enim quod hæc etiam abſurditas non dicatur, jam Mundus qui haberet minus mali moralis, eſſet melior iſto. Sed *nego minorem*. Ad hujus probationem *nego maj.* Limitatio in perfectione eſt malum metaphyſicum, non eſt malum morale, quod definitur tranſgreſſio libera Legis Divinæ. Malum quidem metaphyſicum eſt eſſentiale omni creaturæ, at malum morale non ita, tum quia iſtud non cadit niſi in creaturas abſolute liberas, tum quia defineret eſſe malum morale etiam in iſtis, ſi forte illis eſſet eſsentiale, adeoque neceſsarium.

SECTIO

SECTIO XI.

Argumenta contra Malebranchium.

195. Contra Malebranchium in particulari I. ſic arguo. Ideo Mundus hic eſt omnium poſſibilium optimus, quia bonitas operum artefactorum colligitur ex ſimpliciori ratione, quam Artifex ſequutus eſt in ejus exequutione. Major hæc continet rationem a Malebranchio allatam (§. 161.), quam credit ſe ſuadere exemplo cujuſdam Pictoris, de quo fertur circulum ſine ullo circino, ſed ſolo pennicillo duxiſſe ſupra tabulam, exiſtimans id ſibi magis fore honori, quam ſi circino uſus eſset ad illius deſcriptionem: Atqui hæc ratio falſa eſt; tum quia, ut advertit Jacobus Riccati (1), ſupponit poſse quicquam decerni circa ſimplicitatem methodi non habita ratione ad opus, quod intenditur, quaſi vero denominatio iſtius ſimplicitatis non imbibat neceſsario relationem ad finem operis, & ſit exempli gratia modus minus ſimplex uti duabus trabibus ad ſuſtentandum aliquod pondus, quia una ſufficit ad aliud ſubduplum ſuſtinendum: tum quia etiam data hac præpoſtera notione de modo ſimpliciori faciendi aliquid, quodcunque ſit, nemo eſt, qui ex illa notione ſimplicitatis judicet de bonitate operis. Ita etſi viis maxime ſimplicibus conſtructæ ſint domus ruſticæ, & viis contra maxime compoſitis regiæ, nemo tamen ſanus pluris habet, aut perfectiores reputat domus ruſticas regiis. Ita ſimiliter rudia quævis artificia facta quidem eſſe poſſunt methodo maxime ſimplici, ſed ſi adſint, quæ affabre elaborata ſint per quamcunque & quovis modo compoſitam methodum, hæc ſola quæruntur, & laudantur, illa autem negliguntur, & contemnuntur. Inſiſtendo autem exemplo Malebranchii illud jure explodit Arnaldus (2) tamquam falſum, obſervans in ratione circuli unumquemque præferre illum, qui ductus ſit ope circini, in quo non ſubeſt periculum erroris ei, qui ſine hoc factus ſit, ob contrariam rationem, & multo magis ſi ipſum inſtrumentum, quo perfectus eſt, ſit ejuſdem artificis inventio.

196.

(1) Ricc. Opere tom. 2, lib. 1, cap. 12. §. 5. pag. 136.

(2) Arn. Reflex. ſur le ſyſtem. de la Nat. & de la Grac. lib. 1. cha. 1. n. 7. p. 25.

196. II. Sic. Ideo juxta ipſum Deus nequit facere Mundum perfectiorem iſto, qui nunc habetur, quia leges quibus hic creatus eſt & conſervatur, ſunt omnium ſimpliciſſimæ: ſed hoc ſine abſurditate dici non poteſt. Probatur. Sine abſurditate dici non poteſt, Deum creaſſe Mundum propter quaſdam leges a ſe ſtabilitas in priori ad determinationem creationis talis Mundi, & non potius ſtatuiſſe has leges poſita jam determinatione creandi talem Mundum; Nam hoc eſſet amplecti finem propter media, non vero media propter finem, quod invertit notiones finis & medii: Sed hanc inverſionem importat prædicta Malebranchii doctrina: ergo. Aliter eadem ratio ſic proponitur. Determinatio operis, & finis ipſius operis ſunt in priori natura ad determinationem legum, ſeu methodi, quam artifex adhibeat in ejus effectione: Sed ſi Deus feciſſet hunc potius Mundum, quam alium, quia leges, quibus hic creatus eſt & conſervatur, ſunt omnium poſſibilium ſimpliciſſimæ, non eſſent in priori natura determinatio operis & finis ejuſdem, determinatione ipſarum legum: ergo Deus non creavit hunc potius Mundum quam alium, ut ait Malebranchius, quia leges, quibus creatus eſt, ſunt omnium ſimpliciſſimæ.

197. III. Ideo juxta ipſum Mundus hic eſt omnium poſſibilium optimus, quia creatus eſt viis omnium ſimpliciſſimis: ſed falſum eſt Mundum hunc creatum eſſe viis omnium ſimpliciſſimis in ſenſu Malebranchii: ergo. Probatur minor. Viæ iſtæ ſimpliciſſimæ ſunt in ejus ſenſu, ut ipſe docet locis allatis ab Arnaldo (1), hæ duæ leges, altera quod motus corporis tendat in lineam rectam: altera, quod in colliſione corporum communicetur motus pro maſſa corporum ſe collidentium: ſed Mundus non eſt creatus hoc modo. Nam in Geneſi habetur, creata eſſe ſingulis diebus ſex diverſa creaturarum genera, in quibus ſunt plantæ & animalia, quæ plures menſes, & annos juxta leges illas poſtulant ad ſui incrementum, & perfectionem: & rurſus ipſe idem apud eumdem Arnaldum fatetur leges illas nullo modo, & nullo unquam tempore poſſe eſſe ſufficientes ad productionem plantarum & animalium, quæ dicit dependere ab aliis legibus nobis ignotis: ergo Mundus hic non eſt creatus viis omnium ſimpliciſſimis in ſenſu Malebranchii. 198.

(1) Arn. Refl. ſur le ſyſt. de la Nat. lib. 1. cha. 4. pag. 104.

198. IV. Mundus juxta Malebranchium eſt omnium poſſibilium optimus, non quidem prout eſt in ſe, ſed relate ad ſimplicitatem legum omnium poſſibilium maximam, quibus creatio rerum inſtitui poterat: ſed temere dicitur ab homine, leges, quibus creatio hujus Mundi inſtituta eſt, eſſe omnium ſimpliciſſimas, quibus creatio rerum in genere inſtitui poteſt. Quæ enim eſt mens hominis, quæ comprehendat leges, quæ habuerunt locum in creatione hujus Mundi, una cum iis, quibus alii in infinitum Mundi hoc meliores creari poſſent, ut ex illarum comparatione pronunciet, in qua parte ſit major & maxima ſimplicitas? ergo temere dicitur Mundum hunc eſſe optimum relate ſolum ad ſimplicitatem legum creandi omnium poſſibilium maximam.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO IV.

Mundus potuit eſſe ab æterno ex extrinſeca ſibi neceſſitate.

SECTIO I.

De ſenſu propoſitionis, & de iis qui pro illa & contra illam ſunt.

199. MUndus ab æterno ex extrinſeca ſibi neceſſitate idem eſt, ac Mundus ita ab æterno a Deo creatus, ut potuerit illum non creare: in quo caſu Mundus haberet novitatem ut ajunt eſſendi, non quidem realem ſed aptitudinalem, quatenus ſcilicet poſſet reipſa habere realem. Mundus prædicto modo ab æterno contraponitur Mundo ab æterno ex intrinſeca ſibi neceſſitate: hic idem eſt ac Mundus, qui ab æterno vel a ſe ſit, vel ita ſit a Deo, ut non potuerit illum non creare: quorum primum, *inſania eſt*, inquit S. Auguſtinus (1); Nam eſſe ens a ſe eſt attributum Divinitatis: ſecundum ſimiliter repugnat, quia tollit a Deo libertatem.

Hæc explicatio propter notam creationis, quam involvit, non poteſt dici completa, niſi creationis ipſius ſignificatio prius fuerit determinata. Sumitur igitur creatio pro effectione alicujus ſubſtantiæ ex nulla præexiſtente materia. S. Thomas eam definit (2) *emanationem totius eſſe a cauſa*, quæ notio coincidit in datam; Totum enim dicitur id, in quo ſunt partes, quæ aliquo modo in quavis ſubſtantia creata reperiuntur: Communiter a Scholaſticis definitur, effectio entis per ſe ſubſiſtentis ex nihilo. Ita Polmanus (3). Sed hæc definitio accuſatur obſcuritatis. Imprimis enim non ita breviter diſputatum eſt de ſenſu hujus loquutionis *ex nihilo*, etiam a noſtrorum temporum auctoribus, ut Jacobo Riccato (4), quod jam olim fecit S. Anſelmus; qui obſervavit

D d ali-

(1) S. Aug. de Civit. lib. 11. cap. 4.

(2) S. Tho. 1. p. qu. 45. ar. 1. o. pag. 157.

(3) Polm. Brev. Theol. par. 1. num. 485. pag. 100.

(4) Ric. Opere tomo 2. lib. 1. cap. 2. §. 3. pag. 47.

aliquid factum ex nihilo ſignificare poſſe, primo idem ac non factum, (1) *cui ſimile eſt*, inquit, *cum quærenti de tacente, unde loquatur, reſpondetur de nihilo, ideſt non loquitur*. Secundo ſignificare poſſe idem ac factum ex nihilo, tamquam materia, *quaſi ipſum nihil ſit aliud exiſtens, ex quo poſſit aliquid fieri*. Otioſam non eſſe hanc animadverſionem ſuadent tum illi, qui ab eo, quod ſcriptum eſt (2) *ſine ipſo factum eſt nihil*, argumentati ſunt referente Auguſtino (3), ut alibi (4) dixi, ipſum nihil eſſe aliquid: tum Chymici, qui appellarunt *nihil album* id, quod ſublimando Zincum adhæret parti altæ camini, ut explicat Jo. M. de Turre (5). Tertio ſignificare poſſe idem, ac non ex aliquo, qui eſt ſenſus verus, & huic definitioni proprius, & hoc modo (6) *importat*, inquit S. Thomas, *habitudinem cauſæ materialis, quæ negatur, dum dicitur fieri ex nihilo*. Quarto poſſe ſignificare factum ſine ulla idea ipſius rei prævia in mente facientis. Quod dici nequit de rebus a Deo creatis; Nam ut idem S. Anſelmus ait, (7) *cum ea quæ facta ſunt, clarum ſit nihil fuiſſe, antequam fierent, quantum ad hoc, quia non erant, quod nunc ſunt; nec erat ex quo fierent: non tamen nihil erant quantum ad rationem facientis, per quam & ſecundum quam fierent*. Quinto poſſe ſignificare merum ordinem, *ſicut cum dicitur*, inquit citato loco S. Thomas, *ex mane fit meridies, ideſt poſt mane fit meridies*, qui pariter eſt ſenſus cadens in datam definitionem.

Sexto per Peripateticos *ex nihilo* ſignificat negationem non ſolum cujuſvis cauſſæ materialis in re facta, ſed etiam cujuſvis dependentiæ a ſubjecto. Quod ut intelligatur, quid ſibi velit, noſſe oportet triplex entium realium genus diſtingui a Peripateticis. Primum dicunt eſſe illud, quod propriam ſibi entitatem habet, & non indiget, ut exiſtat ſubjecto ullo, cui inhæreat, atque hoc vocant ens per ſe ſubſiſtens, & aliter ſubſtantiam completam. Alterum dicunt eſſe, quod propriam quidem entitatem habet, ſed ſecluſis miraculis indiget ut exiſtat ſubjecto, cui inhæreat, atque hoc appellant formam, quam dividunt in ſubſtantialem, & acciden-

(1) S. Anſ. Monolog. cap. 7. pag. 2.
(2) Joa. Evang. cap. 1.
(3) S. Aug. de Nat. boni. cap. 25.
(4) Diſ. de Malo. num. 145. pag. 292.
(5) Tur. Ele. Phyſ. tom. 4. §. 1154. pag. 474.
(6) S. Tho. 1. pa. qu. 45. ar. 1. ad 3. pag. 157.
(7) S. Anſ. Monol. cap. 8. pag. 3.

dentalem: & ſubſtantialem quidem dicunt eſſe ſubſtantiam incompletam, accidentalem vero aliter appellant accidens abſolutum. Tertium tandem dicunt eſſe illud, quod quidem eſt aliquid, ſed non habet entitatem ullam diſtinctam realiter a ſubjecto cui ita neceſſario inhæret, ut ſine illo nihil omnino ſit: atque hoc dicitur modus. His poſitis volunt Peripatetici creationem ſignificare effectionem ex nihilo completæ dumtaxat ſubſtantiæ, utpote quæ ſola non dependet a ſubjecto, ſive ſit ut ajunt ex nihilo ſui & ſubjecti: Effectionem autem cæterorum entium, quæ propriam etiam entitatem, & quidem factam ex nulla præexiſtente materia habeant, quia tamen ea non eſt ex nihilo ſubjecti, ſive dependet a ſubjecto ſaltem ſecluſis miraculis, nolunt dici creationem, ſed jubent appellari productionem vel eductionem. Hæc eſt Peripateticorum philoſophia vulgo jam rejecta, ſiquidem nullum admitti poteſt entium genus medium inter ſubſtantiam completam & modum.

Non ſolum propter has cauſas opportunum fuit ſtabilire definitionem creationis, quam hic ſequimur, ſed præcipue quia hoc nomen habuit aliam acceptionem apud Latinos, & apud veteres Philoſophos ſaltem pleroſque, quibus creatio & creare idem erant, ac componere, ſeu formare ex præſuppoſita materia, quam chaos appellabant. Quare etſi multi illorum etiam frequenter dixerint Mundum hunc creatum fuiſſe a Deo, nihilominus hinc concludi nequit agnitam ab iis fuiſſe creationem, prout definita eſt. Duplex hæc ſignificatio in ipſis Sacris Litteris obſervari poteſt. Ita cum dicitur, (1) *qui omnia creavit, Deus eſt*, ibi creare ſumi poteſt cohærenter ad poſitam definitionem creationis: In illo autem ejuſdem Apoſtoli, ubi damnat, qui jubeant (2) *abſtinere a cibis, quos Deus creavit*, addens, *quia omnis creatura Dei bona eſt*, creare ac creatura appellant ad creationem ſumptam pro formatione ex materia jam antea creata. Alia exempla ex S. Hieronymo dabit Suarez (3).

200. Propoſitio eſt cum S. Thoma (4), adeoque cum pleriſque Theologis. Ocham, cum eamdem teneat uno in loco (5), alibi eam probabiliorem dumtaxat putat (6) oppoſita, non tamen

(1) ad Hebr. 3. 4.
(2) Id. ad Timot. cap. 4. v. 2.
(3) Sua. de Opere ſex dier. lib. 1. cap. 1. num. 1. pag. 3.
(4) S Tho. 1. par. qu. 46. art. 1.
(5) Och. in 2. diſt. 1.
(6) Id. Quodli. 2. qu. 5.

Digitized by Google

demonſtrabilem. Inter Philoſophos, qui nobiſcum ſunt, videri poteſt Suarez (1) &, Benedictus Pererius (2).

Eidem opponitur primo Scotus, cui problema viſa eſt (3) hæc quæſtio. Secundo cum quadam limitatione opponuntur ii, qui diſtinguentes creaturas incorruptibiles, & corruptibiles, primas ſtatuunt poſſe eſſe ab æterno, quia illis non repugnat duratio infinita, ſecus vero ſecundas propter contrariam rationem. Diſtinctio hæc eſt opportuna, ſi ſignificet fieri non poſſe, ut creatura ab æterno ſit patiens corruptionem; Nam aliquid pati corruptionem, importat illud deſinere eſſe id, quod erat. In quo ſenſu hæc propoſitio, creatura corruptibilis exiſtit ab æterno involvit in ſuis terminis contradictionem. Importuna autem eſſet hæc diſtinctio, ſi loqueretur de corruptibili creatura, quatenus eſſe ab æterno non poſſit creatura, quæ ſubjacet corruptioni, etſi ipſius corruptio acciderit illi, poſtquam manſiſſet incorruptibilis per æternitatem.

Tertio ſine ulla limitatione opponi dicuntur inter Theologos Albertus Magnus (4), Riccardus de Media Villa (5), Marſilius ab Inguen (6), Henricus a Gandavo (7). Mihi quidem conſtat opponi S. Bonaventuram (8), & Guillelmum Eſtium, cui ſua ſententia viſa eſt habere rationes, quæ ipſam (9) *non modo probare, verum etiam demonſtrare videntur*. Atque nequis ſibi objiceret S. Thomam, eidem tribuit diverſis in libris diverſa in hac re docuiſſe, favere autem ſibi in prima parte Summæ ad articulum primum quæſtionis 46, ubi (10) *abſolute dicit nihil poſſe præter Deum ab æterno fuiſſe*. Sed hoc non eſt verum; Ibi enim, ut contextus planum facit, & Cajetanus advertit in ejuſdem Commentario, *dicit duo, aſſerit primo nihil aliud a Deo fuiſſe ſemper. Et quoniam hoc ex fide tenetur, addit ſecundum, ſcilicet quod hoc aſſertum eſt poſſibile*, contra Philoſophos, qui id negarunt. Quod rurſus

(1) Sua. Metaph. diſp. 20. ſec. 6. num. 5. pag. 450.
Id. de Oper. ſex dier. lib. 1. cap. 2. num. 21. pag. 13.

(2) Pere. de Commu. Princ. lib. 15. cap. 12. pag. 543.

(3) Sco. in 2. diſt. 1. qu. 3.

(4) Alb. in 2. diſt. 1. ar. 7. & 10.
Id. 8. Phyſ. cap. 1.

(5) Rich. in 2. diſt. 1. ar. 3. qu. 4.

(6) Marſ. in 2. diſt. 1. qu. 1. art. 2.

(7) Henr. Quodli. 1. qu. 7.
Id. Quodl. 9. qu. 17.

(8) S. Bon. in 2. diſt. 3. q. 1. pag. 7.

(9) Eſt. in 2. diſt. 1. §. 11. His igitur pag. 11.

(10) Id. Ibid. Ceterum pag. 10.

ſus addit S. Doctorem alio in loco, quem non bene citat *ex poſſibilitate non eſſendi concludere negationem æternitatis*, non eſt ad rem; Nam ea concluſio profecto erit de ſola negatione æternitatis ab intrinſeco. Inter Philoſophos vero ſunt Philoponus (1), Eugubinus (2), & Toletus (3), qui multis oppoſitum conatur ſuadere, quorum rationes videri poſſunt compendioſe propoſitæ a Pererio (4).

His recentius acceſſit Malebranchius (5), & iterum iterumque Ludovicus Barbieri (6), cujus eſt hæc concluſio. *Un Eternità ſucceſſiva attuale è bensì un ſuono di parole, ma una contradittoria enunciazione, un ripugnante concetto, che diſtrugge ſe ſteſſo: mentre riflettendovi ſi vede toſto con la maſſima fra l' evidenze, che non può eſiſtere in queſto momento preſente ciò, che non ha mai cominciato ad eſiſtere in veruno de momenti, che ſi concepiſcono paſſati*. At non ſolum non eſt maxime evidens non poſſe exiſtere nunc, quod non incœpit eſſe aliquo inſtanti, quod a nobis concipitur, jam præterito, ſed hoc ipſum eſt, quod hæc propoſitio negat. Idem ulterius etiam procedit (7), & contendit ne potuiſſe quidem Mundum creari ante illud tempus, quo creatus eſt. Quod credit ſe evincere ex eo, quod ante tempus, quo Mundus creatus eſt, non eſſet tempus, quoniam tempus ſimul cum rebus creatis incipiat. Sed nullum eſt hoc argumentum, quia etſi ante Mundum conditum non eſſet tempus, quod dicitur reale, quoniam hujus notio poſtulat exiſtentiam rei alicujus creatæ, cum definiatur duratio determinata alicujus motus realiter uniformis, aſſumpta ex arbitrio pro menſura aliarum durationum: at non deeſſet tempus quod dicitur imaginarium, vel ſi placet tempus reale poſſibile, in quo quis neget Omnipotenti Deo, quod potuerit creare hunc Mundum, vel alios quoſcunque voluerit?

SE-

(1) Phi. In Procl. pro Aeter. Mundi cap. 3.
(2) Eug. Coſmop. pag. 10.
(3) Tol. 8. Phyſ. cap 2. qu. 2.
(4) Per. de Com. Princ. lib. 15. cap. 4. ad 2. pag. 502.
(5) Mal. Entr. 9. ſur la Metaph. pag. 357.
Id. de la Nat. & Grac. diſc. 1. num. 4. pag. 13.
(6) Bar. Sagg. di Metaf. par. 1. ar. 20. pag. 136.
Id. Ibid. art. 10. pag. 55.
(7) Id. Ibid. ar. 20. pag. 144.

SECTIO II.

Argumenta pro propoſitione.

201. PRimo. Argumento utor negativo, quod nimirum nulla adhuc propoſita ſit contradictio in hoc, quod eſt Mundum, aut creaturam aliquam poſſe eſſe ab æterno ex extrinſeca ſibi neceſſitate.

II. Sic arguitur cum Valentia (1). Mundum ab æterno libere creari a Deo, non repugnat neque ex parte Dei, quia Dei potentia eſt infinita, neque ex parte Mundi ab æterno creati, quia de hujus ratione eſt, ut non ſit a ſe, nec ex aliqua præexiſtente materia, & non inſit illi intrinſeca neceſſitas exiſtendi, quæ omnia, etiamſi ab æterno Mundus hic creatus eſſet, in eo reperirentur; Nam & effective eſſet a Deo, & eſſet ex nihilo, & eſſet ex libera Divinæ Voluntatis determinatione: ergo.

III. Apoſtolus dicens, (2) *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei, ut ex inviſibilibus viſibilia fierent*, non obſcure docet præſcindendo a Fide, nihil eſſe, quod oſtendat impoſſibile ut Mundus ante ipſa ſæcula ſeu ab æterno, ex non exiſtente ſeu inviſibili, fieret exiſtens ſeu viſibilis; Nam intelligere, dum de nobis dicitur, non ſignificat nos cognoſcere utcunque, ſed cognoſcere cum ratione, quam quis meditando & quærendo invenerit. Quare aliquid Fide intelligere ſignificabit illud cognoſcere propter hanc unice inventam meditando rationem, nimirum revelationem Dei. Confirmatur I. hoc argumentum cum Eſtio (3), ab exemplo ſummorum Philoſophorum, qui ad hujus rei cognitionem non pervenerunt. II. ab authoritate S. Thomæ, qui ex profeſſo propugnat (4) *quod Mundum non ſemper fuiſſe ſola fide tenetur, & demonſtrative probari non poteſt.*

202. Contra opinionem (§. 200.) quæ admittit ſolas creaturas incorruptibiles poſſe eſſe ab æterno, arguitur etiam ex eo, quod illa nitatur in diſtinctione inter creaturas corruptibiles & incorruptibiles, quæ ſupponit, dari creaturas etiam inanimes præditas

(1) Valen. De Deo. cap. 3. qu. 3. pu. 2. pag. 584.
(2) ad Hebr. cap. 11. v. 4.
(3) Eſt. In 2. Sent. Diſ. 1. §. 8. pag. 7.
(4) S. Tho. 1. p. qu. 36. art. 2. O.

ditas vi activa, & inter iſtas aliquas concretas ex diverſis ſubſtantiis, ut ex elemento aquæ & elemento ignis, quæ invicem inter ſe pugnent, ſuamque vim activam exerceant, & reddant ſe corruptibiles: & contra Cælos & Cæleſtia corpora eſſe creaturas incorruptibiles, quia non concretas ex diverſis iſtis inter ſe pugnantibus entitatibus. Atqui hæc ſuppoſitio eſt falſa; Nam iners eſt quicquid mere corporeum eſt, & conſtat jam de eorum corporum corruptibilitate, quæ ante inventa teleſcopia latebat Philoſophos. Quare nulla jam ſunt argumenta, quæ pro eorum incorruptibilitate magni habebantur, & videri poſſunt apud Suarez (1), & tota corruit horum doctrina. Rurſus permiſſa etiam ea diſtinctione cum incluſa ſuppoſitione creaturarum corruptibilium propter earum concretionem ex aqua & igni, ſeu ex partibus inter ſe pugnantibus, & in mutuam deſtructionem conſpirantibus, adhuc non repugnat has etiam exiſtere ab æterno, niſi in hypotheſi, quod Deus ſtatim a creatione præſtet ſuum concurſum ad earum mutuam inter ſe actionem: ergo Deo negante illis per æternitatem a parte ante hunc concurſum, ceſſat etiam omnis circa ipſarum exiſtentiam ab æterno, repugnantia.

SECTIO III.

Objectiones ex parte Dei creantis.

203. PRimo Objicitur Mundus creatus ab æterno, non permittit locum explicandi libertatem Dei creantis.

Reſp. nego aſſumptum. Libertas Creatoris non minus clare intelligitur, & explicatur in hypotheſi creaturæ alicujus exiſtentis ab æterno, ac explicetur illis exiſtentibus in tempore. Nam etiam in creatione rerum facta in tempore per liberam determinationem Divinæ voluntatis, hæc determinatio debet affirmari æterna, cum nihil Deo intrinſecum ſuperveniat ipſi in tempore, nec ea ſit, ſicut determinatio hominum prærequirens conſultationem, quæ propter diſcurſum rationis ei adjunctum fit ſucceſſive, & accidit ipſi de novo. Quemadmodum igitur cum tota æternitate actus Voluntatis Divinæ, ſalvatur ipſius libertas, quia prius

(1) Sua. de Oper. ſex dier. lib.1. cap.3. num. 6. pag.16.

Digitized by Google

prius ratione, quam illa voluntas intelligatur determinata in ſua æternitate, intelligitur indifferens ad illam creaturam volendam, ita etiamſi ab æterno Deus Mundum creaſſet, intelligeretur indifferens prius ſecundum rationem ad illum creandum vel non creandum.

II, Objicitur. Si Deus creaſſet Mundum ab æterno, non potuiſset illum deſtruere ab æterno: ſed repugnat Deum non poſſe res creatas deſtruere; quando vult: ergo.

Reſp. conc. maj. & diſt. min. Repugnat Deum non poſse res creatas deſtruere, quando vult, ſi ſermo ſit de illis quas creavit in tempore, *conc. min.* Si ſermo ſit de illis, quas ex hypotheſi creaſset ab æterno, *nego min. & conſequ.* Sicuti fieri nequit, ut Deus velit ſimul & nolit exiſtere aliquid, ita fieri nequit, ut deſtruat ab æterno id, quod vult exiſtere ab æterno, & ratio ulterior utriuſque impoſſibilitatis eſt, quia nihil poteſt ſimul eſse & non eſse. Quare ſiquid ab æterno creaverit, neceſsarium utique eſt, ut repugnet illud idem poſſe ab æterno deſtrui.

204. III. Objicitur. In hypotheſi, quod Deus pŏtuerit Mundum creare ab æterno, non eſt intelligibile, quare illum ab æterno non creaverit, & deficit argumentum Philoſophicum contra illos, qui æternitatem Mundi admittunt: ergo.

Reſp. nego antec. Nam quod pertinet ad ejus primam partem, cum intelligatur ſolo etiam lumine naturæ, Deum eſse abſolute per ſe beatum, & ſibi ſufficientiſſimum, intelligitur pariter omnia creata eſse ad demonſtrandam Dei Gloriam juxta etiam illud Scripturæ, *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Cum autem Gloria Dei conſiſtat in manifeſtatione ipſius perfectionum, inter quas eſt libertas voluntatis, & perfecta ejuſdem independentia a rebus creatis, quæ negari non poteſt, hæc clarius ſe prodit in creatione Mundi in tempore, quam ab æterno, ut ſæpe obſervant Pererius (1) & Suarez (2). Hinc aliquatenus intelligitur, quare in tempore omnia creaverit, etſi quid potuerit creare ab æterno. Quod vero pertinet ad ſecundam partem, etſi deficiat hoc determinate philoſophicum argumentum contra æter-

(1) Perer. de Comm. Princtp. lib. 15. cap. 3. ad 12. pag. 501. & cap. 4. pag. 503.

(2) Suar. De oper. ſex die. lib. 2. cap. 2. num. 22. pag. 13.

æternitatem Mundi : ſcilicet Mundus nequit eſse ab æterno ; ergo non eſt : ſuppetunt alia , quæ inferius afferam , præter illud , quod inſtitui poteſt ex pervulgato principio, a potentia ad actum nulla eſt illatio .

IV. Objicitur a Malebranchio . Deus nequit quicquam facere , quod opponatur ſuis eſſentialibus attributis : Sed Mundus ab æterno opponitur illi attributo eſsentiali Deo , quod omnia extra ipſum habeant ab illo dependentiam ; Nam (1) *Character, ſic ille , eſſentialis dependentiæ eſt non fuiſſe* : & alibi (2) *Æternitas eſt character independentiæ* : ergo .

Reſp. conc. maj. & nego min. cum adjuncta probatione , Nam dependentia poſtulat non eſſe a ſe , ſed ab alio , & quidem ſine ulla ipſius neceſſitate , quæ tota habetur etiam in Mundo , qui creatus eſſet ab æterno . Mirifice auctorem hunc in hac re cæcutiſſe declarat hoc ipſius ratiocinium in citato ſermone de Natura & Gratia : *Etſi* , inquit , *æternitas non includat independentiam , tamen independentia includit æternitatem : ergo exiſtentia æterna eſt modus exiſtendi entis independentis : ergo Deus dare non debet creaturis exiſtentiam æternam* . In quo contradictio eſt manifeſta non ſolum , quia immediate ante dixerat , Æternitatem eſſe characterem independentiæ , quæ propoſitio non componitur cum hac alia , Æternitas non includit independentiam , ſed etiam quia infert conſequentiam contradictorie oppoſitam illi, quæ legitime ex ſuo illo antecedenti deſcendebat . Ex hoc enim antecedenti, Æternitas non includit independentiam , deſcendit hæc conſequentia , ergo exiſtentia æterna non evincitur eſſe modus exiſtendi entis independentis . Et ne ex illa quidem alia parte ſui antecedentis , independentia includit æternitatem , ſequitur illa ſua conſequentia : ergo exiſtentia æterna eſt modus exiſtendi entis independentis ; ſed hæc, ergo exiſtentia entis independentis eſt exiſtentia æterna .

205. V. Objicitur ab eodem (3) : Neceſſe eſt Deum operari juxta regulas ſapientiæ : ſed contra regulas ſapientiæ fuiſſet creare Mundum ab æterno ; Nam creaturæ haberent tunc occaſionem exiſtimandi ſe independentes a Deo , aut pares Divinis Perſonis,

(1) Mal. Entr. 9. ſur la Metaph.
(2) Id. de la Nat. & Grac. diſc. 1. num. 4. pag. 13.
(3) Id. Ibidem diſc. 2. num. 52. pagin. 165.

aut ſaltem crederent ſe aliquid conferre ad Divinam Beatitatem: ergo neceſſe eſt Deum creaſſe Mundum in tempore.

Reſp. conc. maj. & nego min. & hujus probationes. Nam ſicuti nunc, & pro quovis futuro tempore, quod immenſo intervallo a præſenti diſtet, quævis creatura rationalis, per illam, qua prædita eſt, rationem evidenter intelligit Deum eſſe ens perfectiſſimum, adeoque ſibi ſufficientiſſimum, & ſe ſolo beatiſſimum, & eodem modo non dubitat, aut dubitare unquam poterit de ſua imperfectione, de qua conſcia ſibi ſemper erit intima experientia, nec proinde de illa, quæ hinc plane ſequitur dependentia ſua ab ente perfectiſſimo: ita, etiamſi illa ab æterno extitiſſet una cum hoc Mundo materiali, cui nulla competit cognitio, adeoque nulli ſubjacet errori, nullam habuiſſet unquam ex hac ſua exiſtentia occaſionem incidendi in tantam ſtultitiam, ut ſe parem Deo crederet, vel ſaltem aliquid ad ipſius felicitatem neceſſarium. Contra ipſum etiam valet argumentum deſumptum ex incohærentia hujus ſuæ opinionis cum propugnato ab ipſo Occaſionaliſmo, in quo excludit quicquam cogitari ab ulla creatura ex vi ſua, ſed recipi ſolum ab illa vult cogitationes a Deo in ipſa factas, qui certe non infunderet illi has, quæ objiciuntur, quandoquidem ſunt tam ſtultæ, & blaſphemæ.

206. VI. Objicitur. SS. Athanaſius (1), Nazianzenus (2), Baſilius (3), Cyrillus Alexandrinus (4), Damaſcenus (5), & alii probant generationem Verbi Divini non eſſe creationem, quia ab æterno eſt: ergo ſupponunt impoſſibilem eſſe creationem ab æterno.

Reſp. diſt. antec. Probant SS. Patres Generationem Verbi non eſſe creationem, quia ab æterno eſt ex intrinſeca neceſſitate, *conc. antec.* quia præciſe ab æterno eſt, *nego antecedens*, & ſimiliter diſtinguo conſequens. Admitto igitur impoſſibilem eſſe creationem Mundi ab æterno, quæ fit ex intrinſeca neceſſitate ipſius, non ſolum propterea quod hæc non componitur cum divina libertate ex dictis (§. 199.), ſed etiam quia aliquid eſſe ex intrinſeca neceſſitate idem eſt, ac ita eſſe, ut non poſſit non eſſe, adeoque idem

(1) Ath. Orat. 2. contra Arian.

(2) Naz. Orat. 32. in Scholio Nicet. num. 58.

(3) Baſ. lib. 3. contra Eunom. §. Quod Filius Dei non ſit creatura.

(4) Cyril. Dial. 4. de Trinit.

(5) Damaſ. lib. 1. de Fid. cap. 8.

idem eſt ac eſſe ens a ſe, quod contradicit notioni creaturæ, quæ eſt ens ab alio. Nego vero impoſſibilem eſſe creationem ab æterno ex extrinſeca ipſi creaturæ neceſſitate.

Reſponderi etiam ſecundo poteſt, *conc. antecedens*, *& nego conſequ.* Legitima enim conſequentia alia non eſt, quam hæc: ergo SS. Patres vel ſupponunt impoſſibilem eſse creationem ab æterno, vel ſupponunt tamquam ſibi datum ab Arianis, ſicuti reipſa dabant, nullam eſſe creaturam ab æterno. Siquidem in hoc antecedenti, Verbum Divinum non eſt creatura, quia eſt ab æterno, ſumi poteſt particula quia, vel ut denotans cauſam a priori, qua ratione ſequitur prima illius conſequentis pars: vel ſumi poteſt etiam ut denotans cauſam a poſteriori, atque hoc modo non ſequitur prima, ſed ſecunda illius conſequentis pars. Patres autem revera arguebant a poſteriori, tum ex ſuppoſitione Sacrarum literarum docentium nullam eſſe ab æterno creaturam, tum ex ſuppoſitione Arianorum, qui in notione creaturæ ponebant eſſe in tempore.

207. VII. Objicitur. SS. Ambroſius (1), Auguſtinus (2), Damaſcenus (3) dicunt repugnare creaturam ullam eſſe coæternam Deo: ſed ſi Mundus eſſet ab æterno, Deo eſſet coæternus: ergo juxta ſaltem illos repugnat Mundum eſſe ab æterno.

Reſp. conc. maj. & nego min. Nam cum æternum dicatur non ſolum quod caret initio, ſed etiam quod mutabilitate caret, ſiqua creatura careret initio, quia ab æterno eſſet, non proinde careret immutabilitate, adeoque ab æterno quidem poterit eſſe, ſed æterna, & Deo coæterna minime. Atque hoc modo jure negavit S. Auguſtinus Angelos, qui eſſent ab æterno creati, adhuc dicendos eſſe coæternos Deo: (4) *Ille enim*, inquit, *ſemper fuit in æternitate immutabili, iſti autem facti ſunt*.

(1) S. Ambr. Examer. lib. 1.
(2) S. Aug. lib. contra Felicianum.
(3) S. Damaſ. lib. 1. de Fide cap. 8.
(4) S. Aug. de Civit. lib. 12. cap. 15.

SECTIO IV.

Objectiones ex parte Mundi creati ab æterno.

208. PRimo. Objicitur. Mundum eſſe creatum, eſt Mundum eſſe factum ex nihilo: ergo negatio Mundi extitit ab æterno: ſed non poteſt ſimul exiſtere res, & ejus negatio: ergo Mundus non poteſt exiſtere ab æterno.

Reſp. diſt. antecedens. Mundus factus eſt ex nihilo, hoc eſt non factus ex aliqua præexiſtente materia, *conc. antecedens*, hoc eſt factus poſt nihilum, *nego antecedens & conſequ.*

II. Objicitur. Cauſa debet præexiſtere ſuo effectui: ſed ſi Deus potuiſſet creare Mundum ab æterno, Deus non præexiſteret Mundo: ergo.

Reſp. cum S. Thoma (1), *diſt. maj.* Cauſa quæ producit effectum per motum, debet illi præexiſtere, *conc. maj.*, *quia* inquit S. Doctor *effectus non eſt niſi in termino motus*. Cauſa quæ producit effectum in inſtanti, debet illi præexiſtere, *nego maj.* & conceſſa minori, *nego conſequ.*

III. Objicitur. Creatio in ſua notione importat novitatem eſſendi: ſed novitas eſſendi excludit eſſe ab æterno: ergo creatio excludit eſſe ab æterno.

Reſp. diſt. maj. Creatio importat novitatem eſſendi vel realem vel aptitudinalem (§. 199.) *conc. maj.* importat novitatem eſſendi realem, *ſubdiſtin.* ſi ſermo ſit de creatione, quæ ex Fide Divina nobis conſtat, quandoquidem ſic conſtat omnia creata eſſe in tempore, *conc.* iterum *maj.* ſi ſermo ſit de cratione poſſibili, de qua loquimur, *nego maj.* & aptando eamdem diſtinctionem minori, *nego conſequ.*

209. IV. Objicitur. Creatio ab æterno habet neceſſario adjunctam conſervationem ab æterno: ſed conſervatio ab æterno creaturæ cujuſvis eſt impoſſibilis: ergo etiam creatio. Probatur minor. Conſervatio non fit niſi ſucceſſive: ſed quicquam eſſe ſucceſſive ab æterno eſt impoſſibile: ergo conſervatio ab æterno creaturæ eſt impoſſibilis.

Reſp.

(1) S. Thom. 1. p. qu. 46. ar. 1. ad 1.

Reſp. conc. maj. & nego min. Ad hujus probationem, *diſtin. maj.* Conſervatio non fit niſi ſucceſſive, quatenus terminus actionis conſervativæ dicit talem durationem, quam nos neſcimus cogitare, niſi per coexiſtentiam cum aliqua ſucceſſione ſaltem imaginaria, *conc. maj.* quatenus interveniat aliqua realis ſucceſſio in ipſa actione conſervativa, *nego maj. Et diſtinguo min.* quicquam eſse ſucceſſive ab æterno eſt impoſſibile, hoc eſt aliquid, cujus tota eſsentia non exiſtit ſimul ſed ſucceſſive, impoſſibile eſt eſse ab æterno, *con. min.* hoc eſt aliquid cujus tota eſsentia, etſi ſimul extiterit, non concipitur habere ſuam durationem, niſi per coexiſtentiam cum infinita ſucceſſione imaginaria, non poteſt eſse ab æterno, *nego min. & conſequ.* Obſervandum igitur eſt, creationem & conſervationem non diſtingui realiter inter ſe: ſicuti igitur non repugnat aliquid creari ab æterno, ita ne repugnat quidem conſervari ab æterno. Quod illa duo realiter inter ſe non diſtinguantur, etſi fortaſse ipſæ horum nominum definitiones ſatis patefaciant, creatio enim eſt actio Dei, per quam aliquid exiſtit ex nihilo, conſervatio vero eſt actio Dei, per quam aliquid ſuum eſse, quod habet retinet, attamen ſic etiam cum S. Thoma, & aliis citatis a Suarez (1) declaratur. Siqua diſtinctio realis intercederet inter conſervationem & creationem, illa profecto non ſe teneret ex parte entitatis illarum: ſed ex parte terminationis earumdem, quandoquidem illarum entitas eſt realiter indiſtincta ab eſsentia Dei ſimpliciſſima: Atqui inter terminationem creationis & conſervationis circa eamdem rem creatam, nulla intercedere poteſt realis diſtinctio, quia res exiſtens in uno inſtanti non diſtinguitur realiter a ſe ipſa exiſtente quovis tempore ſequenti: ergo nulla inter creationem & conſervationem intercedit realis diſtinctio, ſed ea dumtaxat, quæ eſt per rationem noſtram concipiendi, & ſufficienter exprimitur ab illarum definitionibus.

210. V. Objicitur. Ex eo, quod durationem infinitam ſaltem a parte ante habere dicendus eſset Mundus, qui ab æterno creatus eſset, ſequitur dicendum, quod haberet etiam quamdam infinitatem: ſed ſoli Deo propria eſt infinitas: ergo.

Reſp. diſt. maj. Sequeretur Mundum habere infinitatem, quam

(1) Suar. Metaph. diſp. 21. ſec. 2. num. 2. pag. 496.

quamdam in exiſtendo, & quidem ab extrinſeco dumtaxat, non vero ab intrinſeco, *conc. majorem*, infinitatem perfectionis, *nego maj.*, & ſimiliter diſtincta minori *nego conſequ.* Infinitas igitur quæ ſequitur affirmanda de creatura, quæ ab æterno ſit, non eſt infinitas perfectionis, qualis utique eſt in Deo ſolo, ſed infinitas in eo ſita, quod illa creatura non habeat initium temporis in ſua exiſtentia, quæ infinitas relinquit creaturam cum ſua limitata, atque finita perfectione, per quam infinite diſtabit ab infinitate Dei. Quemadmodum nihil perfectionis phyſicæ atque realis addit creaturæ cuivis duratio, quam illa permille annos obtineat ſupra illam, quam habet per unicum diem.

211. VI. Objicitur. Duratio creaturæ eſt aliqua ipſius perfectio: ergo eſt per participationem a Deo; Nam omne ens creatum & omnis ejus perfectio eſt eſſentialiter per participationem a Deo: ergo duratio creaturæ non poteſt eſſe ab æterno. Probatur conſequentia, quia aliter duratio hujus creaturæ non eſſet participatio, ſed replicatio durationis divinæ, certe eſſet ei æqualis, quod dici nequit.

Reſp. conceſſo enthymemate, *nego conſequ.*, & ejus probationem, quam etſi Nicolaus Cabeus (1) tanti faciat, ut in ea præcipue fundetur, ubi negat poſſibilitatem ullius entis creati, quod ſit actualiter infinitum in ullo genere veri entis poſitivi, attamen ejus falſitatem fuſe jam olim oſtendit Boetius (2), innitens præcipue in conceptu æternitatis, quæ poſtulat, ut ens, quod illam habeat, poſſideat ſuum eſſe totum ſimul, quod proprium eſt ſolius Dei, non vero ſucceſſive, ſicuti accidit in creaturis, quæ dum nunc exiſtunt, craſtinum nondum habent, & heſternum jam amiſerunt. Ejuſdem falſitatem aliter Pererius (3) ſic oſtendit: *Quamvis ponatur creatura coæterna Deo, nihilominus Deus eſt ea ſuperior & præſtantior ſecundum durationem, & qui Deus eſt eſſentialiter ſua æternitas, & quia eſt æternus ex ſe, & quia eſt neceſſario æternus, & quia eſt in omnibus, & omnino æternus. Proprium igitur Dei ſecundum durationem eſt eſſentialiter, neceſſario, & ex ſe, in omnibus, & omni modo eſſe æternum, quorum nullus modus æternitatis in ullam plane creaturam convenire poteſt.*

PRO-

(1) Cab. in Meteorol. lib. 4. ad tex. 9. qu. 12. §. Dicendum. pag. 211.

(2) Boet. de Conſol. proſa 6.

(3) Per. de Princ. lib. 15. cap. 13 ad 6. pag. 546.

PROPOSITIO V.

Mundus non eſt ab æterno, neque quantum ad materiam, quatenus hæc ſit a ſe, neque quantum ad diſpoſitionem materiæ, neque quantum ad animas hominum.

De ſingulis propoſitionis partibus multa occurrunt, quæ in varias ſectiones diſtribuam.

SECTIO I.

De iis qui dixerunt Mundum eſſe ab æterno.

212. Dicam primo de illis, qui materiam Mundi crediderunt eſſe increatam, & coæternam Deo. (1) *Philoſophi fere omnes materiam aſſeruerunt ex ſe ac omnino neceſſario habere eſſe*, inquit Suarez, aliique citati ab Hooke (2). Et Tertullianus quidem (3), Irenæus (4), Juſtinus (5), Ambroſius (6), & Athanaſius (7) nominant Stoicos, Pythagoreos, & Platonem, de quo idem expreſſe dicit Plutarchus (8), & recentius conatus eſt ſuadere Jo. Chriſtophorus Wolfius (9), qui indignatur, quod contra veterum Authorum teſtimonia extiterint deinde, qui Platonem tenuiſſe æternitatem materiæ & Mundi vel negarint, vel in dubium revocarint, innixi aliorum minus antiquorum teſtimoniis. Sed hoc minus vere dicit, ſiquidem illi, qui multi profecto citantur a Pererio (10), a Coquæo (11), & recentius ab Anglis Hiſtoriæ Univerſalis Auctoribus (12) innituntur teſtimonio Ariſtotelis, qui totos viginti annos Platonem audivit, eumque conatus eſt oſtendere male æternitatem Mundi negaſſe, de quo

(1) Sua. Metaph. diſp. 20. ſec. 1. num. 17. pag. 471.
(2) Hoo. Princip. Religi. tom. 1. ſec. 2. ar. 2. pag. 255.
(3) Tert. contra Hermog. cap. 1. & 8. Id. cont. Val. cap. 15. & 16.
(4) Iren. lib. 2. cap. 15.
(5) Juſti. Orati. Paræn. ad Gent.
(6) Ambr. lib. 1. Hexaem. cap. 1.
(7) Athan. de Incarn. Verbi in initio.
(8) Plut. de Animæ procreati. Oper. tom. 2.
(9) Wol. Manichæiſm. num. 32. pag. 124.
(10) Per. de Comm. Princi. lib. 15. cap. 5. pag. 530.
(11) Coq. In notis ad lib. 12. de Civit. Dei cap. 12. pag. 387.
(12) Stor. Univ. Vol. 1. par. 2. Coſmogo. pag. 174.

quo videri poteſt citatus Pererius: tum teſtimonio Tullii, qui dicit, (1) *Poſſumuſne dubitare, quin hic præſit aliquis vel effector, ſi hæc nata ſunt, ut Platoni videtur: vel ſi ſemper fuerint, ut Ariſtoteli placet, moderator tanti operis*? tum teſtimonio S, Auguſtini in Philoſophia Platonica exculti, qui non ſemel Platoni eam fuiſſe dicit ſententiam, quod Mundus non fuerit ab æterno, (2) *De Mundo*, inquit, *& de his, quos in Mundo Deos a Deo factos ſcribit Plato, apertiſſime dicit eos eſſe cæpiſſe, & habere initium*: & alibi (3) *Mundum non ſemper fuiſſe, ſed eſſe cæpiſſe Plato apertiſſime conſitetur*: tum teſtimonio Marſilii Ficini de libris Platonis tam bene meriti, qui ſtatuit ſolis conjecturis obſequi, qui unam ex his tribus opinionibus huic Philoſopho tribuant: prima eſt, materiam fuiſſe in tempore creatam, & formatam: ſecunda, illam fuiſſe creatam & formatam ab æterno: tertia, creatam ab æterno, ſed per temporum intervalla longiſſima iterum in chaos redeuntem, ordinatam infinities: nec meminit de hac, quæ eſſet quarta, materiam eſſe increatam. Ipſe autem nolens quicquam conjecturis concedere, hoc unum vult certo dici poſſe (4) *Platonem affirmaviſſe, Mundum non ex ſe exiſtere, ſed ex cauſa: non ex cauſa fortuita, ſed ex certa: non ex naturali dumtaxat cauſa, ſed intellectuali: non ex intellectu per modum naturæ determinato, ſed potius voluntario: non voluntate ex naturali quodam inſtinctu compulſa, ſed libera*. Alii tandem ſunt, qui litem omnem circa doctrinam Platonis in hac re de medio tollunt ipſum accuſantes inconſtantiæ, quod modo dixerit materiam eſſe increatam, & modo negaverit. Ex his eſt Theophilus Antiochenus dicens, (5) *Plato & ejus aſſeclæ ſtatuunt Deum & materiam eſſe increata. At ſi ita eſt, jam Deus non eſt omnium Creator*, & Apulejus, qui apud Coquæum in notis ad S. Auguſtinum de Civitate Dei notat (6) ſibi contradixiſſe in hac re Platonem.

213. Prædictis errantibus circa æternitatem materiæ qua. enus ea ſit a ſe, S. Epiphanius (7) addit Peripateticos, & Lactantius (8) Academicos, & Ciceronem in libris de Natura Deo-

(1) Tull. Tuſc. lib. 1. n. 70. pag. 400
(2) S. Aug. de Civit. lib. 10. cap. 31. pag. 331.
(3) Id. Ibid. lib. 12. cap. 12. pag. 387.
(4) Fici. in Compend. Timæi, cap. 14. pag. 460.
(5) Teoph. lib. 2. ad Autolic. num. 14.
(6) Coq. ad cap. 31. lib. 10. pag. 333.
(7) Epiph. hæreſ. 7.
(8) Lact. lib. 2. Inſtit. Divin.

Deorum: idem de iiſdem teſtantur Plutarchus (1), Philoponus (2), & Themiſtius (3), quibus addi debent Epicurei, quorum celebris eſt ſtultitia, caſu extitiſſe hunc Mundum ex fortuita Atomorum per æternitatem ſe moventium combinatione. Philoſophos iſtos ſequuti ſunt multi Hæretici, Hermogenes, Manichæus, & alii, referentibus Tertulliano loco nuper citato, Auguſtino (4), Gregorio Nyſſeno (5), & Euſebio (6), qui etiam nominat Sabellium, & cum his ſentiunt recentiores Materialiſtæ, & alii, qui cum Bayle apud Valſecchium (7) dicunt creationem attentis ſolis rationibus philoſophicis repugnare.

Tot de hoc veterum errore teſtimoniis contradicit Cudvvorthus, qui illum attribuit paucis illis dumtaxat, qui Athei fuerunt, contendens (8) cæteros per illud ipſorum celebre principium, *ex nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reverti*, non voluiſſe docere, materiam eſſe increatam & Deo coæternam, ſed generationes, & corruptiones rerum naturalium aliud non eſſe, niſi diverſas materiæ a Deo creatæ modificationes. Jo. Laurentius Moshemius in notis ad Cudvvorthum (9), ſingularem credit hanc illius opinionem. Sed eamdem tenuit Samuel Clarkius (10) oſtendens argumenta veterum pro æternitate Mundi non concludere niſi, quod neceſſe ſit admittere ens aliquod a ſe, a quo eſt hic Mundus tamquam a cauſa vel libera vel neceſſaria. Eadem placuit Jo. Chriſtophoro Wolfio (11), qui arguit ex conatu aliquorum ut Lucretii, ſuadendi materiam creatam non eſſe, alios communiter contrarium propugnaſſe. Eamdem Ignatius Monteiro (12) tribuit Huetio, Grotio, Pſanero, Dikinſono locis ab ipſo citatis.

214. Hanc Authorum controverſiam de mente veterum Philoſophorum circa creationem materiæ placuit propoſuiſſe ad retundendam ignorantiam, vel audaciam incredulorum hujus

(1) Plut. lib. 1. de Placitis.
(2) Philop. lib. 1. Phyſi. tex. 6.
(3) Themi. Ibid. tex. 32.
(4) Auguſ. de Hæreſ. num. 46. & 55. pag. 10.
(5) Nyſſ. de Opifi. Hom. cap. 23.
(6) Euſe. Præpar. lib. 7. cap. 8. & 9.
(7) Val. Fond. della relig. lib. 3. par. 2. cap. 2. num. 7. pag. 208.
(8) Cud. Syſte. Intell. cap. 5. a §. 28. pag. 40.
(9) Moſ. nota ad §. 28. cap. 1. pag. 40. Id. Ibid. nota ad §. 6. cap. 4. pag. 209.
(10) Clar. A demonſt. of God. ſub initium.
(11) Wol. Manichæiſ. ſec. 1. pag. 15.
(12) Mont. Phil. Aſtron. Phyſ. num. 3. pag. 3. tom. 4.

Digitized by Google

noſtri temporis, qui vel adſtruentes materiam eſſe æternam, quia eſt a ſe, vel de hoc dubitantes confidenter prætendunt veterum authoritatem. Ita Voltaire ſuum *de Lege naturali* carmen aggreditur dubitando de creatione materiæ, de quo errore Nonnotte illum expoſtulat (1). Et Jo. Jacobus Rouſſeau, poſtquam profeſſus fuit ſe certum eſſe de exiſtentia Dei moderatoris hujus rerum Univerſitatis, dicit, (2) *neſcire ſe an ea creata ſit, an æterna*: & addit, *de hac quæſtione, quam tanta contentione Theologi nunc agitant, Patres parum ſolliciti fuerunt, nec a ſententia Platonis admodum diſtarunt*: immo ipſam teneri affirmat a Juſtino, Origene, & Clemente Alexandrino: de quo multarum falſitatum complexo illum redarguit Valſecchius (3). Atque cum idem, eodem Valſecchio referente, alibi dicat, (4) *philoſophos omnium temporum unanimi conſenſu rejeciſſe poſſibilitatem creationis materiæ*, hoc unum contra ipſum dicam, quod cum hæc quæſtio, an demonſtrari poſſit poſſibilitas creationis, hoc eſt productionis alicujus ſubſtantiæ ex nulla præexiſtente materia, agitata ſit ex profeſſo a quamplurimis primæ notæ Doctoribus, major illorum & potior pars eidem affirmative reſpondet, ut S. Thomas (5), Alenſis (6), Scotus (7), Thomas de Argentina (8), Hervæus (9), Henricus a Gandavo (10), & quotquot ſentiunt exiſtentiam Dei poſſe demonſtrari. Quare pauci ſolum ſunt qui negativam partem tuentur, quos citat Suarez (11), ut Gregorius Ariminenſis (12), Jo. Baſſolius (13), & ex parte Gabriel Biel (14).

215. Venio nunc ad illos, qui ſupponentes materiam eſſe increatam, vel omittentes hanc diſputationem, vel concedentes illam creatam eſſe, hoc ſaltem volunt, Mundum hunc ex materia formatum eſſe ab æterno. Tamquam horum duces habentur Proclus & Averroes, & ante hos Ariſtoteles, ut contendit Pererius

(1) Nonn. Erreurs de Voltai. tom. 2. ch. 27. pag. 264.

(2) Rouſſ. Emil. tom. 3.

(3) Val. Fond. della Relig. lib. 1. cap. 2. num. 53. pag. 50.

(4) Id. Ibid. lib 3. par. 2. cap. 2. n. 10. pag. 216. Et par. 3. cap. 3. num. 8. pag. 158.

(5) S. Th. in 2. diſt. 1. qu. 1. ar. 2.

(6) Ale. 2. par. qu. 6. art. 6.

(7) Scot. in 1. diſt. 8. qu. 1.

(8) Agre. in 2. diſt. 1. qu. 1.

(9) Her. Quodlib. 2. qu. 1.

(10) Gand. Quodli. 8. qu. 6.

(11) Suar. Metaph. diſp. 10. ſec. 1. num. 6. pag. 469.

(12) Arim. in 2. diſt. 1. qu. 2. circa finem

(13) Baſſ. in 1. diſt. 1. qu. 1. art. 3.

(14) Biel. in 2. diſt. 1. qu. 1. ar. 2.

Digitized by Google

rius (1) poſt multos, quos citat Suarez (2). Sunt tamen alii, qui ab Ariſtotele hujus erroris notam propulſant, productis in medium diverſis ejuſdem locis, quæ illum in hac re hæſitantem oſtendunt. Joannes Clericus aliqua ex his protulit in ſuis notis ad librum Hugonis Grotii *de Veritate Religionis* (3), inter quæ eſt illud apertiſſimum, (4) *quæſtiones ſunt, de quibus certi aliquid non habemus, ut an ab æterno ſit Mundus, an non*: S. vero Thomas ex profeſſo contendit, ſcopum Ariſtotelis, ubi dicitur propugnare æternitatem Mundi, fuiſſe (5) *contradicere rationibus antiquorum ponentium Mundum in tempore ſecundum quoſdam modos in veritate impoſſibiles*: quod & cenſuit Albertus Magnus apud Valentiam (6). Extant quæ Veteres protulerunt pro æternitate Mundi argumenta. Illa Simplicius tanti habuit, ut Coſmogoniam Moſaicam reputaverit fabulam ex Ægyptiis, inter quos Moyſes vixit, hauſtam. Eadem ſexto Eccleſiæ ſæculo promovit Ammonius, Procli diſcipulus, publice docens Alexandriæ æternitatem Dei & Mundi, quem impugnavit Zaccharias Epiſcopus Mitylenenſis opuſculo, quod eſt in Bibliotheca Patrum, (7), Cenſorinus inter alios multos veteres Philoſophos idem ſentientes numerat (8) etiam Platonem: nec deſunt, qui hoc volunt inferri ex eo, quod Plato dixerit Mundum habuiſſe originem ab intellectu cum neceſſitate conjuncto: ſed Leibnitius (9) putat Platonem ibi nomine quidem intellectus ſignificare Deum, nomine vero illius conjunctionis cum neceſſitate intelligere eſſentiales rerum creatarum naturas, quæ prout ſunt in intellectu divino, ab æterno ſunt, & neceſſario. Recentius Angli Auctores Hiſtoriæ Univerſalis juxta Verſionem Italicam Neapoli habitam a filio Typographi Roſellio, quæ pluris habetur, quam illa habita Venetiis, Platonem quidem negant (10) docuiſſe æternitatem Mundi, ajunt vero de quibuſdam Platonicis, qui ad majorem huic ſen-

(1) Per. de Comm. princ. lib. 14. ſub initium pag. 493.
(2) Sua. Metaph. diſ. 20. ſec. 1. a nu. 23. pag. 472.
(3) Cler. ad. lib. 1. num. 7. pag. 15.
(4) Ariſt. Top. lib. 1. cap. 11.
(5) S. Tho. 1. p. qu. 46. ar. 1. o. pag. 162.
(6) Val. de Deo ut Creatore. diſp. 3. qu. 3. pun. 1. pag. 976.
(7) Bibli. Patr. tom. 9. ex Edit. Lugd. 1677. pag. 755.
(8) Cenſ. de Die Natali cap. 2. pag. 294.
(9) Leibn. Theod. pa. 1. num. 21. pag. 83.
(10) Stor. Univerſ. Coſmogon. Vol. 1. pa. 2. pag. 19.

tentiæ, in quam iverant, authoritatem conciliandam citarunt Platonis quædam loca, quæ in rem ſuam facile detorquere potuerunt, utpote expreſſa more Platonis, qui non raro eſt præter modum communem loquendi. Huc ſpectant vel Pythagoras, vel ſaltem aliqui Pythagorici; Nam Pythagoram tribuiſſe ſoli Deo æternitatem, materiæ vero & Mundo creationem, authores ſunt Plutarchus (1), Juſtinus (2), & Cyrillus (3). Aliqui interea Pythagorici ſine controverſia docuerunt æternitatem Mundi, prout conſtat corporibus & animis mutantibus quidem formas & ſedes ſuas, ſed æternis. Ovidius (4) inducit Pythagoram ſic loquentem.

Ipſe ego, nam memini, Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Sedit in adverſo gravis haſta minoris Atridæ.

& infra (5).

Quatuor æternus genitalia corpora Mundus
Continet.
Nec perit in tanto quicquam, mihi credite, Mundo,
Sed variat faciemque novat: naſcique vocatur
Incipere eſſe aliud, quam quod fuit ante, morique
Deſinere illud idem.

216. Dicendum tandem eſſet de illis, qui Mundi hujus partes ſpirituales, cujuſmodi ſunt animæ rationales, dicunt eſſe ab æterno, vel quia eas credunt eſſe Divinæ Naturæ particulas, vel quia etſi fateantur eſſe a Deo diſtinctas, nihilominus volunt ab æterno vel a ſe vel per creationem exiſtere. Sed opportunius de his dicam, ubi inferius oſtendam animas rationales tunc primo incipere eſſe, cum informant concepta hominum corpora. Hoc unum hic dumtaxat advertam, eſſe aliquos, qui præter materiam, ex qua Deus Mundum materialem compoſuit, admittunt etiam æternam quamdam ſubſtantiam ſpiritualem, ex qua idem Deus animaverit omnia hujuſmodi viventia. Horum ſententiam tenere videtur Plutarchus in Pſychogonia, quam apud Cudvvorthum ſic declarat, (6) *quemadmodum virum Muſices peritum non vocem aut motum facere, ſed concinnam vocem, numeroſumque motum producere opinamur, ita Deus neque corporius tangi, & reſiſtere poſſit*

(1) Plut. de Plac. lib.2. cap.4.
(2) Juſt. de Monarchia.
(3) Cyril. contra Julian. lib.1.
(4) Ovid. Metam. lib.15. v.343.
(5) Id. Ibid. v.420.
(6) Cud. Syſtema Intell. cap.4. §. 13.

Digitized by Google

poſſit, neque animæ, ut ſe moveret indidit, ſed utrumque ſumens principium, alterum tenebricoſum, alterum turbulentum, ambo imperfecta ordinavit, ut pulcherrimum animal efficeret. Platoni pariter & præcipue adſcribitur hæc opinio contradicentibus illis, qui pro omnimoda omnium rerum creatione illum ſtetiſſe propugnant.

SECTIO II.

Argumenta contra æternitatem Mundi quantum ad materiam, quæ a ſe exiſtat.

217. PRimo ſic arguitur cum Tertulliano. Spiritus Sanctus inſtruens nos de rerum creatione, non ſolum dicit quod factum ſit, ſed etiam ex quo factum, quoties ex aliqua re præexiſtente fecerit. Ita ex terra producens plantas, & ex aqua piſces, & volatilia, dicit (1) *Germinet terra herbam virentem, & protulit terra herbam virentem. Producant aquæ reptile & volatile: creavitque Deus omnem animam viventem*: ergo (2) *ſicut ea, quæ de aliquo prolata ſunt, oſtendit unde prolata ſint: ita quæ non oſtendit, unde prolata ſint, ex nihilo prolata confirmat*.

Similiter Evangelium dicens, *In principio erat Verbum: omnia per ipſum facta ſunt*, manifeſtat nobis factorem, ideſt Deum; & facta; ideſt omnia, & per quem facta, ideſt Verbum: ergo (3) *unde omnia facta eſſent a Deo per Sermonem, exegiſſet ordo profiteri, & non profitendo ſatis probavit non fuiſſe*:

II. Cum Suarez (4). Scriptum eſt, (5) *Intelligas, quia ex nihilo fecit illa* (Cælum, & Terram) *Deus, & hominum genus.* Et alibi, (6) *Qui vivit in æternum, creavit omnia*: adeoque ſi omnia creavit, nihil ex aliquo fecit. Et alibi, Deus (7) *vocat ea, quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt*. Alia, quæ certam de Fide reddunt hanc propoſitionem, ut communiter docent Theologi cum S. Thoma (8) inferius afferam.

III.

(1) Gen. 1.
(2) Tert. contra Hermog. cap. 22.
(3) Id. Ibid. cap. 21.
(4) Suar. de oper. 6. dier. lib. 1. cap. 1. num. 10. pag. 5.
(5) Mach. 2. cap. 7.
(6) Eccli. 18. 1. 1.
(7) Ad Rom. 4. v. 17.
(8) S.Th. 1. p. qu. 44. & ſeq. & qu. 65.

III. Cum Leſſio (1). Materia non eſt propter ſe, ſed propter corpora diverſa, quæ ex illa componuntur. Tolle enim hunc materiæ uſum, jam tota quanta eſt, inutiliter exiſtit: ſed quod non eſt propter ſe, non eſt a ſe; Nam imprimis nihil eſt a ſe, ut alteri inſerviat, ſed ut ſeipſo fruatur: Præterea quod præſefert cauſam finalem, ad quam ordinatur, arguit etiam efficientem, per quam ordinatum eſt: ergo materia non eſt a ſe, adeoque ab alio per creationem.

IV. Cum Hooke (2), & Jacobo Riccato (3) arguitur. Natura materiæ eſt, eſſe quid paſſivum, & indifferens ad diverſas ſui modificationes; Nam eſt diviſibilis in infinitum, mobilis celeritate & directione in infinitum variabili, & figurabilis modis in infinitum diverſis: ſed eſſe quid paſſivum & indifferens modo dicto, importat non exiſtere a ſe; Nam eſſe paſſivum dicit relationem ad id, per quod eſt paſſivum, quod idem eſt, ac ad cauſam ſuæ exiſtentiæ: eſſe autem indifferens ad diverſas modificationes in infinitum variabiles, ſub quibus æque poteſt exiſtere, importat cauſam, quæ unum horum determinet: ergo materia non exiſtit a ſe: ergo exiſtit ab alio per creationem.

218. V. Cum Cheyne (4), Clarkio (5), & eodem Riccato (6). Si materia non exiſteret per creationem, ſed exiſteret ex neceſſitate abſoluta, illa eſſet per totum ſpatium imaginarium, quod eſt infinitum, & haberet exiſtentiam æternam; Nam quod eſt ens a ſe, non poteſt exiſtere uno potius tempore quam alio, nec poteſt eſſe finitum in ſuis ſaltem primariis attributis, cujuſmodi eſt reſpectu materiæ extenſio. Sed materia non eſt infinita; nam ut alibi (7) demonſtratur, datur vacuum: Rurſus ſi infinita eſſet in ſua extenſione, eſſet etiam immobilis, ut obſervat Ludovicus Barbieri (8), adeoque inutilis ad formationem Mundi, quam aliunde evidens eſt eſſe mobilem. Neque eſt æterna, quia repugnat Fidei, aliquid præter Deum habere reipſa exiſtentiam æternam; ergo materia exiſtit per creationem.

VI.

(1) Leſſ. de Provid. num. 25. pag. 637.

(2) Hoo Princ. Religi. ſec. 1. par. 1. art. 7. pag. 137.

(3) Ricc. Opere Tom. 2. lib. 2. cap. 14. pag. 262.

(4) Chey. Princ. Filoſof. cap. 4. §. 10. pag. 100.

(5) Clar. A demonſtration of God. pag. 27.

(6) Ricc. Opere. Tomo 2. lib. 2. cap. 4. §. 2. & ſeq. pag. 250.

(7) Diſſ. de Extenſione.

(8) Barb. Saggio di metafiſ. p. 1. art. 5. pag. 55.

VI. Cum eodem Cheyne (1), & Jaquelotio (2). Nihil exiſtens extra Deum poteſt eſſe a ſe; Nam quod eſt a ſe, eſt ens ſimpliciſſimum & infinite perfectum, ut demonſtratur, ubi agitur de Exiſtentia Dei, quorum neutrum habetur in materia, quæ ne habet quidem ullas determinatas perfectiones corporum: ergo materia eſt ab alio per creationem. Conſequentia probatur, quia eſſe a ſe, & eſſe ab alio ſunt Entis attributa contradictoria, & involvit contradictionem, materiam, quæ prima ſit, de qua hic loquimur, factam eſſe ex præexiſtente materia.

219. VII. Si materia eſſet a ſe, non dependeret a Deo, nec in eo quod ſit, nec in eo quod duret: ergo Deus non habuiſſet poteſtatem diſponendi illam, quam tamen ei tribuunt Adverſarii. Probatur conſequentia cum Tertulliano: (3) *Si materia cenſetur neque initium habens, neque finem, eadem ratione non poterit pati diſperſionem & demutationem, qua nec Deus. In æternitatis enim conſortio poſita participet cum illo neceſſe eſt & vires & leges & conditiones æternitatis.*

VIII. Diſpoſitio materiæ componentis hunc Mundum eſt Deo tribuenda: ergo materia ipſa eſt a Deo creata. Antecedens dant ipſi Adverſarii, idemque infra diſtincte demonſtrabo. Conſequentia autem probatur, quia ſi Deus non creaſſet materiam, non haberet eam illius cognitionem, quæ colligitur eſſe adæquata ex ipſa diſpoſitione præſeferente ſummam in Deo ſapientiam; Nam non haberet alio modo, quam contemplando & inſpiciendo ipſam materiam, quod non ſolum non ingerit adæquatam rei ideam, ſed etiam repugnat Deo, ſiquidem Deo non convenit, ut aliunde quam a ſe ipſo habeat rerum cognitiones.

220. IX. Cum Anglis Hiſtoriæ Univerſalis Auctoribus (4) ſic. Si materia non eſſet creata a Deo, qui illam diſpoſuit, Deus injuſte & per abuſum ſuæ potentiæ illam diſpoſuiſſet. Nam ſpoliaſſet proprietatibus ſuis materiam, quæ ſicuti a ſe dicitur eſſe, ita dicitur habere a ſe eſſentiam & proprietates ſuas, dando ipſi novam formam in tempore, quam non habuit in tota æternitate, & faciendo illam a ſe dependentem, cum eſſet independens. Injuſti-

(1) Chey. Princ. Filoſ. cap.3. num. 3. pag. 65.
Id. Ibid. cap.5. §.3. pag.11.

(2) Jaq. Conform. de la Foy. par. 2. cha. 10. pag. 282.

(3) Tertul. contra Hermog. cap. 39.

(4) Stor. Univ. Coſmog. Vol.1. par.1. pag.54.

juſtitia autem in Ente perfectiſſimo non poteſt ſine contradictione admitti. Et quando dicatur Deum ex ſua Bonitate addidiſſe perfectiones aliquas materiæ, quas a ſe non habebat, imprimis non ſalvatur injuſtitia in eo, quod faceret a ſe dependens, id quod a ſe non dependebat. Deinde non poteſt intelligi, quomodo non ſit aliena a natura illius materiæ a ſe exiſtentis quævis perfectio, quæ dicatur illi ſuperaddi, adeoque quomodo non ſit in re ejus imperfectio. Tandem neque poteſt intelligi, quomodo non fuerit vana quædam cogitatio, & otioſa occupatio illa Dei, dum ſe determinavit ad expoliendum, & in novam formam redigendum id, quod ipſe non creaverat.

221. X. Eſſentia Dei neceſſario eſt, & concipitur perfectiſſima: ergo etiam Omnipotens: ſed ſi Deus non potuit facere Mundum ex nihilo, ſed ſolum formare ex materia jam a ſe præexiſtente, Deus non eſt Omnipotens: ergo ſi Deus eſt Omnipotens, potuit Mundum facere ex nihilo: ergo cum aliunde non oſtendatur materiam fuiſſe a ſe, quin immo demonſtretur id repugnare, Deus fecit Mundum ex nihilo. Hoc argumento uſus eſt jam olim S. Auguſtinus dicens (1) *Omipotens Deus nulla re adjuvandus erat, quam ipſe non fecerat, ut quod volebat, efficeret. Si enim ad eas res, quas facere volebat, adjuvabat eum aliqua res, quam ipſe non fecerat, non erat Omnipotens, quod ſacrilegum eſt credere.* Idem adhibuit Suarez (2) tamquam demonſtrative concludens contra Adverſarios ſui temporis ſupra citatos, Deum potuiſſe creare materiam, quandoquidem ratio naturalis non invenit ullam contradictionem in creatione. Recentius eodem uſi ſunt tum Malebranche apud Leibnitium (3) concludens contra illos, qui ejus vim non percipiant per hanc exclamationem, *O philoſophes ſtupides ac ridicules!* tum Nonnotte (4) contra Voltairem, tum Auctor Gallici libri, cujus titulus, *Epiſtolæ Judaicæ*, in epiſtola 84, qui vulgo dicitur eſse Marchio d'Argens. Quare cum in alio ſuo libro, cujus titulus, *Le Philoſophe du bon ſens*, dicit credi quidem poſse creationem materiæ in obſequium Fidei, non tamen per Philoſophiam &

(1) S.Aug. de Gen. cont. Manich. li. 1. cap. 6. pag. 317.

(2) Suar. Metaph. diſp. 20. ſer. 1. num. 9 pag. 469.

(3) Leib. Eſſai de Theod. par. 3. num. 398. pug. 597.

(4) Nonn. Erreur. de Voltai. tom. 2. cha. 17. art. 1. pag. 269.

ſuaderi, cui probabilius eſt materiam eſse æternam, deſipuit, & ſibi contradixit, ut notavit Valſecchius (1).

222. Objicitur contra hoc argumentum. Sine potentia activa nulla eſse poteſt creatio: ergo neque ſine potentia paſſiva. At conceſso antecedenti negatur conſequentia, vel melius etiam ſic diſtinguitur; Nulla poteſt eſse creatio ſine potentia paſſiva vel præexiſtente, vel coexiſtente cum ipſa actione, concedo, ſine potentia paſſiva omnino præexiſtente ipſi actioni, nego. Et ratio eſt, quia notio actionis, cujuſmodi eſt creatio, non præſcindit ab agente, adeoque a potentia activa; Contradictionem enim involvit eſse actionem ſine agente: at eadem notio actionis generice ſumptæ præſcindit omnino a ſubjecto præexiſtente, adeoque a potentia paſſiva; Nam illa dicit dumtaxat ordinem ad effectum, qui per illam fit. Quod ſi actio creaturæ poſtulat ſubjectum præexiſtens, id conſequitur imperfectionem ipſius creaturæ, non naturam actionis. Hoc ipſum aliter fit manifeſtum, obſervando potentiam quidem paſſivam dicere ordinem ad activam, quia quis poſſit aliquid recipere, quando nemo ſit, qui poſſit dare? at potentia activa non dicit ordinem ad paſſivam, quia ejus notio eſt agere aliquid, non vero agere in aliquo. Hoc ſecundum requirit ſolum ea potentia activa, quæ ſit imperfecta, qualis eſt in creaturis: non vero potentia activa generice conſiderata, aut quæ ſit perfectiſſima, qualis eſt Divina.

223. XI. Cum eodem Nonnotte ibidem contra illos, qui materiam æternam dicunt, ſed in ordinem diſpoſitam a Deo, ſic arguitur. Ideo materia ponenda eſt æterna, quia non poteſt concipi, illam factam eſſe ex nihilo; In hanc enim rationem tandem devolvi, quicquid increduli dicunt contra poſſibilitatem creationis, notavit etiam Clarkius (2). Sed etiamſi non poſſit concipi, materiam factam eſſe ex nihilo, quod cognita exiſtentia Dei Omnipotentis ex nuper dictis eſt falſum; non ſequitur, quod illa ponenda ſit æterna; Nam multo minus concipi poteſt; materiam, quæ ad exiſtendum nullo opus habet Creatore, & ab æternitate exiſtit, non poſſe ſe ullo apto modo diſponere &

exper-

(1) Val. Fond. della Relig. lib. 3. p. 2. cap. 2. num. 8. pag. 310.

(2) Cl. A Demonst. of God. propos. 10. coroll. 2. pag. 8[illegible]

expertem eſſe omni omnino activitate, & hanc eidem tribui & conſervari a Deo ordinatore: ergo.

XII. Contra illos, qui confuſe affirmant Mundum æternum, quatenus nullam habet ſui cauſam, quin diſtinguant, an loquantur de materia, an de diſpoſitione materiæ, ſic arguitur cum Clarkio (1). Quod ab æterno exiſtit independenter ab omni cauſa, habet abſolutam neceſſitatem exiſtendi. Sed Mundus neque quantum ad materiam, neque quantum ad ejuſdem diſpoſitionem habet abſolutam neceſſitatem exiſtendi. Non quidem quantum ad materiam propter argumenta jam adducta: non vero quantum ad diſpoſitionem materiæ, tum propter argumenta, quæ inferius ponam, tum propter continuam mutationem rerum omnium materialium, quæ quotidie evidens eſt; continuo enim mutant locum, ſitum, figuram, formam, & nunquam in eodem ſtatu permanent: in quo eſt character apertiſſimus contingentiæ in ſenſu contradictorio abſolutæ neceſſitati.

XIII. Ad hominem arguitur contra illos, qui materiam, ex qua Mundus conſtat, volunt eſſe æternam, & neceſſariam, ut in illam refundant originem mali phyſici, quam credunt repugnare, ut tribuatur Deo, ſicuti dicitur ab illis, qui Deum non ſolum authorem diſpoſitionis materiæ, ſed etiam illius dicunt authorem. Ideo materia debet poni æterna, & neceſſaria, quia ſic redditur ratio de malo phyſico, quod eſt in Mundo, dicendo illud habere originem ab ipſa natura materiæ, non vero a Deo authore ſolius diſpoſitionis materiæ: Atqui omiſſo, quod non repugnat Deum dici authorem mali phyſici ex alibi (2) dictis, illud dicendo non ſalvatur, Deum non eſſe authorem mali phyſici, quippe qua ratione Deus in hac hypotheſi dicitur author boni phyſici, dici etiam debet author oppoſiti mali, quod ex ipſa materia diſpoſita provenit: Et rurſus Deus accuſatur vel impotentiæ, qui non potuerit ex materia efficere omnia juxta horum cogitationes phyſice bona, vel malevolentiæ, qui poſito quod potuerit, noluerit mala ex illa rodundantia avertere: ergo materia non poteſt poni æterna, & neceſſaria. Argumentum hoc jampridem adhibuit Tullius contra Stoicos: (3) *Vos, inquit, dice-*

re

(1) Cl. Ibi. prop.3. coroll.4. pag.24.
(2) Diſſ. de Malo. num.82. pag.158.
(3) Tull. lib.3. de Nat. Deor.

re ſoletis, materiam rerum ex qua, & in qua omnia ſunt, totam eſſe flexibilem & commutabilem, ut nihil ſit quod non ex ea ſubito fingi convertique poſſit: ejus autem univerſe rectricem & moderatricem Divinam eſſe Providentiam. Itaque hæc aut neſcit quid poſſit, aut negligit res humanas, aut quid ſit optimum, non poteſt judicare. Idem deinde promovit Tertullianus, concludens, quod in hypotheſi materiæ æternæ & neceſſariæ, (1) *inveniatur Deus egiſſe male, ſi per voluntatem: Turpiter, ſi per neceſſitatem*.

224. Argumentis adductis addatur confirmatio ex authoritate. Atque pro Philoſophis ſatis ſit illud Ariſtotelis, (2) *Omnes Mundum generant*: quo intelligimus ipſum receſſiſſe a doctrina eorum, quotquot ante ſe fuerunt. Circa Patres, de Tertulliano jam dixi, ex quo alia plura in hanc rem collegit Natalis Alexander (3), & alia colligi poſſe dixit ex Lactantio (4), Theodoreto (5), & Euſebio (6), ubi hunc errorem in Hermogene impugnat. In S. Auguſtino hæc lego, (7) *Id, unde fecit Deus omnia, eſt, quod nullam ſpeciem habet nullamque formam, quod nihil eſt aliud, quam nihil. Nam illud, quod in comparatione perfectorum informe dicitur, ſi habet aliquid formæ, quamvis exiguum, quamvis inchoatum, nondum eſt nihil, ac per hoc id quoque in quantum eſt, non eſt niſi ex Deo. Quapropter etiamſi de aliqua informi materia factus eſt Mundus, hæc ipſa facta eſt omnino de nihilo*. Atque his ſimilia alibi (8) repetit. Aliorum Patrum verba dabit Suarez, ex quibus colligit, (9) *eſſe regulam Sanctorum, quoties res, quæ omnino non erant, creari dicuntur, verbum creandi ſignificare productionem ex nihilo*.

Ludovicus Barbieri (10) proponit hoc aliud in hac re argumentum. Nemo cognoſcit intimam ſubſtantiam ullius rei, & ne ſui quidem, neque quantum ad corpus, neque quantum ad animam: ergo omnes ſubſtantiæ ſunt creatæ. At nullius momenti eſt hoc argumentum, quippe nullo modo deſcendit aut de-

 ſcen-

(1) Tertull. contra Hermoge. cap. 10.

(2) Ariſ. lib. 1. de Cælo tex. 102.

(3) Alex. Hiſt. Eccl. ſæc. 2. Diſſ. 20. pag. 618.

(4) Lact. Div. Inſtit. lib. 2. cap. 9.

(5) Theod. Hæret fab. lib. 5. cap. 5.

(6) Euſeb. de præp. Evang. lib. 7. cap. 19.

(7) S. Aug. de vera Relig. cap. 18. pag. 279.

(8) Id. lib. 1. de Gen. cont. Manich. cap. 6.

(9) Sua. Oper. ſex dier. lib. 1. cap. 1. num. 11. pag. 6.

(10) Barb. Saggio di Metafiſ. pa. 1. ar. 14. pag. 88.

antiquitatis: ſed quod cognoſcitur de hiſtoria totius antiquitatis, oſtendit Mundum formatum in tempore. Hoc argumentum ſic jam olim protulit Lucretius contra æternitatem Mundi (1).

Si nulla fuit genitalis origo
Terræ & Cæli, ſemperque æterna fuere,
Cur ſupra bellum Thebanum, & funera Trojæ,
Non alias alii quoque res cecinere Poetæ?

Idem adhibuit S. Auguſtinus (2). Idem integra diſſertatione exponit Jaquelot (3). Idem exornant Eugubinus (4), Benedictus Pererius (5), Cheyne (6), Pluche (7), Hooke (8), Auctores Angli Hiſtoriæ Univerſalis (9), Antoninus Valſecchi (10), Michael Klauſt (11), & alii citati a Whiſtono (12).

Ad hanc hiſtoriam antiquitatis Mundi referuntur origines plurium artium, diſciplinarum, & cognitionum nobis notæ, cum nominibus etiam eorum, qui illas invenerunt, ut legere eſt apud Athanaſium (13), Clementem Alexandrinum (14), Joſephum (15), Heliodorum (16), Strabonem (17), Diodorum (18), Plinium (19), Polydorum (20). In his artibus nota eſt epocha pyxidis Nauticæ, quæ ad annum circiter 1300 a Gilberto apud Derhamum (21) ſpectare creditur, cui conſentit Dominicus Muſantius (22), ejus inventorem nominans Flavium Gioiam Almaphitanum, & corrigens illos, qui Giojam in Gojam, vel Giram, & Almaphitanum in Melphenſem commutarunt. Huic autem inſtrumento debemus detectionem Americæ tantæ telluris habitatæ partis, cujus prima cognitio ad Europæos allata eſt a Chriſtophoro Columbo, qui die 13 Martii anno 1493 rediit ad portum Pali, unde 3 Auguſti anni antecedentis ſolverat, Oceano Occidentali ſe

(1) Luc. lib. 5. v. 325.
(2) Aug. de Civit. lib. 12. cap. 10.
(3) Jaq. Exiſt. de Dieu.
(4) Eug. Coſmop. in princ. pag. 6.
(5) Perer. in Gen. lib. 1. in Principio. pag. 16.
(6) Che. Princ. Filoſo. cap. 4. §. 12. pag. 103.
(7) Plu. Spett. de la Nat. tom. 8. par. 1. pgg. 52.
(8) Hoo. Princ. Religion. tom. 1. arg. 4. pag. 55.
(9) Stor. Univ. Coſmogo. pag. 63.
(10) Val. Fond. della Relig. lib. 1. cap. 3. num. 5. pag. 58.
(11) Kla. Metaph. num. 206. pag. 212.
(12) Whi. Aſtr. Princ. par. 7. num. 3. pag. 143.
(13) Ath. Orat. cont. Idola.
(14) Cle. lib. 1. Strom.
(15) Joſ. Antiq. lib. 1. cap. 2.
(16) Heli. lib. 2.
(17) Stra. Geogr. lib. ultimo.
(18) Diod. Antiq. cap. 2.
(19) Pli. Hiſt. lib. 2. cap. 56.
(20) Polyd. De invent.
(21) Derh. Phyſico-Theo. B. 5. cha. 1.
(22) Muſ. Fax. Ch. ſæc. 14. n. 37. p. 377.

Digitized by Google

ſe committens cum tribus navibus ipſi creditis a Ferdinando Rege Caſteilæ, quem moverant rationes ab ipſo adductæ de novis terris hac via facilius inveniendis, quas antea nequicquam propoſuerat Joanni II. Luſitaniæ Regi.

227. Ars dividendi per aquam fortem metalla inter ſe commixta, teſte Pluche (1), antiquior non eſt ſæculo decimo quarto, quin tamen notus ſit illius author. Inſequentis ſæculi eſt inventio Typographiæ, de qua propter colluvionem libellorum, qui Religioni & bonis moribus bellum noſtris temporibus indicunt ſæviſſimum, dubitat Jo. Baptiſta Roberti in libro cæteroquin anonymo, *Del leggere libri di Metafiſica* (2), utilis an pernicioſa inventio dicenda ſit. Hanc quidem certum eſt in Europa non fuiſſe notam ante annum 1430, & in Germania natam, vel Haerlemi inventore Laurentio Coſtero circa annum 1430: vel Argentorati per Joannem Mantel, aut per Jo. Guttemberg anno 1440, aut 1442: vel Moguntiæ authore Joanne Fuſt, quem aliqui etiam vocant Fauſtum anno 1451, aut 1452, aut Petro Scheffero, quem apud Fauſtum degentem dicit Ladvocatus (3) inveniſſe literas mobiles, & aptum ad typos atramentum; Nam de his omnibus eſt controverſia inter multos authores, qui de hac re ſcripſerunt, quorum aliquos citat Derhamus (4), completum vero omnium catalogum promiſerat ſe daturum Author Anonymus *Hiſtoriæ de Typographia*, Gallice editæ Hagæ an. 1740, qui aliunde ſcitur eſſe Proſper Marchand, ſed poſtquam pervenit ad finem primæ partis, hunc & notas per decurſum hiſtoriæ indicatas omittens concludit, (5) *annus* 1740 *jam incœptus hæc mihi non permittit*: Trithemius tamen eſt, quem præ omnibus attendendum eſſe cenſet Pluche (6). Certum ſimiliter eſt Italiam nullas habuiſſe typorum officinas ante annum 1461, & ex his primam extitiſſe vel in celebri Monaſterio Sublacenſi, ex quo ſine dubio prodierunt Lactantii opera anno 1465, vel Venetiis, unde per Typographum Jenzon habemus librum inſcriptum *Decor puellarum*, ſignatum anno 1461, cui contradicit Joannes Spi-

(1) Plu. ſpett. de la Nat. tom. 6. Entr. 5. §. Le depart. pag. 412.
(2) Rob. trac. 2. pag. 225.
(3) Ladvo. Dizion. Stoico. Art. Scheffer. & art. Guttenberg.
(4) Der. Phyſico-Theo. l. 6. cha. 1. pag. 275.
(5) Mar. Hiſtori. pag. 118.
(6) Plu. Spett. de la Nat. tom. 7. Entr. 20. La Paleographie pag. 202.

Spira, qui edens ibidem anno 1469 epiſtolas familiares Ciceronis, dicit ſe eſſe primum, qui Typographiam Venetias invexerit: Utrique autem Jenzono & Spiræ contradicunt Svvenheim, & Pannartez, qui in editione operum Nicolai de Lyra ab ipſis facta Venetiis anno 1472, in Dedicatoria ad Sixtum IV. Papam data, quæ extat tomo quarto, primos ſe dicunt, qui hanc artem in Italiam aſportaverint. Et certum tandem eſt, nec Græcis characteribus ullos ullibi impreſſos fuiſſe libros ante annum 1476, nec Hebraicis ante annum 1480 & Græcos quidem alii tribuunt Florentiæ, alii Venetiis, alii Mediolano: Hebraicos vero dant omnes communiter Soncino, loco humili regionis Cremonenſis ſub directione duorum Rabbinorum Joſue & Meſis, qui annum Mundi 5240 editioni appoſuerunt, hoc eſt Æræ vulgaris 1480.

228. Calchographia, quæ ramus quidam Typographiæ eſt, ortum habuit circa dimidium ſæculi decimi quinti, teſte Philippo Baldinuccio (1), a Maſo quodam Finiguerrio Florentino: per quam ea, quæ delineata ſunt ſupra laminas cupreas, ope præli in immenſum multiplicantur. Hæc porro delineatio fit vel ſcalpro ex chalybe, vel aqua forti, aut illa quam deſcribit idem Baldinuccius (2), aut illa vulgo nota ex nitro diſtillato, ſed per aquam temperato, quam vidi ego infuſam ſupra laminam, ibique ſtagnantem propter labrum circa omnem ipſius peripheriam ex cera & therebintho commixtis elevatum, corroſiſſe ſpatio unius quadrantis cuprum in omnibus locis, & punctis, quæ detexerat acus, & incidiſſe integram effigiem, qualis acu delineata erat ab Artifice ſupra ipſam laminam prius illinitam tenui velamento ex cera & aliis rebus confecto. Recentioris adhuc ætatis ſunt ars conficiendi ſin minus ocularia, quibus infirmitas viſus ſublevatur, certe Teleſcopia Dioptrica, Microſcopia, Barometra, Thermometra, & Horologia portatilia; ex quibus illud, quod pro cujuſque libito repetit numerum horarum per pulſus campanæ, primo compoſuit Anglus Artifex tempore Caroli II, quorum unum cum miſſum dono fuerit ad Ludovicum XIV, & ille, referente Muratorio (3), ipſum tradiderit ſuo horologiorum Arti-

(1) Bal. Arte del Intagliare. in vita Alberti Dureri. Id. Vocabo. dell'Arte del Diſegno art: Niello.

(2) Id. Ibid. art. Acqua pag. 3.

(3) Mur. Della Fantaſia cap. 3. pag. 3.

Artifici, hic faſſus fuit imparem ſe eſſe ad detegendam illius conſtructionem. Propius noſtræ ætati dici poteſt nata ſcientia Analyſeos tum finitæ, quæ quaſi patrem agnoſcit Carteſium, tum infinitæ, de cujus prima inventione tanta cum celebritate litigatum eſt Nevvtonum inter & Leibnitium, ſive potius Anglos inter & Germanos. Quid dicam de progreſſu facto in Chemia, in Anatomia, in Mechanica, in Arte militari, tum impugnante, tum propugnante, & in omni phyſica tam terreſtri, quam cæleſti, quæ non exigua ex parte vel ortum vel incrementum ultimis hiſce temporibus habuerunt.

229 Certe notum eſt quo tempore aliquæ cognitiones adhuc incertæ eſſent, quæ, ſi Mundus fuiſſet æternus, latere tandiu non potuiſſent, utpote maxime obviæ. Ita quod Zona Æquatorem comprehendens vacua non ſit habitatoribus, ignotum erat temporibus Ovidii, cujus eſt illud, *Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu*. Quod terra figuræ ſit in ſe redeuntis, ignorabant Philoſophi ætate Thaletis, qui illam Oceano veluti navem crediderunt inſidere, & etiam ætate Tullii, qui quatuor ſæculis poſt Thaletem fuit, cum ex eo habeamus, quod alii quidem dubii erant, (1) *terra penitus ne defixa ſit, & quaſi radicibus ſuis hæreat, an media pendeat*: Alii vero arbitrabantur deſipere, *qui dicebant eſſe è regione nobis è contraria parte terræ, qui adverſis veſtigiis ſtent contra veſtigia, quos antipodas vocabant*: & etiam ſæculo poſt Chriſtum quarto, quo floruit Lactantius, qui vehementer contra opinionem de Antipodarum exiſtentia declamavit (2): & propius etiam noſtris temporibus non fuiſſe hanc rem extra controverſiam oſtendit Iſaacus Verburgius in notis ad citatum Tullii locum. Fallitur tamen, qui cum Jo. Weidlero (3) dicat non ſolum incertam fuiſſe exiſtentiam Antipodarum, ſed etiam habitam tamquam hæreſim ipſo Zachariæ Papæ tempore ſæculo ſcilicet Chriſti octavo, quaſi hac de cauſa damnaverit Virgilium Saliſburgenſem Epiſcopum. Quod falſum eſt; Pontifex enim, ut conſtat ex ipſius Zachariæ epiſtola apud Baronium ad annum 748, & apud M. Velſerum citatum a Ricciolio (4) proſcripſit, qui admitterent, Antipodas non eſſe homines ab Adamo de-

(1) Tull Arcad. lib. 4. num. 122. pag. 276.

(2) Lact. de Falſa ſapientia cap. 24.

(3) Weid. Hiſtor. Aſtronomiæ.

(4) Ricc. Almag. lib. 1. ſchol. in cap. 20.

deſcendentes, nec a Chriſto redemptos. Similiter Keplerus edens anno 1604 *Aſtronomiæ partem Opticam* dubitat, an fieri poſſit, ut contingat Eclypſis ſolaris anularis, & Clavio, qui in ſuis de ſphæra Commentariis dixerat anularem hanc Eclipſim viſam Romæ anno 1589, reſpondet, illud phænomenon naſci potuiſſe non jam ex aliqua ſolis parte circa Lunam refulgente, ſed ex illuminata, & ardenti Lunæ atmoſphera, cum tamen ea jam extra controverſiam facta ſit non ſolum a poſteriori, quia viſa nuper eſt per multas Europæ partes hæc Eclipſis 1 Aprilis anno 1764, ſed etiam a priori, quia, ut de la Lande (1) teſtatur, cum nunquam accidat diametrum ſolis viſam a terra eſſe minorem $31\frac{1}{2}$ minutis primis, qua ſæpius minor eſt diameter Lunæ, quæ decreſcere poteſt uſque ad $29\frac{1}{2}$, neceſſe eſt, ut anularis Eclipſis habeatur, quoties Luna, diametrum exhibens minorem diametro ſolis, media ſit inter Solem & Terram ita, ut linea ducta ab obſervatore ad centrum Lunæ incidat in ipſum ſolis centrum, vel ſaltem prope ipſum.

230. Non animadvertit Tullius hoc argumentum contra æternitatem Mundi, dum ſibi viſus eſt perſuadere, eſſe homines, (2) *qui centum millibus annorum ante occiderunt*. Eo tamen ſatis confutantur etiam Hæretici Præadamitæ, qui ſcilicet genus humanum ante Adamum admittunt extitiſſe, quem Hebræorum dumtaxat parentem dicunt, quam hæreſim Iſaac Peyrerius edito de hac re tractatu anno 1653 promovit iis argumentis, quæ in objectiones rejicio. Eodem argumento retundi poſſunt illorum querelæ, præcipue ſenum, qui juxta Horatium ſunt *laudatores temporis acti*, quod Mundus ruat ſemper in pejus: & ſæcula ferrea nunc decurrant, cum olim eſſent aurea & argentea. Non ſolum enim nihil eſt, quod hanc rerum mundanarum calamitatem ſufficienter ſuadeat, ſed potius Mundum in rerum cognitionibus, & artibus excultiorem in dies fieri comprobavimus. Qui miſerias & mala publica nunc dicat eſſe majora, quam olim, hic in hiſtoria hoſpes penitus eſt. Qui vitam breviorem nunc, quam olim, lamentetur, audiat quod David ſuo tempore

(3) Land. Connoiſſ. des mouvem. ann. 1764. art. Grand Eclypſ. pag. 203.

(2) Tull. Tuſc. lib. 1. n. 9. pag. 356.

ſcribit, (1) *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni: Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor*: nec ſibi poſtulet primorum hominum ſeu Patriarcharum vitam, quæ diuturnior fuit ex particulari Dei conſilio, ut citius genus humanum propagaretur, & terram redderet habitatam. Sed falſam & omnino importunam eſſe hanc opinionem perſuadet illud, quod interroganti (2) *Quid putas cauſæ eſt, quod priora tempora meliora fuere, quam ſunt?* reſponſum eſt, *ſtulta eſt hujuſmodi interrogatio*.

231. IV. Probatur cum Pluche (3). Si terra hæc noſtra fuiſſet ab æterno, illa haberet ſuperficiem ubique planam: ſed nec dum habet: ergo. Major probatur, quia videmus quotidie montes & colles deprimi, & plana elevari propter pluvias, quæ continuo humum & ſaxa ab illis avellunt, & ſecum deorſum deferunt; ex quo fit, ut quæ olim propter interpoſitum collem aut montem vix apparebant, proceſſu temporis late patentia evaſerint: Nec dici poteſt hoc detrimentum compenſari ab exhalationibus terreis & ſalinis, quæ una cum vaporibus ſublatæ deinde in ipſos decidunt. Minima enim fortaſſe harum pars ad illos redit, quoniam in mari & campis etiam deponuntur.

V. Probatur. Notum eſt, nondum nobis compertam omnino eſſe ipſammet ſuperficiem hujus noſtræ telluris, & etſi non habeamus eam de ipſa ignorantiam, quam habebant veteres Philoſophi, quorum plures de hac re opiniones numerat Eraſmus Froelich in ſua *Figura Telluris* poſt Ricciolium in ſuo Almageſto: attamen nondum ſcimus, an ſuperficies arida, & homini habitabilis ad aqueam habeat rationem æqualitatis, ut credit Varenius (4), an illam, quæ eſt inter unum & tria, quæ placuit Leonardo Chriſtophoro Sturmio (5), an aliam: Et adhuc in controverſia eſt figura ipſius, non quidem an ſit ſphæroides latus, quemadmodum jam videtur certum, ſed an ſit regularis, an irregularis, ut videre eſt apud Jo. M. de Turre (6), qui hanc controverſiam exponit ex Alembertio in Encyclopædia Gallica: ergo homines hujus terræ incolæ non ſunt ab æterno.

232.

(1) Pſal. 89. 10.
(2) Eccle. 7. v. 11.
(3) Plu. Spett. de la Nat. tom. 8. par. 1. Certit. de l'Hiſtoir. Sain. pag. 50.
(4) Vare. Geogr. lib. 1. cap. 18.
(5) Sturm. Geograph. Mathem.
(6) Turr. Phyſi. partic. tom. 1.

232. VI. Probatur cum Cheyne (1), Whiſtono (2), & Nevvtonianis. Satis ſuperque conſtat, vacuum in ſpatio, ubi cæleſtia corpora, Planetæ & Cometæ ſuas periodos faciunt, non eſſe tale vacuum, in quo nullum omnino ſit etſi maxime rarum fluidum. Corpora enim cæleſtia habent ſingula ſuas atmoſphæras, quæ ad magnas diſtantias diffunduntur, denſitate ſenſim quidem decreſcente, ſed tamen aliqua, & ubi hæc etiam Atmoſphærarum denſitas nulla penitus evadat, habetur lucis fluidum undique diffuſum: ſed corpora, quæ ſe movent intra fluidum, patiuntur ab illo reſiſtentiam proportionalem illius denſitati: ergo corpora cæleſtia, quæ intra fluidum diſperſum in ſpatiis cæleſtibus moventur, patiuntur ab illo aliquam reſiſtentiam: adeoque etiam aliquam ſui motus diminutionem, quæ etſi pro tenuitate reſiſtentiæ non poſſit evadere ſenſibilis, & etiam totalis, niſi intra multas annorum myriadas, tamen totalis evadat neceſſe eſt intra numerum infinitum annorum, qualis ſequeretur admittendus in hypotheſi Mundi ab æterno: ergo ſi hic Mundus extitiſſet ab æterno, jampridem diminutio motus corporum cæleſtium evaſiſſet totalis, eaque omnia congregata fuiſſent in centrum ſuarum revolutionum, extincta penitus vi projectionis, qua unice procul ab illo retinentur. Mitto argumentum deſumptum ab authoritate Scriptorum, qui habentur omnium antiquiſſimi, ut Mercurii Triſmegiſti, Orphei, & Sanchoniathonis, ſi modo horum ſunt ea, quæ illis tribuuntur, quod verius negandum eſt de iis, quæ adſcribuntur Mercurio, & Orpheo. Quæ tamen ex his in hanc rem afferuntur, videri poſſunt apud Klaus (3), & alios multos, qui ab ipſo citantur.

233. Non omittam referre argumentum, quod aliqui a priori contra æternitatem Mundi ſic proponunt. Machina hujus Mundi continuo movetur, ut eſt evidens de noſtro ſyſtemate Planetario: ſed repugnat machinam, quæ continuo movetur eſſe ab æterno: ergo repugnat machinam hujus Mundi eſſe ab æterno. Probatur minor. Machina, quæ continuo movetur, eſt machina, quæ non habet durationem infinitam in uno aliquo certo loco: machina vero, quæ eſt ab æterno, eſt machina quæ habet

 dura-

(1) Chey. Princ. Filoſo. cap. 4. §. 1. num. 3. pag. 108. pag. 93. Id. Ibid. par. 7. num. 3. pag. 144.
(2) Whis. Aſtronom. Princ par. 8. (3) Kla. Metaph. num. 204 pag. 209.

durationem infinitam in uno aliquo certo loco: Atqui repugnat aliquid ſimul habere & non habere durationem infinitam in uno aliquo certo loco: ergo repugnat machinam, quæ continuo movetur eſſe ab æterno. Simili modo propugnat Suarez (1) motum, & quicquid dicatur eſſe ſucceſſive, non poſſe eſſe ab æterno contra Ariſtotelem, cujus argumenta in contrarium nulla profecto ſunt, & videri poſſunt apud Sylveſtrum Maurum (2), qui ea in ſua Ariſtotelis paraphraſi nitide de more exponit & diſſolvit. Nihilominus ſunt alii, qui profitentur ſe hujus argumentationis vim non ſentire, inter quos eſt Benedictus Pererius, qui poſſibilitatem æternitatis motus (3) *ponit tamquam probabilem, & rationi ſatis conſentaneam*. Equidem ad hujuſmodi argumentum non provoco, cum alia ſuppetant jam allata in ſe clariſſima, quæ rem ponunt extra controverſiam.

SECTIO IV.

Argumentum quoddam Cheynes contra æternitatem hujus Mundi oſtenditur inefficax.

234. ARrgumentum a Cheyne fuſe expoſitum, & inefficax ab aliis, ut Hartſoekero (4), jam olim reputatum, eſt hujuſmodi. Hic Mundus palam facit ſe non eſſe ab æterno. Aſſumptum probat, I. quia (5) fluida ut mare neceſſaria ad conſervationem hujus Mundi ut plantarum, & animalium omnium, continuo minuuntur. Recentius diminutionem continuam aquarum propugnavit Mailletus, ſive ille, qui ex hujus commentariis novam quamdam hujus noſtræ Telluris, & ſuorum incolarum, originem edidit Baſileæ anno 1749, qui exiſtimat ex quibuſdam experimentis & obſervationibus concludi poſſe, altitudinem maris decreſcere tres pedes ſingulis annis.

Sed reſpondetur, non eſſe certam hanc diminutionem aquarum

(1) Suar. Met. diſp. 29. ſec. 1. num. 9. pag. 19.
Id. de Oper. 6. dier. lib. 1. cap. 2. num. 15. pag. 11.

(2) Mau. Oper. Ariſt. tom. 3. Phyſ. lib. 8. cap. 2. pag. 226.

(3) Per. de Comm. Princip. lib. 15. cap. 13. propoſ. 4. pag. 547.

(4) Hartſ. Cours de Phyſ. Lettre a M. Clerc. pag. 6.

(5) Chey. Prin. Filoſ. cap. 4. a §. 5. pag. 90.

rum, & verius eſſe, eamdem perſeverare illarum quantitatem. Nam obſervationes propoſitæ a Mailleto maris, quod receſſit a multis locis, eliduntur ab aliis, ex quibus conſtat maria ad alia loca in aliis regionibus acceſſiſſe, ut Varenius olim adnotavit citatus contra hanc opinionem a Diario Literatorum Florentino (1) ad annum 1752 in compendio hujus operis, quod ibi oſtenditur contextum eſſe majori ex parte non ſolum ex falſis, ſed etiam chimæricis commentationibus, inter quas alii viderint, an recenſeri debeat id, quod Plutarchus ſic habet, (2) *Pharum certe, quam Homerus curſu unius diei abeſſe ab Ægypto norat, nunc partem eſſe Ægypti conſtat: non quod ipſa ſuo loco mota acceſſerit, ſed quod mare intermedium, flumine opplente, & complanante, continenti adjecta eſt.*

Neſcio an aliquis ſit, qui contra hanc objectionem adducat, quod legitur libro quarto Eſdræ, (3) *Tertia die imperaſti aquis congregari in ſeptima parte terræ: ſex vero partes ſiccaſti*, ex quo plane concluderetur non jam decrementum, ſed ſingulare incrementum aquarum maris. Sed hujuſmodi teſtimonium attendi nequit, tum quia extractum a libro apocrypho, & quidem ex eo capite, quod ſcatet fabulis, propter quas S. Hieronymus apud Calmetum (4) jam monuit, ut nemo librorum, qui Eſdræ tertius & quartus dicuntur, *ſomniis delectetur*: tum quia (5) *quantum experientia docere potuit*, dicebat jam Suarez, *probabile creditur, aut eſſe æquales, aut parum inæquales* partes ſuperficiei terreſtris aqua coopertas, illis, quæ ab aquis ſunt liberæ, quod recentiores ex dictis ſupra (§. 120) confirmarunt.

235. Inſtatur. Aquæ quantitas, quæ quotannis e mari, quod ſupponamus æqualis amplitudinis cum terra habitabili, elevatur in vapores, non compenſatur ab illa, quæ a fluminibus ad ipſum redit; Nam quando etiam flumina ad mare ſingulis annis deferrent dimidium aquæ pluviæ, deferunt enim certe multo minus, & dimidia aquæ pluviæ quantitas æſtimetur pollices 15 eſt enim alicubi minor, nihilominus quantum adhuc excedat vaporatio, ſic

(1) Giorn. de Lett. tomo 6. par. 3. art. 6. pag. 8.

(2) Plu. de Iſid. & Oſir. circa medium pag. 186.

(3) Eſd. 4. cap. 6. v. 42.

(4) Cal. Comm. tom. 3. Diſſ. in Eſdram.

(5) Sua. Oper. 6. dier. lib. 2. cap. 6. num. 5. pag. 92.

ſic colligi poteſt. Imprimis compertum eſt ab Hallejo apud Fortunatum a Brixia (1) eam vaporum copiam è mari Mediterraneo quotidie extolli, quæ ſubductis rationibus, non eſt niſi pars tertia aquarum, quæ ex Ibero, Tiberi, Pado, Danubio, Boriſtene, Tanai, Nilo, cæteriſque fluminibus in illud quotidie illabitur. Rurſus obſervatum eſt aquarum altitudinem per æſtatem ſub Zona temperata minui ſingulis diebus integro pollice, & aliis temporibus communiter dimidio pollicis, attamen habita ratione ad zonas frigidas, & ad magnam adhæſionem particularum aquæ cum particulis ſalis, quæ difficiliorem reddit illarum vaporationem, & ut major ſit vis argumenti, ſupponamus quartam tantummodo partem unius pollicis in diem vaporare: ergo erit vaporatio maris quotannis, partes unius pollicis quartas numero 365, hoc eſt pollices 91. Ergo cum mare amittat quotannis quantitatem aquæ ut 91, & recipiat per flumina quantitatem ut 15, mare continuo minuitur.

Reſp. cum Pluche (2), nego aſſumptum. Probatio etiam negatur, quoniam male æſtimatur tota moles aquæ, quæ in mare revertitur. Quantitas enim pollicum 15 redditur ab aliquibus dumtaxat fluminibus in certis regionibus magis nobis cognitis, at in aliis præſertim circa Zonam torridam longe major eſt, cum pluviæ ibi longe abundantiores ſint, quemadmodum plane demonſtrant illa etiam eorumdem locorum flumina, quæ amplitudine ſua maria ipſa æmulantur, ut fluvius Amazonum in America, & Nilus in Africa. Huic incremento addatur illud eorumdem vaporum, & pluviæ, quæ in ipſum mare directe cadunt, jamque acceptum compenſat expenſum.

236. II. Probat, quia quotidie videmus partem aliquam aquæ converti in ſubſtantias animalium, vegetabilium, mineralium, & metallorum, quæ iterum non ita facile diſſolvuntur.

Sed reſpondetur, penſatis omnibus affirmari poſſe id, quod ex fluido evaſit ſolidum, eodem modo converti iterum in fluidum. Ita caro animalium, & teneræ plantæ facile ex fluidis coagmentantur, & facile in fluida diſſolvuntur. Mineralia vero indigent multo tempore, ut concreſcant ex fluido, & multo etiam tem-

(1) Brix. Phyſ. partic num. 3077. pag. 71.

(2) Plu. ſpett. de la Nat. Entr. Le Montagnes. pag. 313.

tempore, ut in fluidum revertantur. Teſtantur hoc inſtrumenta ferrea, quæ rubigo paulatim exedit, & ab oculis ſubripit, neque quod non appareat oculis fluidum aqueum, in quod iterum diſſolutum forte ſit metallum aliquod, ſuadet in illud non eſſe diſſolutum, quandoquidem partes minimæ, & quodammodo ultimæ corporum non ſubjacent oculis, & diſperguntur per atmoſphæram, intra quam deinde uniuntur, & in guttas ipſarum unione firmantur.

237. III. Probat (1), quia quotidie maſſa ſolis decreſcit ex continua lucis ex ipſo emanatione, quæ convertitur in alia corpora: ex quo fit ut minor in dies ſit calor, ſine quo Mundus, qualis nunc eſt, conſervari nequit.

Sed reſpondetur, opinionem, quæ tenet lucem emanare continuo a ſole, non eſſe potiorem oppoſita opinione, quæ facit illam æquali modo undique diffuſam, & tunc ſolum apparentem, quando determinato quodam modo agitetur; Calorem autem in dies minui falſo evidenter dicitur reſpectu temporis, a quo per thermometra de ſingulorum annorum calore jamdiu accurate monemur: reſpectu autem antiquiorum temporum gratis dicitur, tum quia non conſtat lucem eſſe emanationem ſolis, ex qua infertur hoc caloris decrementum, tum quia data etiam ea opinione, Deus aliter conſuluiſſet reparationi ſolis, vel per prolapſum in ſolem materiæ, quæ format caudas Cometarum, cum prope Solem tranſeunt, ut ſuſpicatus eſt Nevvtonus, vel redeuntibus per aliquos mæandros in Solem ipſius effluviis, vel alio modo. Hoc unum eſt, quod cauſa eadem eſt, quoties iidem ſint effectus: Quare cum ſcriptum ſit, (2) *Cunctis diebus terræ; ſementis & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hyems, nox & dies non requieſcent*, dicendum eſt Solem, a quo illa dependent, ejuſdem fore efficaciæ, donec Terra durabit.

238. IV. probat (3), quia cum vera ſit ſententia tenens ſingulas plantas, & ſingula animalia, quæ generantur, præextitiſſe in prima planta, & primo animali ejuſdem ſpeciei, neceſſe eſſet affirmare primam in unoquoque genere plantam, & primum animal, ſi præextitiſſent ab æterno, fuiſſe infinitæ ma-

(1) Chey. Princ. Filoſ. cap. 2. §. 40. pag. 53. Id. Ibid. cap. 4. §. 6. pag. 92.

(2) Gen. 8. v. 22.

(3) Chey. Princ. Filoſ. cap. 4. §. 11. pag. 102.

magnitudinis, aliter enim non potuiſſent continere infinita jam individua. Quod eſt abſurdum auditu, & per aliquos etiam phyſice impoſſibile.

Sed reſpondetur, generationem omnium viventium myſterium nobis eſſe, nec ſententiam illam, quæ ſolet dici de involucris, poſſe dici veram, cum nullo ſufficienti modo adhuc probata fuerit, ut alibi (1) dixi.

V. Probat, quia cum genus humanum continuo augeri ſuadeant catalogi antiquiores natorum & mortuorum, comparati cum recentioribus, ſi Mundus eſſet ab æterno, terra jampridem plena eſſet hominibus.

Sed reſpondetur non conſtare hoc incrementum generis humani. Vallace quidem, Scotus Auctor, contendit contrarium ſuadere in ſua Diſſertatione de differentia in numero hominum, qui fuit olim, ac qui nunc eſt, Italice etiam edita Ligurni anno 1757. David contra Hume apud eumdem interpretem (2) ſtat contra Vallacem, etiam poſtquam illum legerat. Illud videtur potius dicendum, neque incrementum, neque decrementum hominum eſſe univerſale. Ita Italia, Hiſpania, America nunc ſunt minus populoſæ, quam olim. Gheyne dicit (3) Guilielmum Pettyum comperiſſe ex catalogis prædictis, numerum Anglicæ gentis duplicatum fere eſſe intra ſpatium annorum 360, ſed fortaſſe Pettyus non bene arguit hunc numerum ex publicis Angliæ catalogis natorum, & mortuorum, ſiquidem multi eorum, qui naſcuntur in Anglia, alio euntes commercii cauſſa, ibi moriuntur. Quare neceſſe eſt, ut catalogi natorum intra Angliam ſint longe majores catalogis ibidem mortuorum.

SECTIO

(1) Diſſ. de Cauſ. Effici. num. 247. pag.138.
(2) Vall. Saggio ſopra la differenza. Prefazi. pag. 17.
(3) Cheyn. Princ. Filoſ. cap.4. §.13. pag. 106.

SECTIO V.

Argumentum contra æternitatem Mundi quantum ad animas hominum.

239. Argumentum ita ſe habet. Animæ pro ſingulis hominibus creantur, & quidem in tempore, & ſucceſſive, nec priuſquam ſingulorum corpora concepta jam fuerint, & ad animæ infuſionem ſufficienter præparata: ergo animæ hominum non ſunt ab æterno. Prima antecedentis pars probatur, quia animæ rationales ſunt ſubſtantiæ expertes omnis compoſitionis ex pluribus partibus: ergo exiſtunt per creationem, ſcilicet nullo, quod ad ipſas intrinſecus pertineat, prius exiſtente; hoc enim importat notio creationis. Secunda pars, quæ eſt de creatione in tempore, & tertia de creatione ſucceſſiva habent pro ſe plures demonſtrationes, quas ſingillatim exponam, & ab objectionibus vindicabo per diſtinctos articulos.

Determinate pro ſecunda parte ſic arguitur. Animæ hominum ſunt pars hujus Mundi: ſed totus Mundus creatus eſt in tempore, ut Fides docet ex jam (§. 225.) dictis: ergo etiam animæ hominum. Pro tertia parte ſic. Animæ hominum habent pro ſuo attributo eſſentiali, quod ſint ſubſtantiæ deſtinatæ ad faciendum unum compoſitum cum corporibus humanis, ſive ut communius dicitur, ſint horum formæ ſubſtantiales, quod certum eſt tum ſecundum Catholicam Fidem, tum ſecundum rationem, ut ex profeſſo oſtendit Suarez (1): ergo cum aliunde non oſtendatur, creari ante corpora, dicendum eſt creari, cum exiſtunt corpora: ſed corpora exiſtunt ſucceſſive: ergo etiam animæ creantur ſucceſſive.

Quarta tandem pars de ea animarum creatione, quæ tunc fiat, quando corpora humana per generationem acquiſiverint ſufficientem organizationem, deſcendit quaſi corollarium ex ſecunda. Nam poſito, quod ſingulæ animæ creentur ſucceſſive in tempore, dicendum eſt tunc illas creari, & infundi corporibus, quando hæc perveniunt ad organizationem aptam ad vitales fun-

(1) Sua. de Anima lib. 1. cap. 12. nu. 4. pag. 64.

Digitized by Google

ctiones, tum quia fruſtra eſſent in fœtu adhuc informi, tum quia ſicuti anima recedit a corpore, cum ejus organa amplius apta non ſunt ad vitæ functiones, ita iiſdem organis nondum ſatis ad hoc munus perfectis, anima in corpore non collocabitur. Adeſt pro eadem etiam argumentum ab authoritate; Nam (1) *Theologi*, inquit Lipſius, *cenſent formatis principalibus membris, hepate, corde, cerebro, domicilium jam animæ rationali aptum eſſe, & in id venire*: & citat S. Hieronymum dicentem (2) *animam figurato corpore ſtatim creari, & immitti*. Citari rurſus poteſt Verſio ſeptuaginta, qui in verſiculo 22 capitis 21 Exodi legunt pœnam mortis indictam illi, qui ita percuſſerit mulierem prægnantem, ut abortum fecerit jam animatum, mitiorem vero pœnam, ſi fœtus nondum fuerit animatus.

ARTICULUS I.

Prima ratio creationis animarum in tempore ex Sacra Scriptura.

240. Cum dicat Scriptura loquens de exiſtentia animæ primi hominis, (3) *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*, Interpretes notant vocem inſpiravit adhibitam, ut intelligeremus animam rationalem eſſe prorſus diſtinctam, quin immo toto genere diverſam a materia corporis, eamque creatam ſimul & infuſam fuiſſe in corpus primi hominis: ergo ea non extitit ante ipſius corpus. Hoc argumentum ſatis mihi eſt pro creatione animæ Adami non ſolum in tempore, ſed etiam non ante formatum ipſius corpus.

Dices. S. Auguſtinus (4) exiſtimat animam Adami creatam fuiſſe primo Mundi die ſimul cum Angelis: & Hugo de S. Victore, Magiſter ſententiarum, & alii quidam Theologi dubitarunt de illius exiſtentia aliquamdiu ante formationem corporis: ergo etiamſi ex hac authoritate confirmetur nullam omnino animam humanam exiſtere ab æterno, attamen ex eadem concluditur creatio alicujus ſaltem animæ ante corpus.

Reſ-

(1) Lipſ. Phyſiolo. Stoic lib. 2. diſſ. 10.
(2) S. Hiero. Apol. 2. adv. Ruffin.
(3) Gen. 2. v. 7.
(4) S. Aug. de Geneſ. ad liter. lib. 7. cap. 24. num. 35. pag. 224.

Reſpondeo cum Pererio, (1) Auguſtinum ita illud citato loco dicere, ut ſimul moneat immediate, cavendum eſſe, ne hujuſmodi opinio excludatur a Scriptura, aut ratione aliqua, & cum ulterius, quæ ſuæ opinioni ſuffragarentur, proſequutus eſſet, concludere, (2) *Si poſſunt hæc melius intelligi, non ſolum non reſiſto, verum etiam faveo*: alibi vero (3) propenſum magis ſe oſtendere ad creationem hujus animæ tum, quando dictum eſt, inſpiratam illi fuiſſe. Objecti autem Theologi non ſunt comparandi cum oppoſito iiſdem numero, duce S. Thoma (4). Præterea iiſdem adverſatur, tum (5) *communis ſententia Patrum*, ut dicit Suarez, qui eos profert; tum ea ratio non parvi ponderis, quod non eſt dicendum, ſicuti dicant Adverſarii neceſſe eſt, primam animam rationalem, ad cujus eſſentiam pertinet eſſe deſtinatam ad unionem ſui cum corpore, creatam fuiſſe in ſtatu ſeparationis, qui videtur eſſe ſtatus quidam imperfectionis; quandoquidem aliunde novimus reliqua omnia, quæ primo extiterunt, facta fuiſſe in ſtatu perfecto. Tandem contra illos eſt, quod nullius momenti ſunt fundamenta, quibus eorum opinio innititur, ut idem Suarez oſtendit.

Pro creatione aliarum animarum in tempore ſic arguitur. Scriptum eſt, (6) *Qui finxit ſigillatim corda eorum*. *Dixit* (7) *Dominus extendens Cœlum, & fundans terram, & fingens ſpiritum hominis in eo*. *Spiritus* (8) *redeat ad Deum, qui dedit illum*. *Omnem* (9) *qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, & feci eum*. Creavi, inquit Segnerius (10), quantum ad animam, formavi quantum ad corpus, feci quantum ad compoſitionem unius ſubſtantiæ ex unione animæ cum corpore. *Non* (11) *uſque in finem iraſcar, quia ſpiritus a facie mea egredietur, & flatus ego faciam*, quorum verborum ſenſus magis genuinus juxta Cornelium a Lapide, qui pro eodem citat multos S. Patres, eſt, Deus non exhaurit iram ſuam, ut tantum puniat, quantum peccata merentur, quia animas ipſe

(1) Per. in Gen. lib. 4. de Creatione animæ qu. 1. pag. 296. num. 10. pag. 150.
(2) S. Aug. ubi ſupra num. 42. col. 223.
(3) Id. de Civit. lib. 12. cap. 23. col. 322.
(4) S Thom. 1. par. qu. 91.
(5) Sua. Oper. ſex dier. lib. 3. cap. 7.
(6) Pſal. 32. v. 15.
(7) Zachar. 12. v. 1.
(8) Eccle. 12. 7.
(9) Iſai. 43. v. 7.
(10) Segn. Man. 20. Ottobre pag. 118.
(11) Iſai. 57. v. 17.

creavit & inſpiravit ; Flatus enim nomen ibi (1) *animam ſine dubitatione ſignificat*, inquit Auguſtinus, advertens illud in Scriptura Latina provenire ex vocabulo, quod in textu, ex quo verſa eſt, frequenter adhibetur ad ſignificandum ſpiritum creatum. Atqui hæc loca declarant Deum eſſe omnium animarum Creatorem non alio modo, quam per ſucceſſivam ſingularum creationem pro ſucceſſiva ſingulorum corporum humanorum generatione ; ſiquidem omnes alii modi circa originem animarum hominum excogitati, abſurdi ſunt, ut infra per ſingulos diſcurrendo planum fiet : ergo. Theodoretus (2) jam olim hoc argumentum adhibuit, dicens creationem ſucceſſivam animarum eſſe dogma, in quo conveniunt omnes Scripturæ Apoſtolorum, & Prophetarum.

241. Objicitur. Ex Scriptura non poſſe determinari controverſiam circa originem animarum eſt expreſſa S. Auguſtini ſententia, quam ſæpius (3) affirmavit, propterea quod nullus ſit ipſo judice Scripturæ locus, quo perſpicue doceatur animas non fieri ex propagatione, ſed creari ; Quæ enim citantur loca ; cenſet ſuadere quidem, Deum eſſe animarum omnium conditorem, ſed utrum per quotidianam creationem ex nihilo, an per propagationem ex anima primi hominis ibidem non definiri : ergo male creatio ſucceſſiva animarum contenditur fieri certa de Fide.

Reſp. conc. antecedens, quandoquidem ut ex adjuncta ratione apparet, ſupponitur Auguſtinus dubius ſolum de modo, quo exiſterent ſucceſſive animæ hominum, non vero de earum ſucceſſiva exiſtentia, adeoque non æterna : quod adverto, quia pertinet ad præcipuam partem hujus propoſitionis. Sed *diſt. conſeq.* Male contenditur creationem ſucceſſivam animarum eſſe certam de Fide pro tempore S. Auguſtini, *conc. conſequm* : pro noſtris temporibus, quibus, quæ hanc certitudinem ſuſpende-

(1) S. Aug. de Civit. lib. 13. cap. 24. num. 3. col. 346.

(2) Theo. lib. 5. ad Græc. de Natu. homi. pag. 1093.

(3) S. Aug. epiſt. ad Hierony. olim 28. nunc 166. col. 583.

Id. epiſt. ad Optatum nunc 190, num. 17, col. 700.

Id. de peccat. merit. lib. 2. cap. 26.

Id. Ibid. lib. 3. cap. 10.

Id. lib. 5. contra Julian. cap. 9.

Id. in fine libri ad Oroſium cont. Priſcillianiſt.

Id. Retract. lib. 1. cap. 1.

Id. Ibid. lib. 2. cap. 45. & 56.

debant in S. Auguſtino, ſublata ſunt, *nego conſequ.* In hac quæſtionis parte circa animarum originem non ſolum S. Auguſtinus, ſed etiam SS. Eucherius, Fulgentius, Gregorius Magnus, & alii, locis citatis a Liberio a Jeſu (1), fuerunt jam olim ancipites. Quod illis licuit, ut in hac ipſa re advertit S. Thomas (2); Neque enim omnia, quæ vera ſunt, apparent, neque omnia, quæ credenda ſunt de Fide, definita fuerunt uſque a primis temporibus ab Eccleſia Catholica.

ARTICULUS II.

Secunda ratio ex Patribus, Conciliis, & conſenſu Doctorum.

242. PAtres, qui mihi in hac re occurrunt, ſunt. S. Hilarius, (3) *Anima hominis opus eſt Dei, carnis vero generatio ſemper ex carne eſt*; ubi inſtituens comparationem inter generationem carnis, & productionem animæ, ſatis manifeſte docet, ſucceſſivam eſſe creationem animarum, ſicuti ſucceſſiva eſt generatio carnis ex carne. S. Hieronymus, qui ſæpius (4) hanc doctrinam propoſuit, aperte pronunciat, (5) *Eccleſiaſticum eſt ſecundum eloquia Salvatoris, ... quod quotidie Deus fabricetur animas.* Quare S. Auguſtinus ad illum ſcribens jure dicebat, (6) *Hoc certe ſentis, quod ſingulas animas ſingulis naſcentibus etiam modo Deus faciat.*

S. Cyrillus Alexandrinus, (7) *Juſte*, inquit *non peccare in hac carne jubemur, quoniam eo cœpimus eſſe tempore, quo una cum corpore in hunc Mundum venimus, ac a nihilo ad eſſe pervenimus.* A nihilo autem ad eſſe pervenire nos dicit ratione animæ, ut ex ejus diſputatione perſpicuum eſt. Idem in epiſtola prima, quæ etiam legitur in collectione Conciliorum Coletiana, (8) *Homi-*

(1) Lib. Contr. tom. 1. tr. 3. cont. 12. col. 724.

(2) S. Tho. de poten. qu. 3. art. 9. 10. pag. 41.

(3) S. Hil. lib. 10. de Trin. num. 20. in edit. Veronenſi col. 334.

(4) S. Hier. lib. 3. apolog. cont. Ruffin. Id. Epiſt. ad Marcellin. Id. Comment. in cap. ultim. Eccle.

(5) Id. Epiſt. ad Pammachium contra errores Joan. Hieroſol.

(6) S. Aug. epiſ. nunc 166. col. 586.

(7) S. Cyril. lib. 1. in Joan. cap. 5. pag. 41.

(8) Conc. tom. 3. ad Conc. Epheſi. num. 13. col. 598.

Hominis anima licet natura a corpore, quod informat, diverſa intelligatur, & ſit ſua propria ratione, una tamen cum ſuo corpore oritur. Theodoretus, (1) *Formari prius*, inquit, *in alvo matris infantem, ac tum denique animari, non ita quidem ut anima præexiſtens aliunde corpori inferatur, neque ut enaſcatur e ſemine, ſed Divino inſtituto, ſicut ab initio inſita naturæ lex fuit, creationem accipiat.* S. Leo I. dicit (2) *Catholica Fides conſtanter prædicat, atque veraciter, quod animæ hominum, priuſquam ſuis inſpirarentur corporibus non fuere, nec ab alio incorporentur, niſi ab Opifice Deo, qui ipſarum eſt Creator*. Et alibi (3) docet eo modo nobis animas inſpirari, quo fuit inſpirata Chriſto, quam a Deo creatam fuiſſe, & non ex Virgine Matre propagatam certum eſt, ut docent S. Auguſtinus (4), & alii Patres citati a Fortunato a Brixia (5), & S. Thomas (6).

S. Auguſtinus etſi nec pro, nec contra in hac controverſia citari poſſit, quippe qui profeſſus eſt originem animæ ſibi latere, attamen citari poteſt, ut maxime in ſententiam jam certam inclinans & vehementer deſiderans, ut quis eam veram eſſe demonſtraret. Scribens enim ad Renatum Monachum contra duos libros, quos de animæ origine Vincentius quidam Victor conſcripſerat, (7) *Quicunque*, inquit, *volunt defendere, quod dicuntur animæ novæ naſcentibus inſufflari, non de parentibus trahi, non ſolum me non vetante, ſed etiam favente, & gratias agente defendant*: Et alibi, (8) *Optarem, ut hæc ſententia* (de creatione animæ in tempore) *vera eſſet, ſicuti opto, ut ſi vera eſt, abs te liquidiſſime & invictiſſime defendatur*. Et alibi, (9) *Defende quantum potes, atque aſſere animarum infantium ejuſmodi eſſe novitatem, ut nulla propagatione ducantur.* Quare concludit Eſtius, (10) *Si Auguſtinus in alterutra parte quæſtionis ponendus eſſet, potius adjungendus erit iis, qui dicunt animas in ſingulis recenter creari.* 243.

(1) The. lib.5. ad Grecos. de Natur. homi. pag. 1093.

(2) S. Le. epiſ. ad Turib. 93. cap.10. in to.4. Concili. per Coletum. col. 665.

(3) Id. Epiſ. 11. ad Julian. Ibid. pag. 787.

(4) S. Aug. de Gen. ad lit. lib. 10 cap.19. num.34. col.270.
Id. Enchir. num.11. col.210.

(5) Bri. Metaph. par.2. diſſ.1.

(6) S.Thom. lib.4. con. gent. cap.33

(7) S. Aug. de Anima & Ejus orig lib.1. num.33.

(8) Id. epiſ. ad Hierony. nunc 166. num.26. col 593.

(9) S.Aug. Epiſ. ad Optatum num.15. col.703.

(10) Eſt. in 2. diſt. 17. in fine §.13. pag. 153.

243. A Conciliis habemus pro creatione animarum noſtrarum, qualis propugnatur, Decretum Leonis X, lectum & approbatum in Concilio Lateranenſi V, quod (1) *anima intellectiva pro corporum, quibus infunditur multitudine ſingulariter multiplicabilis, multiplicata, & multiplicanda ſit*. Proponere enim credendum animas rationales eſſe multiplicandas, idem eſt ac illarum ſucceſſivam creationem decernere, ſiquidem non poſſent dici multiplicandæ, ſi, quæ generatis corporibus quotidie conjunguntur, jam olim præextitiſſent.

Ex Doctoribus ſunt omnes Theologi, ex quibus ſatis eſt audire omnium Principem S. Thomam (2), *ſequitur*, inquit, *quod nec animæ fuerunt ante corpora. Huic autem veritati Catholicæ fidei ſententia concordat, dicitur enim in Pſal. 32. Qui finxit ſingillatim corda eorum, quia ſcilicet unicuique ſeorſum proprie Deus animam fecit, non autem ſimul omnes creavit*. Addi fortaſſe poteſt conſenſus vulgi ipſius, apud quem peſſime ſentiret, ut obſervat Bellarminus (3), qui animas non creari a Deo publice doceret.

ARTICULUS III.

Tertia ratio ab excluſione aliarum opinionum. Excluditur illa quod animæ ſint pars Dei.

244. OPinio dicens animas hominum eſſe particulas ſubſtantiæ Dei eſt manifeſta hæreſis, de qua expreſſe loquens S. Leo I. dicit illam (4) *a Catholica Fide damnari*: eaque damnata reipſa eſt in Concilio Bracarenſi anno 563 celebrato, quod olim primum, ſed nunc poſt editionem Conciliorum Labbeanam ſecundum dicitur, reclamante Antonio Pagio in nova eorumdem collectione Coletiana (5): execrata tamquam *inſania & amentia* a S. Jo. Chryſoſtomo (6): omnino ſacrilega appellata:

(1) Late. Seſſ. 8. tom. 19. Concil. col. 842.

(2) S. Tho. lib. 2. cont. Gent. cap. 83. in fine.

(3) Bell. de Amiſſ. Grat. lib. 4. cap. 11. §. Ad quæ teſtimonia pag. 234.

(4) S. Leo. Epiſt. 93. ad Turib. cap. 5. pag. 659.

(5) Brac. can. 5. Concil. tom. 6. col. 518.

(6) Chry. in Geneſ. hom. 13. num. 2. juxta Montfauc. pag. 101.

ta a S. Auguſtino (1), & expugnata a S. Doctore, & a S. Hieronymo, quorum verba recitat Fortunatus a Brixia (2), quippe quæ Deum faciat diviſibilem, mutabilem, & peccato obnoxium, cum animæ humanæ tot ſint, quot ſunt homines, & tot mutationibus ſubjiciantur, quot diverſis continuo cogitationibus & affectionibus afficiuntur, in quibus frequenter honeſtas & rectitudo deſideratur. Quare plures etiam ex Ethnicis Philoſophis, quos citat Huetius (3) illam repudiarunt ſtatuendo animas a Deo conditas eſſe.

245. Hæc opinio fuit multorum veterum, eamque non ſolum extenderunt ad animas hominum, ſed etiam brutorum. Ex horum ſententia dixit Virgilius (4).

Eſſe quibus partem divinæ mentis, & hauſtus.
Æthereos dixere; Deum namque ire per omnes
Terraſque, tractuſque maris, cælumque profundum.
Hinc homines, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenuem naſcentem arceſſere vitam.

Jamblichus (5) apud Ægyptios illam invaluiſſe ſcribit. Idem de Pythagora & Varrone dicit ex S. Auguſtino S. Bonaventura (6). Idem de Chaldæis refert Stanlejus (7). Theodoretus (8), & deinde Jo. Chriſtophorus Wolfius (9), & Buddæus (10) contendunt in ea fuiſſe etiam Platonem. Equidem video exiſtentiam Dei ab illo (11) demonſtrari ex eo, quod aſſignari debeat in rebus corporeis, quas videmus ordinatim moveri, aliquod principium motus illorum, quod dicit eſſe id, quod poteſt ſe ipſum movere, & anima ſolet vocari. Ex quo concludit animam & animas eſſe corporibus, & iis omnibus, quæ ad ipſam pertinent, antiquiorem, immo æternam, & ipſam eſſe omnium mutationum, quas videmus, cauſam, ut tandem ſic concludat: *Ita*

(1) S. Aug. de Gene. ad lite. lib. 7. num. 3. col. 212.
Id lib. 1. de Anima & ejus origine num. 24. alias cap. 15.
(2) Brix. Metaphy. par. 2. diſſ. 1. ſec. 3. num. 122. pag. 169.
(3) Hue. Concord. rat. & Fid. lib. 2. cap. 8. pag. 152.
(4) Virg. lib. 4. Georg. a v. 221.
(5) Jamb. de Myſt. Ægyp. c. 8. ſec. 8.
(6) S. Bon. in 2. diſt. 18. art. 2. qu. 1. pag. 228.
(7) Stan. Philoſ. Hiſtor. De Philoſ. Chald. ſec. 2. cap. 10.
(8) Theo. ad Græcoſ. de Natur. lib. 5. pag. 1091.
(9) Wolf. Manichæ. pag. 143.
(10) Budd. Athemm. cap. 3. §. 2.
(11) Pla. de Legib. lib. 10. pag. 591.

(1) *Ita ergo iſtis* (animis) *conceſſis, poteritne aliquis negare plena Deorum omnia eſſe*? Tullius etiam hujus opinionis Platonem eſſe cenſuit, qui ex ejus mente dixit, (2) *Humanus animus decerptus ex mente Divina cum alio nullo, niſi cum ipſo Deo comparari poteſt*. Cum hæc & ſimilia ad accuſandum de hoc errore Platonem proferantur, non deſunt alia, quæ ex ipſius operibus colligi poſſunt, quibus vel abſolvatur, vel ejuſdem ſemper opinionis non fuiſſe oſtendatur. Illum certe abſolvit alia ipſius opinio de anima & quidem intelligenti, qua univerſum Mundi corpus informavit; Etenim inquit (3) *Fas non erat quicquam niſi pulcherrimum facere eum, qui eſt optimus. Quocirca dicendum eſt hunc Mundum animal eſſe, idque intelligens, revera divina providentia conſtitutum*. Sed de hac Mundi anima inferius redibit ſermo, nunc proſequar alios nominare, qui animas eſſe Dei partem dixerunt: Hoc idem Tullius tribuit Pythagoreis, de quibus dicit, (4) *illos nunquam dubitaſſe, quin ex univerſa mente Divina delibatos animos haberemus*: & alibi admiratur, quomodo non viderint, (5) *per diſtractionem humanorum animorum diſcerpi & dilacerari Deum*. De Euripide ſimiliter iterum iterumque teſtatur, illum (6) hominis mentem atque Deum auſum eſſe nulla prorſus inter ſe ratione diſcernere. Quare dum ipſe Tullius dicit de Animo, (7) *jurarem eſſe Divinum*, frequentiſſime repetens hoc attributum Divini de eo loquens, & ejus potentiis, nihil aliud ſignificat, niſi animum non eſſe quid ex mortali terrenaque natura concretum. Eadem ſententia reperitur in Seneca, cujus hæc ſunt verba, (8) *Ratio nihil aliud eſt, quam in corpus humanum pars divini ſpiritus merſa*. Idem ſenſiſſe Stoicos teſtatur S. Hieronymus (9), & fuſe probat Bruckerus (10), & Thommaſius (11). Stoicis conjungit Yvon Peripateticos, facile acquieſcens paucis quibuſdam, & leviſſimis argumentis, ut quod ſibi propoſuit, videatur tueri, ſcilicet ex vete-

 ribus

(1) Id. Ibid. pag. 594.
(2) Tull. Tuſc. lib. 5. num. 38. pag. 628.
(3) Pla. Timæ. pag. 473.
(4) Tull. de Seneſt. cap. 21. pag. 450.
(5) Id. de Nat. Deor. num. 27. pag. 277.
(6) Id. Tuſc. lib. 1.
(7) Id. Tuſc. lib. 1. num. 24. juxta Olivet pag. 318.
(8) Sen. Epiſ. 66.
(9) S. Hier. Epiſ. inter Auguſtinianas nunc 165. num. 1.
(10) Bruck. tom. 1. pa. 2. lib. 2. cap. 9.
(11) Thom. De Exuſt. Mundi Stoica Diſſ. 21.

ribus Philoſophis (1) *Omnes, qui crediderunt animam eſſe ſubſtantiam, propugnaſſe unanimiter eſſe partem ſeparatam a quodam toto, & hoc totum eſſe Deum*. Gennadius apud Jacobum Pamelium (2) eamdem ſtultitiam tribuit etiam Tertulliano. Sed Pamelius ipſe oſtendit hoc fieri injuria. Eſt Philo Judæus ejuſdem propugnator in libro, quem inſcripſit, *quod deterius inſidiatur poſteriori*. Sunt & Manichæi docentes ex repetita relatione S. Auguſtini, animam eſſe (3) *quamdam portionem Dei, & membrum ejus, vel prolem de ipſa ſubſtantia Dei, mixtam adverſis poteſtatibus, & non a Deo creatis naturis*, quos eodem Auguſtino teſtante (4) ſequuti ſunt Gnoſtici & Priſcillianiſtæ. Fuit in eadem aliquando perverſitate Vincentius quidam Victor in Africa, ad quem ſcripſit Auguſtinus libros duos ex quatuor, quos compoſuit de Anima, & ejus origine, quibus victum ſe confeſſus eſt, & de emendatione ſua literas ad eumdem Auguſtinum, ut ipſemet (5) refert, ſcripſit. Pererius (6), & alii citati in editione Lactantii facta per Jo. Baptiſtam le Brun, & Nicolaum Lenglet du Freſnoy, Lactantium ipſum de eodem errore accuſant, propterea quod in libro, *de Origine erroris*, hæc habet, (7) *Ficto Deus hominis corpore, ſpiravit ei animam de vitali fonte Spiritus ſui*: & infra, *anima ex Deo oritur*, & contraponens animas hominum illis pecudum, has dicit *non ex Deo conſtantes eſſe*, quaſi illæ ex Deo conſtent. Rurſus in libro *de Vita Beata* loquens de ſeparatione corporis ab anima in morte hominis, (8) *Utrumque*, inquit, *in naturam ſuam recedit: quod ex terra fuit, id in terram reſolvitur: quod ex cœleſti ſpiritu, id conſtat ac viget ſemper, quoniam divinus ſpiritus ſempiternus eſt*. Nihilominus Eduardus a S. Xaverio, qui nuper novam editionem protulit operum Lactantii, eum liberat ab hac nota per benignam earum loquutionum interpretationem. Author tandem eſt Bernierius (9) hanc hiſce temporibus apud Indos quoſdam, & Philoſophos Perſas vigere de anima ſententiam.

246.

(1) Yvon. in Encyclop. art. Ame ſub initium pag. 275.
(2) Pam. Antid. ad Paradoxa Tertullian. 7. pag. 37.
(3) S. Aug. Conf. lib. 7. cap. 2. col. 133.
(4) Id. de Hæreſ. cap. 6. 46. & 76.
(5) Id. lib. 2. Retr. cap. 56. col. 71.
(6) Perer. in Gen. lib. 4. De formatione corporis humani pag. 253.
(7) Lact. de Orig. err cap. 13. pag. 165.
(8) Id. de Be. Vit. cap. 12. pag. 54.
(9) Ber. Mem. du Mogol. pag. 202.

Digitized by Google

246. I. Objicitur pro hac opinione. Scriptum eſt, (1) *Formavit Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*: ſed hoc innuit Deum dediſſe homini particulam ſubſtantiæ ſuæ: ergo.

Reſp. nego min. Imprimis enim illud ſignificat datam fuiſſe homini animam rationalem tam facile creatam, quam facile quis reſpirat: (2) *Per hoc*, inquit Theodoretus, *Scriptura facilitatem creandi demonſtravit, & ipſius animæ naturam obſcure declaravit, nempe ipſam eſſe ſpiritum creabilem, inviſibilem, & intellectivum*. Deinde tantum abeſt, ut ea loquutio ſuadeat, quod objicitur, ut id potius excludat, quemadmodum poſt S. Auguſtinum (3), obſervat S. Thomas (4), *qui corporaliter inſufflat in faciem alicujus, unde videtur ſumpta eſſe metaphora, aerem in faciem ejus impellit, non autem aliquam ſuæ ſubſtantiæ partem in ipſum emittit*. Porro per illa verba, *Spiraculum vitæ*, ſignificari animam rationalem, certum eſt ex Apoſtolo (5), qui docens corpus humanum initio conditum fuiſſe animale, illudque poſt reſurrectionem futurum ſpiritale, probat ex illo Geneſeos, *Factus eſt homo in animam viventem*, quæ verba immediate ſequuntur illa alia, *inſpiravit ſpiraculum vitæ*. Ex quo fit ut illi ex Patribus, quos citant Bellarminus (6), Suarez (7), & Maurini in ſua S. Auguſtini editione (8), qui intelligunt allata verba de Gratia Spiritus Sancti, vel ſequi dicendi ſint ſenſum myſticum, non literalem, vel *parum conſiderate* ſe geſſiſſe, quod fuſius citato nuper loco propugnat Auguſtinus. Quæ ideo dicta ſunt, ne forte quis, ut recenter fecit Grotius (9), poſſit eripere nobis textum quemdam Scripturæ, qui dilucide probat, animam ſaltem primi hominis immediate creatam fuiſſe a Deo, & eſſe aliquid omnino diverſum a materia.

247. II. Objicitur. Deus ſignificans ſe deleturum hominem dixit, (10) *Non permanebit ſpiritus meus in homine.* Alibi ſcriptum eſt, (11) *Revertatur pulvis in terram, & ſpiritus redeat ad*

 Deum

(1) Gen. cap. 2. v. 7.
(2) Theod. in Gen. qu. 23. pag. 8.
(3) S. Aug. de Gen. ad lit. lib. 7. nu. 3.
(4) S. Tho. lib. 2. cont. Gent. cap. 85.
(5) I. ad Corinth. cap. 15. v. 45.
(6) Bell. de Gratia primi Hom. cap. 9.
(7) Sua. Oper. 6. dier, lib. 3. cap. 7. num. 5. pag. 149.
(8) Maur. ad lib. 13. de Civit. cap. 24.
(9) Grot. in cap. 2. Geneſ. v. 3.
(10) Gen. 6. v. 3.
(11) Eccle. cap. 12. v. 7.

Deum, qui dedit illum, ubi ſicuti dicitur corpus eſſe terram, ita ſignificatur, animum eſſe partem Dei: ergo juxta Scripturam anima noſtra eſt pars Dei.

Reſp. concedo textus, & nego peſſimam interpretationem. Locus Geneſeos ſignificat, Deum morte affecturum genus humanum, in qua fit ſeparatio animæ a corpore, quam vocat ſpiritum ſuum, quia ab eo illi donata & inſpirata fuit. Locus autem Eccleſiaſtes affirmat, ſpiritum poſt ejus diſſolutionem a corpore permanſurum, & quoniam a Deo ut ipſius creatore exivit, ad illum rediturum, ut Creatorem, & etiam Judicem.

III. Objicitur. S. Juſtinus interroganti, (1) *Num anima Divina & immortalis eſt, & ipſius regiæ illius mentis particula? & quemadmodum illa Deum videt, ita conſequi poſſumus, ut mente noſtra Divinum Numen complectamur, atque inde ſimus beati?* reſpondet, *omnino inquam.*

Reſp. cum diſtinctione, & illa Juſtini affirmatio intelligi debet tamquam cadens in ultimas dumtaxat interrogationis partes, *concedo*: in totam interrogationem, *ſubdiſtinguo*, & hoc dicit Juſtinus juxta ſententiam Platonicorum, a quibus nondum receſſerat; Nam hæc narrat ſe colloquutum, cum nondum converſus eſſet ad Chriſtianam Religionem, *concedo*, aliter *nego*. Hæc reſponſio videtur legitima: ſed ſi quis contrarium putet, tunc dicam haberi hic vel lacunam, vel nævum aliquem ex iis, quos Nourryus (2) fatetur in hoc Juſtini dialogo haberi.

ARTICULUS IV.

Excluditur opinio creationis omnium animarum ſine ullo corpore ab initio Mundi.

148. OPinio dicens animas hominum creatas fuiſſe omnes ſimul cum Angelis, & in Cælo collocatas, cujus tædio affectæ terrena amare cum cœperint, vel aliter peccaverint, fuiſſe in pœnam detruſas a Deo in corpora, tamquam in carce-

(1) Juſt. Dialo. cum Tryphone nu. 4. pag. 106. Edit. Maur.

(3) Nour. Apparatus ad Biblioth. Diſſ. 2. de S. Juſtini operibus par. 1. cap. 4. §. 7. col. 380.

carcerem, eſt hæretica. Habemus enim in Scriptura, ut S. Auguſtinus non ſemel (1) obſervat, Eſau & Jacob (2) nondum natos nihil egiſſe boni aut mali, & alia plura, quæ adducit Valentia (3). Rurſus Scriptura narrans creationem hominis tantum abeſt, ut dicat animam præextitiſſe corpori, ut potius inſinuet corpus præextitiſſe animæ, quæ eſt expreſſa multorum Patrum & Doctorum opinio, qui obſervant prius legi, (4) *Formavit hominem de limo*, & deinde, *inſpiravit ſpiraculum vitæ*: vel certe non extitiſſe niſi corpore jam perfecto, quorum utrumque uno & eodem temporis puncto factum volunt alii apud Pererium, tum loco ſupra (§. 240.) citato, tum alibi (5): quibus adhæret Eſtius (6). Hinc opinio, de qua nunc agimus, damnata eſt a prædicto (§. 244.) Bracarenſi II, cujus eſt canon ſextus: *Siquis animas humanas dicit prius in cæleſti habitatione peccaſſe, & pro hoc in corpore humano in terram dejectas, anathema ſit*. Et a quinta Oecumenica Synodo, ſive a Concilio Conſtantinopolitano II, cujus canon eſt (7): *Siquis fabuloſam animarum præexiſtentiam, & quæ ex illa conſequitur, monſtruoſam reſtitutionem aſſeruerit, anathema ſit*. Huc facit Canon Lateranenſis Concilii ſupra etiam relatus definiens, *animam rationalem pro corporum, quibus infunditur multitudine, ſingulariter eſſe multiplicabilem, multiplicatam, & multiplicandam*: Quod ultimum verbum aperte declarat non eſſe ſimul omnes animas creatas; eſſent enim tunc multiplicatæ quidem, ſed non multiplicandæ. Eadem appellatur *ſtulta perſuaſio* a S. Hieronymo (8), quippe quæ facit Deum conditorem hominum, qui corpore & anima rationali conſtant, ex parte antiquiſſima, & per plura ſæcula quaſi expectante ſuum complementum, ad quod deſtinata eſt, præter alias rationes, quibus ſupra (§. 240.) impugnari vidimus exiſtentiam animæ Adami ante formationem corporis, quæ hic pariter locum habent. Atque cum non ſolum citato loco, ſed in aliis etiam

(1) S. Aug. Retract. lib. 1. cap. 1. nu. 3. col. 4
Id. epiſ. ad Optatum num. 4. col. 701.
(2) Ad Rom. cap. 9. v. 11.
(3) Val. in 1. pa. diſp. 4. qu. 1. pun. 2. pag. 1107.
(4) Gen. cap. 2. v. 7.
(5) Per. in Gen. lib. 4. Formatio corporis. qu. 4. pag. 292.
(6) Eſt. in 2. diſt. 17. §. 3. pag. 145.
(7) Conſt. Concil. tom. 6. juxta Coleti col. 123.
(8) S. Hier. Epiſt. inter Auguſtinianas nunc 165. num. 1. col. 582.

etiam contra hanc opinionem declamaverit Hieronymus (1), mirari poſſumus cum Pererio (2) errorem Ruffini, qui illum dixit cum Origene ſentire. Eadem vehementer reprehenſa ab aliis Patribus eſt, Epiphanio (3), Teophilo (4) & Cyrillo (5) Alexandrinis, & a S. Auguſtino, qui retractavit dubitationem, quam aliquando de hac re habuit, & variis in locis ab Eſtio (6) citatis expreſſit: & ab omnibus Theologis cum S. Thoma (7), & S. Bonaventura (8), utpote quæ contradicit Scripturæ, ut jam vidimus, & ut colligitur ex aliis, quæ inferuntur, cujuſmodi hæc ſunt: Si corpus creatum eſt in ſupplicium & carcerem animæ, jam ſequitur, compoſitum humanum non eſſe aliquid bonum, contra id, quod poſt hominis formationem habetur, (9) *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat & erant valde bona*: Et Matrimonium eſſe illicitum contra illud hominibus a Deo dictum, (10) *Creſcite & multiplicamini*: Et non fuiſſe punitionem ſcelerum generis humani, perditionem illius per diluvium aquarum, utpote liberationem animarum a ſuis carceribus: Nec fuiſſe beneficia, liberationem Noe & familiæ ejus a ſubmerſione, nec vitam productam Ezechiæ oranti, nec liberos conceſſos Annæ ſupplicanti, nec Lazarum a mortuis excitatum ad preces ſororum, nec alium in Civitate Naim ad preces matris, cum hæc ſint detruſio animarum in carcerem. Alia argumenta uſque ad vigintiquatuor contra hanc opinionem protulit S. Cyrillus citatus, e quibus aliqua ex illo recentius adduxit Liberius a Jeſu (11).

249. Hanc opinionem de præexiſtentia omnium animarum in Cælo, ex quo in pœnam contractæ culpæ fuerint in corpora detruſæ, defendit Origenes, ut ex ipſo pluribus in locis (12), & ex

(1) Hier. epiſ.8. ad Dometriadem in fine.
Id. epiſ. 139. ad Cyprian.
Id. epiſ.150. ad Hediliam qu. 1.
Id epiſ.66. ad Pammachium.

(2) Per. in Gen. lib.4. de Creation. animæ. qu.1.

(3) Epiph. Epiſ. ad Joan. Hieroſoli.

(4) Theoph. lib.1. Paſchal.

(5) Cyri. lib.1. in Joan. cap.9.

(6) Eſt. in 2. Diſt. 17. §.9. pag.150.

(7) S.Tho. lib.2. cont. Gent. cap.83.
Id. 1. pa. qu.65. art.2.

(8) S. Bon io 2. diſt.18. art.2. qu.2. pag 229.

(9) Gen. cap. 1.

(10) Gen. cap.7. v.22.

(11) Lib.Controv. tom. 1. tra.3. Controv. 13. col.740.

(12) Orig. de Princip. lib. 2. cap. 9. & alibi.

Digitized by Google

ex S. Auguſtino (1), aliiſque multis citatis a Suarez (2), colligitur, quem deinde ſequutus eſt Priſcillianus, Abulæ Epiſcopus in Hiſpania. Eadem placuit aliquibus Rabbinis Hebræorum, ut intelligi poteſt ex Rabbi Salomone (3). Eadem invenitur apud Nemeſium (4), ex quo etiam capite jure arguitur a Bellarmino (5), opus *de Natura hominis* eſſe Nemeſii, & non S. Gregorii Nyſſeni, cui adſcriptum fuit; Nam Nyſſenus in libro *de Opificio Hominis*, qui ſine controverſia ipſi tribuitur, opinionem hanc ex profeſſo (6) impugnat. Eamdem olim tenuiſſe Doctores aliquos Catholicos author eſt S. Hieronymus (7). Eidem præluſerunt antiqui Philoſophi, quos Sandius (8) contendit eſſe maximam partem. Inter hos certe eſt Socrates, cujus fundamentum pro hac opinione inferius referam. Alios nominat Eduardus Stillingfleetus (9) putans illos in hanc opinionem deſcendiſſe ex revelatione male intellecta, vel ſtudioſe velata, qua ſcimus hominem creatum fuiſſe in Paradiſo, ubi tam ipſe, quam nos ejus poſteri in ipſo moraliter, utpote in capite totius noſtris generis jam exiſtente, obtinuiſſemus felicitatem, niſi peccato ſe coinquinaſſet, quod ſibi poſteriſque ſuis calamitates omnes promeruit. Aliter Plato eiſdem præluſit in Timæo, cum docuit Mundum hunc a Deo creatore informatum anima quadam univerſali, cujus veluti partes quædam ſint animæ hominum, ſimili modo ac corpus humanum eſt pars corporis Univerſi. In quo ſequutus creditur ſe[illegible] antiquiores, Orpheum, qui auctore Stobæo dixit, *unum eſſe generalem animam, ex cujus multiplici diviſione particulares animæ oriantur*, & Heraclitum, qui ut habet Theodoretus, (10) *animas hominum corporibus liberatas concedere ait ad Mundi totius animam, utpote quæ ſit ejuſdem generis & ſubſtantiæ*. Ubi autem diſtinctius de iſtis Animæ univerſalis ſciſſionibus ad effectionem ſingularum animarum loquitur Plato, propius accedit ad Origenis hæreſim; Nam inquit ibidem; *cum univerſum conſtituiſſet*

(1) S. Aug. de Civit. lib. 11. cap. 23. col. 189.

(2) Suar. Oper. 6. dier. lib. 1. cap. 1. num. 8. pag. 5.

(3) Salom. Commen. in cap. 33. Deuteron.

(4) Nem. cap. 2. pag. 31.

(5) Bell. de ſcript. Eccleſi. pag. 83.

(6) Nyſſ. cap. 28. & 29.

(7) Hier. Ad Marcellinum epiſt. in Auguſtinianis nunc 165. num. 1. col. 582.

(8) Sand. de Origine Animæ.

(9) Stillin. Origin. Sacræ lib. 3. cap. 3. num. 15. pag. 351.

(10) Theod. lib. 5. ad Græcoſ. de Nat. homi. pag. 1091.

Digitized by Google

tuiſſet Deus, aſtris parem numerum diſtribuit animarum, ſingulis ſingulas adhibens, eiſque tamquam vehiculo impoſitis monſtravit univerſi naturam, quas deinde deſiderio habendi corporis dixit in has terras deſcendere, ubi quæ ſtultam duxerint vitam, vult alternantibus vicibus tranſire in corpora ſuis meritis debita ſive hominum, ſive beſtiarum. Qua interea parte Plato ſentit cum Origene, ex iis, quæ jam dicta ſunt, ipſe pariter confutatur. Theodoretus (1) urget aliam ejuſdem impugnationem ex contradictione, qua ipſum coarguit, comparans ſimul, quæ diverſis in locis docuit: Qua autem parte Plato addit de ſuo, eſſe animas partem animæ cujuſdam univerſalis, præterquam quod ridicula eſt hæc opinio de anima, quæ mundum reddat unum animal, certe illius partes nequeunt eſſe animæ hominis, niſi tribuamus ſpirituali ſubſtantiæ partes, quod eſt contra eſſentialem ipſi ſimplicitatem, vel excludamus omnem ſubſtantiam ſpiritualem, & animas materiales, vel alia multa abſurda & hæretica dicamus, quæ S. Bonaventura (2) jam obſervavit.

250. I. Objicitur pro hac opinione. Homines cum gemitu vitam incipiunt, trahunt, & claudunt: ſed non cohæret cum bonitate creatoris talem velle eſſe vitam hominum, ſi prius non præextitiſſent animæ, & peccaſſent, & in pœnam peccati ad hanc vitam fuiſſent damnatæ: ergo præextiterunt jam olim animæ & peccarunt, & in pœnam ſuorum peccatorum in talem vitam ſunt damnatæ.

Reſp. conc. maj. & diſt. min. Non cohæret cum bonitate Dei miſera hæc noſtra vita, non ſuppoſita culpa primi hominis, a qua tamquam a vitiata radice omnes nos quaſi totidem ſurculi exiſtimus, *omitto min.* non cohæret ſuppoſita hujuſmodi culpa, *nego min. & conſeqam*. Quod omittitur, ideo fit, quia non eſt hujus loci quærere, an Deus potuerit creare hominem in ſtatu puræ naturæ. Hoc certum eſt, quod nequit ſine falſitate dici Deum non potuiſſe creare hominem ſubjectum morti, & conſequenter iis, quæ mortem efficiunt, quippe damnatæ ſunt hæ propoſitiones Baii, 55. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur*. Et 77. *Immortalitas primi homi-*

(1) Id. Ibid. pag. 1090. pag. 228.
(2) S. Bon. in 2. diſt. 18. ar. 2. qu. 1.

minis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis ejus conditio. Illud tamen cum Bellarmino dici poteſt, quod etſi (1) *remota revelatione Divina non poſſit certo ſtatui corruptionem humanam pœnam eſſe peccati, tamen hac revelatione jam habita, non mediocriter ratio naturalis fidem ipſam corroborat. Omnino enim veriſimile eſt, non fuiſſe Deum optimum, & noſtri generis amantiſſimum, conditurum hominem tam miſerum, quam nunc eſt, niſi peccati noſtri magnitudo tale ſupplicium meruiſſet*. Quod conſonat S. Auguſtino referenti, quod (2) *hujus evidentia miſeriæ Gentium Philoſophos, nihil de peccato primi hominis ſive ſcientes ſive credentes, compulit dicere, ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vita ſuperiore, pœnarum luendarum cauſſa nos eſſe natos*.

251. II.Objicitur. Tranſitum animarum ab uno loco, in quo prius fuerant, & peccaverunt, in corpus tamquam in carcerem, docent hæc Scripturæ loca, (3) *Revertere anima mea in requiem tuam*. (4) *Priuſquam humiliarer, ego deliqui*. (5) *Educ de cuſtodia animam meam*. (6) *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*.

Reſp. nego aſſumptum. Primus enim ex citatis locis eſt exhortatio ad tranquillitatem, quam Propheta ſibi facit poſt ſuperata pericula, & anxios timores. Secundus eſt confeſſio peccati extorta ab experientia pœnæ, & humiliationis. Tertius eſt oratio ad Deum, quam facit Propheta latens in ſpelunca ob timorem Saulis, ut ſe ab illa aliquando liberet, & a cauſa illius latibuli: & quando accipiatur cuſtodia pro corpore, dicendum idem petere, ac Apoſtolus, qui dicebat, (7) *Quis me liberabit de corpore mortis hujus*, ideſt de corpore mortali; Nam (8) *corpus quod corrumpitur, aggravat animam*. Quarto reſpondetur, quod venit in Mundum quilibet homo, qui non ſolum fuerit jam alibi, ſed etiam qui nullibi prius fuerit, quia non fuit: & in ſecundo ſenſu accipitur illud Joannis, non in primo.

252. III. Objicitur. In Evangelio Joannis Chriſtus diſcipulis interrogantibus, (9) *Rabbi quis peccavit hic, aut parentes ejus*, *ut*

(1) Bell. de Amiſſ. Grat. cap. 15.
(2) S. Aug. lib. 4. contra Julian. cap. 16. num. 83.
(3) Pſal. 114.
(4) Pſal. 118.
(5) Pſalm. 141.
(6) Joan. 1.
(7) Ad Rom. 7.
(8) Sap. 9.
(9) Joan. 9. v. 1.

ut cæcus naſceretur? non dixit falſam eſſe ſuppoſitionem præexiſtentiæ animæ illius cæci, quam includebat illa interrogatio: ergo conceſſit Chriſtus aliquo modo illam ſuppoſitionem.

Reſp. Nego ſuppoſitum antecedentis, quod ſcilicet interrogatio illa Apoſtolorum includat ſuppoſitionem præexiſtentiæ animarum. Ecquis hominum poteſt alterius mentem perſcrutari? Siqui ſunt interpretes, qui illam dicant includi, ſunt ex oppoſito alii, qui id negant. Utroſque citat Maldonatus (1). Qui negant, dicunt, interrogationem illam huic æquivalere. Quanam culpa actuali factum eſt, ut ille natus ſit cæcus? quoniam ipſe quidem antequam naſceretur, non poterat peccare: Parentum vero peccata non videntur debere afficere eos, qui naſcuntur. Cæterum hoc omiſſo, dici nullo modo poteſt Chriſtum conceſſiſſe illam ſuppoſitionem, cum ipſius reſponſio fuerit, *neque hic peccavit, neque parentes ejus, ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo*.

IV. Objicitur. Scriptum eſt apud Job, (2) *Ecce Behemoth, quem feci tecum*, cujus nomine venit juxta Interpretes apud Calmet, aut bellua vel in genere vel in ſpecie, aut Diabolus: ſed ſi hæc facta ſunt ſimul, jam anima Job facta eſt ſimul cum Diabolo vel animis brutorum: ergo.

Reſ. conc. maj. & nego min. Quocunque enim modo interpretetur Behemoth, *feci tecum* idem ſignificat, ac ipſe ego feci illum, non ſecus ac te. Quod ſi accipiatur pro Diabolo, tunc ex S. Bonaventura (3), *feci tecum* idem eſt, ac ſimilem tibi, præditum ſcilicet ratione.

ARTICULUS V.

Excluditur opinio creationis omnium animarum ab initio Mundi intra totidem corpora.

253. OPinio ſtatuens animas rationales conditas omnes eſſe ab initio Mundi, non tamen ſeparatas ab omni corpore, ſed illi conjunctas, eodem modo refutatur, ac illa, de qua imme-

(1) Mald. Comm. in Evang. pag. 747.
(2) Job. 40. v. 10.
(3) S. Bon. in 2. diſt. 18. art. 2. qu. 2. ad 1. pag. 230.

immediate ante dictum eſt. Hanc tenent Mahometani juxta Alcoranum apud Anglos Hiſtoriæ Univerſalis Authores (1). Eamdem tenere viſi ſunt Henricus Morus, Helmontius filius, & Guillielmus Wander citati a Leibnitio (2). Illam aperte admiſit Leibnitius ipſe (3), eamdemque, prout ab ipſo propoſita fuit, referens Yvon (4) non improbavit: contentis vero viribus Chriſtianus Wolfius in Pſychologia rationali propugnavit, ut tandem concluſerit, (5) *Evidens eſt animas hominum præexiſtere debere in corpuſculis organicis, ex quibus fœtus in utero matris formatur*. Hæc igitur ſententia vult animas omnium hominum, qui ab initio Mundi uſque ad ipſius finem exiſtent, creatas omnes ſimul eſſe, & incluſas ſingulas in ſingulis organicis corpuſculis, quæ in Adami viſceribus primi omnium parentis fuerunt collocatæ, (6) *a ſolo*, inquit Leibnitius, *patre animans animaque eſt, & a matre in conceptu velut indumentum, incrementumque ad novi corporis organici perfectionem neceſſariam præberi*. Addit vero animas iſtas, donec in ſuis minimis illis corpuſculis incluſæ manent, non eſſe præditas ratione, ſed ad rationalis ſtatum elevari a Deo tunc primum, cum homo generatur. Alibi vero (7) inſiſtens in eadem præexiſtentia animarum, & conjunctione cum organico corpuſculo, aliter etiam rem iſtam dicit ſic poſſe explicari, *concipiendo nimirum e magno illo animarum & animalium, vel ſaltem corporum organicorum vitam habentium, & in ſeminibus latentium numero, ſolas animas humanas corporibus humanis deſtinatas rationem involvere ſuo tempore proditurам, & corpora organica ſola eſſe præformata, atque prædiſpoſita ad ſuſcipiendam aliquando formam humanam, dum interim animalcula, ſive viventia ſeminalia cætera, in quibus nihil hujuſmodi præſtitutum fuit, a prioribus illis eſſentialiter diſcrepant, & in genere inferiori ſunt conſtituta*.

Porro hujuſmodi augmentum corporis organici animalis mente informari poteſt per hanc Jo. Bernoullii explicationem,

 Cor-

(1) Stor. Univer. Vol. 1. per. 2. Coſmogon. pag. 301.

(2) Leib. Theodic. par. 1. num. 86. pag. 20.

(3) Id. Ibid. num. 91. pag. 207. Id. in Cauſa Dei ad finem Theodic. a num. 81. pag. 27.

(4) Yvo. in Encyclopæd. art. Ame. §. M. Leibnitz. pag. 279.

(5) Wolf. Pſych. ration. §. 706.

(6) Leib. Cauſa Dei num. 82. pag. 28.

(7) Id. Theodic. par. 3. num. 397. pag. 596.

(1) Corpuſculum organicum, quod ſtamina vocabo corporis animalis, generatione & nutritione evolvitur & expanditur per modum receptionis novæ & peregrinæ materiæ ſe in poros inſinuantis. Unde paulatim creſcit, & tandem ex animalculo inviſibili fit viſibile. Hæc autem evolutio ita peragi cenſenda, ut per corpus maximi etiam animalis æqualiter diffuſa ſint illa prima ſtamina quantumvis exigua, non ſecus ac concipio minimum granulum ſalis in magna quantitate aquæ dilutum, ſeſe uniformiter cum aqua permiſcere, ut nulla ſit aquæ gutta, quæ non pro ratione ſuæ molis de iſto granulo participet.

254. Contra hujuſmodi Leibnitianas commentationes præter argumenta jam dicta contra quamcunque præexiſtentiam animarum, ſunt etiam alia ſingularia apud Hauſerum (2), alioſque, quæ æque militant contra aliorum opinionem, quæ admittit animas præexiſtere in fœminarum ovis, ex Eva omnium matre, in qua primo omnia continebantur, in cæteras fœminas propagatæ: quæ tunc ſolum ſe explicare incipiant in perfectum animal, cum per maris ſemen excitatur in illis conveniens, & neceſſarius motus mechanicus. Juvat aliqua ex his particularibus argumentis proponere.

I. Arguitur. Leibnitiani ſententiam ſuam nec authoritate, nec ratione ulla ſufficienti ſuadent: Non authoritate, quippe illud, (3) *Requievit* (Deus) *die ſeptimo ab univerſo opere quod patrarat*, quod pro ſe Wolfius aſſumit, illi non ſuffragari videbimus inferius, diſſolventes objectionem inde deductam. Non ratione; Nam in eo loco, quo idem Wolfius Lectorem ſuum remittit tamquam (4) *ibidem oſtendens generaliter, quæ a Deo creata ſunt, ea in prima rerum creatione fuiſſe producta*, aliam rationem non invenio, quam hanc, (5) quæ paucis verbis ſic reſtringitur: Deus nihil amplius creat in hoc Mundo, quia quicquid novi in hoc Mundo contingit, aliud non eſt, quam diverſa exiſtentium corporum modificatio. Quod eſt apprime falſum, quippe ad Mundum hunc pertinent etiam ſubſtantiæ ſpirituales creatæ, & quæ in illis, & per illas contingunt. Nec ipſe Wolfius

(1) Bern. Commerc. Philoſ. cum Leibni. epiſ. 87. pag. 435.

(2) Haur. Pneumatol. par. 1, qu. 7. art. 1. a num. 139. pag. 133.

(3) Gen. 2. v. 2.

(4) Wolf. Pſychol. ration. §. 706.

(5) Id. Theol. Natur. par. 1. §. 834.

ſius eſt ex Materialiſtis, qui dicat animas rationales eſſe modificationes materiæ; Materialiſmum enim ipſe alibi (1) deteſtatur.

255. II. Organicum corpuſculum in ſemine viri, vel ovo ſemineo incluſum, & cum anima conjunctum, vel habet motus vitales, vel non habet. Si non habet, ideo non habet, vel quia otiatur ibi anima a tot jam ſæculis, vel quia nondum ad functiones animæ, & motus vitales ſufficienter expedita eſt machinula illa organica; quorum primum gratuitum eſt, & certe a Wolfio excluſum atque negatum, ut paulo infra oſtendam: Secundum vero non ſolum gratuitum, ſed contra communiter receptam ſententiam, quæ docet non perſiſtere animas unitas ſuis corporibus, quoties corpora inepta reddita ſint ad vitæ functiones. Quæ ratio labefactatur ſemel quod per multa ſæcula ſteterit anima unita corpori ineptiſſimo ad vitæ operationes, quale fuit in ſemine vel ovo. Sin autem organicum illud corpuſculum habet jam nunc motus vitales, ſicuti contendit Wolfius, ut modo oſtendam: ergo rejicienda eſt illa cæteroquin communis, & verior Philoſophia, quæ, cum ovum fœmineum velit a virili ſemine primos motus accipere, in quo conſiſtit illud, quod aliter dicitur fœcundatio ovi, & conceptio hominis, jam negat hujuſmodi organica corpuſcula, ſive in homine, ſive in fœmina ſint, ſemper moveri.

Sed oſtendo jam, organico iſti corpuſculo tribui motus vitales a Wolfio, & animam non otiantem in eodem corpuſculo ab eodem admitti. En ejus verba, (2) *Anima noſtra in ſtatu præexiſtentiæ ſibi repræſentat hoc univerſum, convenienter mutationibus, quæ corpuſculo illi organico accidunt, in quo præexiſtit*. Et ſuperius animam in corpuſculo organico præexiſtentem dixit eſſe, (3) *in ſtatu perceptionum confuſarum*, quas perceptiones in ea anima admittens, neceſſario, etiamſi clare id non exprexiſſet citato in loco, admittere debuit varios motus accidere, & mutationes in corpuſculo organico, quia jam alibi docuerat perceptiones, quas habet anima copulata corpori de rebus hujus univerſi pendere a mutationibus, quas patitur corpus ipſum, (4) *ra-*

tio

(1) Id. Pſycho. Rati. §.50.
(2) Id. Ibid. §.715.
(3) Wolf. Pſych. ration. §. 706.
(4) Id. Pſychol. Empiric. §. 57.

Digitized by Google

tio, inquit, *perceptionum materialium in mutationibus, quæ in corpore iſto contingunt, continetur, adeoque perceptiones rerum materialium in Mundo adſpectabili a mutationibus in corpore iſto contingentibus dependent*.

III. Vel in omnibus viris ſeu omnium feminarum ovariis exiſtunt corpuſcula iſta animata, vel in iis ſolum, ex quibus naſcituros homines certo Deus prævidit. Si dicatur primum, ſequitur fruſtra Deum creaſſe illas animas, quæ tranſeunt in tot homines, qui cælibes moriuntur: Si dicatur ſecundum, fruſtra Deus ipſe inſtruxit iiſdem organis ad humani generis propagationem omnes homines: quorum utrumque abſurdum eſt.

IV. Virginitas diſerte commendata eſt a Chriſto Domino (1), & Apoſtolus (2) optat cælibatum perpetuo cuſtodiri ab omnibus: quæ oſtendunt, quam male Hæretici illi, quos impugnat Pererius (3), interpretentur illud Geneſeos, *Creſcite & multiplicamini*, dictum primis hominibus, tamquam præceptum prohibens Virginitatem, quaſi vero non eodem modo legatur dictum piſcibus & avibus quinta die creatis, in quæ bruta non cadit præceptum. Sed ſemel admiſſa hac ſententia de exiſtentia animæ in ſemine vel ovulis femineis, non eſt laudabilis Virginitas, nec licitum deſiderium illud Apoſtoli; Nam laudabile non eſt cooperari perditioni tot animarum, illamque crudele eſt ullo modo deſiderare. Et contrario modo licita erit, nec prohibenda, ſicuti prohibita reipſa eſt, Polygamia: quæ omnia abſurda ſunt: ergo ea Wolfii, ſeu Leibnitii opinio admitti nullo modo poteſt.

256. I. Objicitur. In Geneſi capite primo dicitur Deum creaſſe hominem ad imaginem ſuam, & capite ſecundo dicitur Deum formaſſe hominem ex limo terræ: ſed hoc ſignificat prius factam animam, & deinde factum corpus hominis, & propter ſimilem rationem initio rerum creatas omnes animas, & deinde pro ſuis temporibus corpora: ergo.

Reſp. nego min. Nam quod repetat Scriptura formationem hominis eſt, quod inculcet tantam Dei benignitatem. Rurſus brevius dixit de illa in primo capite, plenius in ſecundo. Tandem

(1) Matt. 19. v. 12.
(2) I. Ad Corinth, cap. 7. v. 7.
(3) Per. in Gen. lib. 4.

dem in primo non dicit animam hominis, & quidem maſculi & feminæ factam ad imaginem Dei, ſed hominem: homo autem eſt anima & corpus ſimul conjuncta, quamvis ratione animæ proprie habeat imaginem Dei.

257. II. Objicitur. Habetur ſæpius in Scriptura, nihil de novo Deum creaſſe poſt ſextum diem; ſed admiſſa quotidiana animarum creatione hoc non ſalvatur: ergo.

Reſp. nego minorem. Nam (1) *quies Dei ab omni opere*, inquit S. Thomas, *eſt intelligenda ſecundum ceſſationem a novis ſpeciebus condendis, non autem a novis individuis, quorum ſimilia ſecundum ſpeciem præceſſerunt*. Opportune igitur ex Scriptura colligitur animas hominum quotidie naſcentium eſſe ejuſdem ſpeciei cum animis primorum parentum, & nihil aliud. Allatam interpretationem aperte tradit etiam S. Auguſtinus tum libris quarto (2) ſeptimo (3), & decimo *de Geneſi ad literam* (4), tum in epiſtola ad Hieronymum *de Origine animæ*, ubi hæc habet; (5) *Quod dicitur animas novas creare ſingulas ſingulis, ſuam cuique naſcenti, non aliquid facere dicitur, quod ante non fecerat: Jam enim ſexto die fecerat hominem ad imaginem ſuam, quod utique ſecundum animum intelligitur. Hoc eſt nunc facit non inſtituendo, quod non erat, ſed multiplicando quod erat. Unde & illud verum eſt, quod a rebus, quæ non erant, inſtituendis requievit, & hoc verum eſt, quod non ſolum gubernando, quæ fecit, verum etiam aliquid, non quod nondum, ſed quod jam creaverat, numeroſius creando uſque nunc operatur*. Hoc in omnibus frugum, fructuum, plantarum, & animalium quotidianis productionibus evidens eſt, idemque ſtatuit Henckel apud Trevoltianos (6) de metallis, quæ negat poſſe affirmari omnia, quæ quotidie effodiuntur, in individuo creata eſſe in principio rerum, ſed vult continuo etiam produci.

Wolfius pro ſua opinione hujuſmodi Scripturæ authoritatem ſic aſſumpſit. (7) *Deus die ſeptimo a creando ceſſaſſe legitur. Unde Theologi recte colligunt, quod hodie nihil amplius creat, ſeu*

(1) S. Thom. lib. 2. cont. Gent. cap. 84.
(2) Aug. num. 22. col. 167.
(3) Id. num. 42. col. 224.
(4) Id. num. 5. & 6. col. 258.
(5) Id. Epiſt. nunc 166. numer. 12. pag. 588.
(6) Memoi. de Trev. ann. 1771. art. 103. pag. 1933.
(7) Wolf. Pſychol. ratio. cap. 2. §. 705. pag. 31.

ſeu ex nihilo producat. Scripturæ igitur convenit creatio animarum in prima ſtatim creatione a Deo facta. In quo ratiocinio notanda eſt falſitas utriuſque conſequentiæ. Theologi. enim communiter animarum quotidianam creationem adſtruunt, & Scripturam norunt ex S. Auguſtino, & S. Thoma citatis non favere oppoſitæ ſententiæ.

258. III. Objicit Nemeſius (1). Niſi animæ omnes in prima Mundi creatione ſimul creatæ fuerint, dicendum eſt, Mundum nondum abſolutum eſſe, & cum abſolutum erit, tum a Deo ejus authore eſſe diſſolvendum, iis hominibus, qui erunt illo tempore, cum mortui ad vitam revocabuntur, animarum numerum explentibus: ſed hæc dictu abſurda ſunt: ergo.

Reſp. diſtin. primam partem majo. Dicendum Mundum nondum eſſe abſolutum, quod pertinet ad individua ſpeciei humanæ, *conc. hanc partem*, aliter *nego eamdem*; & conceſſa ſecunda parte majoris, *nego minorem* juxta datam diſtinctionem; Nam diſſolvetur certe hic Mundus, vel potius in melius commutabitur juxta Divinum Decretum nobis in Sacra Scriptura ſæpius revelatum. Atque ex eo, quod Deus non deſtruet Mundum neque ex toto, neque poſtquam illum deduxerit ad perfectionem ipſi intrinſecam, ſitam in determinatis quibuſdam rerum generibus atque ſpeciebus, quas intendit creare, quoniam perfectionem hanc eidem totam dedit in prima rerum creatione, ſed ſolum deſtruet, poſtquam ipſum deduxerit ad perfectionem quamdam ipſi extrinſecam, ſitam in tanto individuorum numero, quantum ipſi, qui omnia facit in numero, pondere, & menſura, placuit velle, manifeſtum eſt nulli venire poſſe in mentem, aſſimilare ut ait Nemeſius, Mundi hujus diſſolutionem luſioni puerorum, qui demoliuntur, quod in arena fabricarunt ſtatim, ac perfecerunt. Hæc objectio fuit Bellarmino in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* unum ex argumentis, quibus concluderet, non eſſe S. Gregorii Nyſſeni libros *de Philoſophia*, qui ipſi tribuuntur in Baſileenſi, quam cito, editione.

259. IV. Objicitur argumentum Socratis pro exiſtentia animarum ante corpora, quod refert etiam Tullius (2). Illud apud Pla-

(1) Nem. Phil. l. 2. de Anim. c. 6. p. 492. Olivet. pag. 317.
(2) Tull. Tuſc. lib. 1. num. 24. juxta Id. de Senec. cap. 21. pag. 451

Platonem ſic habet : (1) *Quum tam celeriter arripiant animi ea, quæ ipſis explicantur, & memoria teneant, neceſſe eſt inſitas illis eſſe, & innatas rerum notiones : ergo his notionibus in alia quadam vita fuerunt imbuti, antequam in hæc corpora deſcenderent : fuerunt ergo animæ, antequam jungerentur corporibus*.

Reſp. nego antecedens. Ex eo quod cito multi homines intelligant, non ſequitur neceſſe eſſe, ut animæ ipſorum exiſtant ante corpora; ſatis enim eſt, eas non habere ex parte corporis, a quo in ſtatu ſuæ cum illo unionis dependent in operando, impedimentum ad virium ſuarum exercitium.

ARTICULUS VI.

Excluditur opinio animarum exiſtentium per traducem.

260. OPinio dicens animas produci a parentum animis, ſicut corpora a parentum corporibus, ſeu ut communius dicitur per traducem appellatur *hæretica* a S. Thoma in ſumma (2), & alibi eam dicit, (3) *judicio Eccleſiæ damnatam eſſe*. Quare planum eſt, obſervante Valentia (4), ubi in libris contra Gentes (5) notavit erroris hanc in Apollinari opinionem, ſignificare errorem contra Eccleſiæ fidem, non errorem tantum contra Philoſophiam, ut viſum fuit Alphonſo de Caſtro (6), quem propterea laudavit Eſtius (7), ut haberet, qui ſecum ſentiret, dum hæreticam negat dici poſſe opinionem de origine animarum per traducem, ſed ſolum *prorſus temerariam* concedit eſſe. Ac judicium quidem Eccleſiæ damnans opinionem de traduce habetur in decretis ſupra (§. 242.) relatis, quæ definiunt animas creari : Ex locis autem Scripturæ, quibus inniti poteſt ea damnatio aliqua ſupra pariter (§. 240.) propoſita ſunt : alia cum Patribus, qui iiſdem uſi in hac re ſunt, dabit citatus Va-

(1) Plat. in Menone circa medium pag. 12.
Id. in Phædone.

(2) S. Tho. 1. pa. qu. 118. ar. 2.

(3) Id. de Poten. qu. 3. ar. 9. o.

(4) Val. in 1. par. diſ. 6. qu. 8. punc. 2. pag. 1406.

(5) S. Tho. lib. 2. con. Gent. cap. 86. in fine.

(6) Caſ. de Hæreſ. ar. Anima. hær. 6.

(7) Eſt. in 2. diſt. 17. §. 14. pag. 153.

Digitized by Google

lentia. Ex rationibus autem quibus eadem demonſtratur falſa, hæc, quæ ſequitur, eſt ſatis. Si animæ hominum producuntur ab animis parentum, vel producuntur ex tota anima parentum, vel ex illius parte. Si ex tota: ergo parentes ſunt jam ſine anima, poſt generatum filium, quod eſt evidenter falſum; quippe vivunt parentes poſt filium genitum, & alios etiam filios generant. Vel tota anima perſeverans in parentibus, tota etiam transfunditur in filios, & hoc pariter eſt evidenter falſum; quippe non eadem eſt anima in filiis, ac in parentibus, ut diverſiſſimæ, & oppoſitæ aliquando ipſorum operationes demonſtrant: omiſſo quod proprium eſt ſolius Divinæ Naturæ propter ipſius infinitatem, eſſe totam eamdemque in pluribus Perſonis. Vel tota anima parentum in ipſis perſeverans producit in ſobole novam animam, & hoc idem eſt, ac tribuere vim creativam creaturis, quod repugnat. Qui hoc ultimum tenent, dicuntur admittere traducem ſui promotivum. Sin autem dicantur produci animæ filiorum ex parte aliqua animæ parentum, quod qui credunt, dicuntur admittere traducem deciſivum, quatenus quaſi ſemen quoddam ex parentum animis juxta ipſos deciditur, quod in novam fœtus animam quaſi concreſcit: ergo animæ non ſunt ſubſtantiæ ſimplices, ſed compoſitæ, diviſibiles, corporeæ, quod eſt contra Fidem & Philoſophiam. Eſt tandem optima in hanc rem argumentatio, vel confirmatio deducta a S. Bonaventura ex dignitate & immortalitate animarum rationalium: (1) *Propter earum*, inquit, *dignitatem, cum anima ſit imago Dei, & nata immediate ferri in Deum, & beatificari in ipſo, totum ſuum eſſe immediate debuit ab ipſo habere. Propter autem immortalitatem, cum ſolus Deus ſit, qui habeat vitam in ſemetipſo, & vitam indeficientem, ſolus eſt, qui poteſt producere principium vitæ perpetuum.*

261. Opinionem hanc primus fortaſſe inter Chriſtianos docuit Tertullianus, pluribus in locis citatis a Pamelio (2), ubi illum confutat. Lactantius qui illam impugnat, dicit (3) ejus authores eſſe tripartitos, & alios docere animam ex patre, alios ex

(1) S. Bon. in 2. diſt. 18. ar. 2. qu. 3. pag. 232.

(2) Pam. Antidot. num. 4. & 5. pag. 37.

(3) Lac. de Opific. cap. 19. num. 1. pag. 582.

ex matre, alios ex utroque generari. Poſſet fieri alia diviſio eorum, qui traducem admittebant cum Tertulliano, quia credebant animam eſſe quid corporeum, & eorum qui ab hoc errore abhorrentes, vel aliter hunc traducem explicabant, vel ipſum ita affirmabant, ut quæſtionem de modo, quo ille ſe haberet, omitterent tamquam inſolubilem. Tertulliano quantum ad ſubſtantiam adhæſerunt, teſte S. Hieronymo, (1) *Apollinaris, & maxima pars occidentalium,* ſcilicet auctorum, & quidem obſcuriorum, qui ante ejus tempora vixerunt, ut jure Eſtius (2), & Franciſcus Sylvius (3) advertunt interpretandum, tum quia Hieronymus doctrinam de creatione animarum vocaverat jam Eccleſiaſticam: tum quia nullum video a Cardinali de Noris (4) afferri, qui ante tempora S. Hieronymi dubium ſe in hac quæſtione declaraverit, quemadmodum tunc & deinde plures ab ipſo citati extiterunt. His addit Leibnitius (5) hæreticos illos, qui ſe vocant Evangelicos, hoc eſt Confeſſionis Auguſtanæ ſequaces, qui ſunt ſecta Lutheranorum, contra quos tractatum de creatione animæ rationalis ſcripſit Henricus Wangnereck. Et reipſa Jo. Chriſtophorus Wolfius unus ex his Evangelicis notat Manichæiſmi (6) ſententiam de creatione animæ ex infelici quodam ratiocinio, quod confutant Trevoltiani (7). Recentiores neſcio quos, fortaſſe illos, de quibus meminit de Noris (8), & audaciæ inſimulat, habent præ oculis Buffierius (9), qui illos impugnat, & Alphonſus Nicolai (10).

262. I. Objicitur pro hac opinione. Poſſunt produci animæ filiorum ab animabus parentum, non quidem ex transfuſa tota anima, vel parte illius in filios, ſed ex ſemine animæ, vel per quamdam ipſius emanationem, ut aliqui citati, & impugnati ab Hauſero (11) putant, quam pariter vocant traducem ſui promo-

 ti-

(1) S. Hier. epiſ. ad Marcellin. inter Auguſtinia. nunc 165. num. 1. pag. 582.

(2) Eſt. in 2. diſ. 17. §. 13. pag. 152.

(3) Sylv. in 1. par. art. 2. qu. 1. pag. 547.

(4) Nor. Vindic. Auguſ. cap. 4. §. 3. pag. 102.

(5) Leib. Theod. par. 1. num. 86. pag. 101.

(6) Wol. Man. ſec. 2. num. 65. pag. 30. Id. Ibi. ſec. 3. num. 23. pag. 423.

(7) Memoi. de Trev. an. 1711. ar. 8. pag 991.

(8) Nor. Vind. Auguſ. cap. 4. §. 3. pag. 102.

(9) Buff. Traite des premi. verit. num. 457. pag. 57.

(10) Nicol. Lezion. 18. di Scrittura pag. 338.

(11) Hauſ. Pneumat. par. 1. qu. 7. art. 1. num. 133. pag. 128.

tivum, & declarant exemplo facis, quæ alias faces accendit ſine ſui diminutione, quod jam propoſuit S. Auguſtinus (1), litigantes deinde inter ſe, an ſola anima genitoris, an potius ſolius genitricis, an utriuſque ſic propagetur: ergo.

Reſp. nego antecedens, & falſas in eo antecedenti incluſas ſuppoſitiones. Quid enim eſt ſemen, vel emanatio animæ, aut quid eſſe poteſt? Si dicatur pars animæ, jam anima fit diviſibilis. Si dicatur motus quidam animæ, jam modus fit exiſtens ſeparatim ab entitate, cujus eſt modus, quod eſt impoſſibile, & præterea modus ille dicendus erit deinde concreſcere in ſubſtantiam, quod eſt novum abſurdum. Si dicatur ſubſtantia quædam producta ab anima, jam tribuitur animæ & creaturæ, vis producendi entitates, & ſubſtantias, quod eſt proprium ſolius Dei; Nam nulli convenit creaturæ, ut alibi (2) demonſtravi. Exemplum facis, quæ aliam facem quodammodo generat, quin ipſa evadat minor, non eſt ad rem; Fax enim ardens eſt materia tali modo mota, & notum eſt, motum unius corporis communicari poſſe alteri, & rurſus non eſt inveriſimile aliquid ex face accenſa in aliam commigrare, vel explo ſum ab aere, qui rarefit, vel attractum a denſiori alterius materia.

Inſtabis I. S. Auguſtinus teſtatur (3), animas hominum fieri ex ſemine animæ patrum, fuiſſe ſententiam eorum, qui tenebant produci animas a Genitoribus: ergo non ſequuntur prædicta abſurda

Reſp. conc. antecedens, *& nego conſeqm.* Cum illud S. Doctor dicat, idem nec adprobat, nec examinat. Hoc autem poſt illius examen invenitur impoſſibile, & deducens ad prædicta abſurda.

263. II. Objicitur. S. Auguſtinus non ſolum incertam dicit originem animarum, ſed inſuper in libris de Geneſi (4) ſcribit opinionem, quæ affirmat traducem animarum inniti fortiori argumento: ergo verior ab illo judicata eſt opinio de traduce, quam de creatione animarum.

Reſp. conc. antecedens, *& nego conſeqm.* quæ non deſcendit.

Sunt

(1) S.Aug.epiſ. ad Optatum num.15.
(2) Diſſ. de Cauſ. efficiente. §. 234.
(3) S. Aug. lib.10. de Geneſ.cap.20. num. 36. pag. 271.
(4) Id. Ibid. cap. 23. num. 39.

Digitized by Google

Sunt enim multa falſa probabiliora veris, ut fert antiquum effatum, neque qui hoc dicit, profecto affirmat illud, quod falſum eſt, eſſe verum. In re noſtra, cum illud dixerit Auguſtinus, addit, ſe non proinde aſſentiri huic opinioni, ſed profiteri ſe nihil de hac re ſcire, & poſtulandam a Deo illius intelligentiam. Hoc autem ſollicite advertit, ne Tertullianum quis audiat, qui originem animarum per traducem docebat, (1) *quia corpus eſſe animam credidit, non ob aliud, niſi quod eam incorpoream cogitare non poterat*: Atque cum anno 418, ſcilicet tertio a perſcriptis *de Geneſi ad literam* libris, daret epiſtolam Optato, in qua iterum de origine animarum agit, iterum etiam quantum ad Tertulliani opinionem pronunciat, (2) nihil ea perverſius dici poſſe, quantum vero ad totam quæſtionem concludit (3) *non erubeſcendum eſſe homini, confiteri ſe neſcire, quod neſcit, ne dum ſe ſcire mentitur, nunquam ſcire mereatur*. Cæterum alia ejuſdem dicta, quæ ſententiæ admittenti creationem animarum favent, ſupra (§. 242.) allata ſunt.

264. III. Objicitur. Homines, qui ſunt poſteri Adam, trahunt ab ipſo juxta Fidem Catholicam peccatum ipſius, quod dicitur Originale: ſed peccatum quodvis reſidet in anima, non in corpore: ergo trahunt ab ipſo animam, ergo illæ non creantur.

Reſp. conc. maj. & diſtn. min. Peccatum quodvis reſidet in anima, ita tamen ut non ſit idem cum anima, *conc. maj.* ita ut idem ſit cum anima, *nego min. & conſequentias*. Ut homo contrahat peccatum originale nihil aliud requiritur juxta ſententiam, quam omnium optimam cenſet Bellarminus (4), niſi ut ex Adamo vere deſcendat: vere autem ex Adamo deſcendit, quicunque per generationem carnalem naſcitur. Hoc habito etſi veriſſimum ſit, illius animam non trahi ab Adamo, nec ex ipſius anima fieri, attamen veriſſimum etiam eſt hominem ab Adamo deſcendere, quia fit ex Adamo per generationem illud corpus, cui infallibiliter unitur anima rationalis, undecunque illa exiſtat.

Inſtabis. Objectio proxime facta, & a Pelagio teſte S. Auguſtino (5) contorta contra dogma Catholicum Peccati Originalis

(1) Id. Ibi. cap 24. num. 41.
(2) Id. epiſ. 190. num. 14. pag. 704.
(3) Id. Ibi. num. 16.
(4) Bella. de Amiſſ. Grat. lib. 4. cap. 12 §. Eſt alia pag. 239.
(5) S. Aug. Epiſt. ad Optat n. 22. p. 707.

lis tanti facta eſt ab ipſo Auguſtino, ut iterum atque iterum (1) profiteatur ſe neque legendo neque orando, neque ratiocinando invenire potuiſſe, quomodo cum animarum creatione peccatum Originale defendi poſſit: ergo ſententia de animarum cratione non eſt omnium optima, ſeu vera.

Reſp. conc. antecedens. Cum illa enim ingenua confeſſione S. Doctor non conjungit ſe inclinare in ſententiam de propagine animarum, aut hanc veriorem ſibi videri. Quin immo in Retractationibus dicit, (2) *Quod attinet ad ejus* (animi) *originem, qua fit ut ſit in corpore, utrum de illo uno ſit, qui primum creatus eſt, quando factus eſt homo in animam vivam, an ſimiliter ita fiant ſingulis ſinguli, nec tunc ſciebam* (ſcilicet quando ſcripſit libros contra Academicos) *nec adhuc ſcio. Nego autem conſeqam*, quia poſt tempora S. Auguſtini, ut notat Cornelius a Lapide (3), acceſſerunt alia argumenta, quæ creationem animarum certam faciunt, ſcilicet Patres, qui poſt ipſum floruerunt, declarationes Eccleſiæ, conſenſus Theologorum per quingentos jam annos, & rationes ab iiſdem inventæ & declaratæ, quibus concludunt, cum creatione temporali animarum ſtare earumdem generalem infectionem, quia cum ea ſtat, Adamum conſtitutum fuiſſe caput generis humani, & voluntatem ipſius habitam fuiſſe pro voluntate omnium noſtrum. Ille per voluntatem ſuam privavit ſe gratia, per quam Deo gratus erat, & in illum ut finem ſupernaturalem ordinatus, & conſequenter ejuſdem privationis in nobis ſuis poſteris cauſa fuit non quidem phyſica, ſed moralis per modum meriti, ut fuſius declarant Theologi. Elegantem hujus propagationis originalis peccati in cujuſvis hominis animam naturaliter geniti ſimilitudinem Alticotius (4) obſervavit in Eclipſi Lunæ. Sicuti illa aliquando ſplendorem ſuum amittit, quin hujus obſcurationis cauſa dici poſſit aut Sol, qui nihil de ſuo ſplendore remittit, aut æther, in quo innatat, ſed umbra late projecta a globo terraqueo, qui incidit inter Lunam, & Solem, in quam Luna ingreditur: ita ſtatim atque homi-

(1) Id. Ibid. & epiſ. nunc. 166. num. 16. pag. 589.

(2) S. Aug. Retrac. lib. 1. cap. 1. uum. 4. col. 4.

(3) A Lapi. in Eccle. cap. 11. v. 7. pag. 334. Et in Epi. ad Hebræ. cap. 7. num. 38. pag. 999.

(4) Altic. De antiquis noviſque Manichæ. num. 74. pag. 125.

mines per naturalem generationem exiſtunt, ipſorum animæ culpa originali inficiuntur, quin hujus peccati cauſſæ dici poſſint aut Deus animarum Creator, aut corpus in quo illæ creantur, ſed ſola illa veluti umbra, quam per totam humanam progeniem diffudit voluntas Adami, dum a Deo ſe avertit, in quam illæ animæ ſtatim atque creantur, quodammodo ingrediuntur. Et ſicuti Luna emergens ex umbra recuperat ſplendorem ſuum iterum a Sole irradiata, ita animæ per Baptiſmum emergentes ab umbra peccati primi parentis, obſcuritatem peccati originalis commutant in Gratiæ Divinæ candorem a Deo Juſtitiæ ſole dimanantem.

265. IV. Objicitur. Animas hominum eſſe per traducem ſignificat illud Geneſeos: (1) *Omnes animæ, quæ egreſſæ ſunt de ſemore Jacob fuere ſexaginta ſex.*

Reſp. nego aſſumptum. Ibi animæ nomen poſitum eſt per ſynecdochen pro animato, ſeu homine, qui cum anima conſtet & corpore, etſi ex parte ſolius corporis egrediatur ex femore parentum, attamen nominatur potius ex parte animæ, quam corporis, quia anima eſt pars hominis potiſſima. Simili tropo nihil frequentius apud quoſvis Authores, & vulgus ipſum. Sic homines viles dicuntur animæ viles, & contra qui magnanimos ſe præſtant in adverſis, fortes animæ audiunt. Eodem modo propter figuram alicujus certi corporis attributam marmori, vel æri dicimus totam ſtatuam eſſe opus hujus, vel illius artificis, etſi materia nullo modo ſit opus ipſius. Sic tandem Scriptura ipſa ſæpius in Levitico (2) animam pro homine accipit.

V. Objicitur. Apoſtolus dicit, Levi dediſſe decimas Melchiſedecho, etſi non Levi, ſed Abraham ipſius progenitor illas ei dedit, quia (3) *in lumbis patris erat*: Chriſtum vero, etſi & ipſe ex Abraham progenitus in lumbis ejus eſſet, non dediſſe has decimas per Abraham, ſed potius recepiſſe in perſona Melchiſedechi, qui figura Chriſti fuit: ergo diverſo modo fuerunt in lumbis Abrahæ, Levi & Chriſtus: ſed Chriſtus fuit ratione corporis dumtaxat in lumbis Abrahæ: ergo Levi fuit ratione tum corporis tum animæ in lumbis Abrahæ: ergo animæ propagantur ex parentibus. *Reſp.*

(1) Gen. cap. 46. v. 26.
(2) Levit. cap. 3.
(3) Ad Hebr. cap. 7.

Reſp. conceſſis reliquis, nego duas ultimas conſequentias, Diverſo modo fuit Chriſtus & Levi in lumbis Abrahæ, quatenus Levi deſcendit ex Abraham per naturalem generationem, quæ poſtulat patrem & matrem, ſive non ſolam materiam ab Abrahamo deductam, ſed etiam concupiſcentiam carnalem: At Chriſtus deſcendit ex Abraham per ſolam materiam ab ipſo deſumptam, non vero per generationem humanam, cum ex Evangelio conceptus fuerit de Spiritu Sancto, & natus ex Maria Virgine, quæ erat ex progenie Abraham. Sic ſolvitur hæc objectio, de qua S. Auguſtinus, & Theologi fuſius loquuti ſunt locis a Cornelio a Lapide (1) citatis.

266. VI. Objicitur. Si dicatur animas non produci a parentibus, ſed creari a Deo, dicendum erit Deum cooperari fornicariis & adulteris, creando & infundendo animas humanas hujuſmodi conceptibus peccaminoſis: ſed hoc abſurdum eſt: ergo.

Reſp. diſt. maj. Dicendum Deum cooperari fornicariis,& adulteris, ſecundum quod illorum operatio phyſica eſt & poſitiva, *conc. maj.* Nam ſecundum hanc rationem eſt aliquod bonum: dicendum cooperari illis ſecundum quod operatio eſt contra legem Dei, & deficiens a rectitudine, *nego maj.* Et ſimiliter diſtincta min. *nego conſequentiam*. Abſurdum, quod tollit diſtinctio, quam male objiciatur, S. quidem Bonaventura oſtendit ex eo, quod inferatur quaſi reprehenſio Divinæ Bonitatis, unde magis erat laudanda, (2) *quia beneficium quod diſpoſuit ſervare, propter peccata hominum non mutat vel interrumpit*: S. vero Hieronymus (3) declarat exemplo frumenti, quod etſi furto ſublatum, vel ab homicida ſatum, tamen creſcit in campo ſine ullius admiratione, quæ contra multa eſſet, & miraculum diceretur, ſi nullo modo frumentum illud in his caſibus naſceretur: Quod exemplum elegantiſſimum eſſe dixit S. Auguſtinus (4), idemque & obvium dici poteſt in multis ſimilibus effectis, ut admirandum ſit, hanc objectionem tamquam inſolubilem judicatam fuiſſe a Nemeſio (5).

VII.

(1) Lapi. in Epiſ. ad Hebr. cap. 7. n. 37 pag. 598.

(2) S. Bon. in 2. diſt. 18. art. 2. qu. 3. ad 6.

(3) S Hier. lib. 3. Apolog. contra Ruffin.

(4) S. Aug. ad Hierony. epiſt. 166. n. 15. pag. 589.

(5) Nem. Philoſ. lib. 2. cap. 6. pa. 453.

VII. Objicitur a Panætio apud Tullium (1). *Ex ſimilitudine eorum, qui procreantur, quæ etiam in ingeniis, non ſolum in corporibus apparet*, arguitur naſci animos, ſicut corpora, a parentibus.

Reſp. cum eodem Tullio, *nego aſſumptum*; Nam ſimilitudo illa etiam in animis, quæ quandoque, non tamen ſemper habetur, proficiſcitur ab educatione præcipue, & temperamento corporis, quo anima, dum illi eſt unita indiget ad ſuas operationes, & *magni refert*, inquit ibidem Tullius, *quali in corpore locati ſint*.

ARTICULUS VII.

Excluditur opinio de materialitate animæ.

267. OPinio dicens animam hominis non eſſe quicquam a materia ſui corporis diſtinctum atque diverſum, eſt contra Fidem Catholicam. Ex hoc ſolum capite, quod eſt præcipuum, juvat hic illam rejicere, omittendo philoſophicas rationes, quæ me importune cum Materialiſtis committerent. Contra Fidem autem eſt, I. quia ea ſunt in Sacris Scripturis teſtimonia, ex quibus animas eſſe ſubſtantias incorporeas *clariſſime colligitur*, inquit Suarez (2), quem oppono Antonio Genuenſi, qui dicit, (3) *De incorporalitate animæ loca diſerta, fateor, non habemus*. Hujuſmodi ſunt hæc: (4) *Revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum. Nolite timere* (5) *eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Caro* (6) *concupiſcit adverſus Spiritum, & Spiritus adverſus carnem, Corpus* (7) *ſine ſpiritu mortuum eſt*: In quibus omnibus habetur manifeſta antitheſis corpus inter & animam. Eſt & illud, (8) *Spiritus Sanctus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro*, in quo ſicut nomen ſpiritus excludit ſignificationem materiæ a Divino ſpiritu,

 ita

(1) Tull. Tuſc. lib. 1. num. 32. Juxta Olivet. pag. 325.
(2) Sua. de Anim. lib. 1. cap. 9. num. 9. pag. 40.
(3) Gen. Elem. Metaph. par. 2, cap. 1. prop. 14. num. 5. pag. 82.
(4) Eccle. 12.
(5) Matt. 10.
(6) Ad Galat. 5.
(7) Jac. 2.
(8) Ad Rom. 8.

ita etiam excludit a noſtro. Similiter prima ad Corinthios inſtituitur comparatio inter ſpiritum Dei, & ſpiritum hominis (1) *Quis hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt: ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi ſpiritus Dei:* ſed ſpiritus Dei non eſt corporeus: ergo neque ille hominis. In Geneſi tandem expreſſe habetur, corpus quidem hominis ex materia factum, ſed animam deinde a Deo inſpiratam, non vero ex limo terræ vel formatam vel eductam fuiſſe, (2) *Inſpiravit ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.*

II. Quia ſexta Synodus generalis, ſive Concilium Conſtantinopolitanum III, anno 680 habitum, adprobavit actione 12, quod Sophronius Archiepiſcopus Hieroſolymorum ſcripſit ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum de Chriſto Domino, (3) *Naſcitur Deus humano corpore ſimiliterque & figura, animam rationalem, & incorpor eam habente*: & Concilium Lateranenſe IV. ex Œcumenicis XII., anno 1215 ſub Innocentio III. celebratum, poſtquam definivit, quod Deus (4) *ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam corporalem & ſpiritualem*, addit, *ac deinde humanam quaſi communem ex ſpiritu & corpore conſtitutam*. Et Concilia, quæ damnant opinionem de anima hominis, quæ corpori aſſiſtat, non vero illud informet, ſupponunt eam eſſe ſubſtantiam toto genere diverſam a corpore.

III. Quia paſſim Patres pro certo affirmant animas noſtras eſſe incorporeas. Aliquorum verba producens Valentia concludit (5) *minime dubitandum, quin hæc ſit perpetua Eccleſiæ ſententia, adeoque ex fide certa*. Cum autem in adductis ab eo Patribus ſit Auguſtinus, cujus plura loca citat, illum addam, de quo nec ipſe meminit, neque Henricus de Noris, qui deinde fuit Cardinalis, ubi ceteroqui ſibi propoſuerat (6) oſtendere S. Auguſtinum abhorrere a ſententia animæ corporeæ; Locus enim eſt illuſtris in libro ſeptimo de Geneſi ad Literam, in quo diſtinctim excludit formationem animæ hominis ex vulgo cognitis elementis, terra aqua aere & igne, aut alia quinta materia, quæ

(1) I. ad Corin. 2. v. 11.
(2) Gen. 1. v. 27.
(3) Conſt. tom. Concil. juxta Colet. 7. col. 858.
(4) Later. tom. Conci. 13. de Fide Catholi. col. 927.
(5) Val. in 1. par. diſp. 6. qu. 1. punc. 2. pag. 1289.
(6) Nor. Vindic. Auguſt. cap. 4. §. 1. pag. 97.

Digitized by Google

quæ (1) *careat uſitato nomine, ſed tamen corpus ſit*, hoc tandem ſtatuens animam (2) *ex Deo ſic eſſe, ut ſit incorporea, ideſt non ſit corpus ſed ſpiritus, non de ſubſtantia Dei genitus, nec de ſubſtantia Dei procedens, ſed factus a Deo de nihilo*. Ex his impugnatur Ludovici Barbieri propoſitio, (3) *Doctrina de immaterialitate animæ noſtræ, ejuſque diſtinctione a corporibus, etſi facta ſit evidens a centum jam & quinquaginta annis, non eſt expreſſe de Fide*, quam tamen ante illum tenuit, & ex profeſſo propugnavit Gulielmus Eſtius (4).

268. I. Objicitur. Eſt ex Patribus Tertullianus, qui exiſtimavit animas noſtras conſtare ex tenui quadam & delicata materia conformata in partes reſpondentes iis, quæ corpus organicum ac tangibile conſlant. Simile quid docuit S. Irenæus. Alii abundanter Patres, qui generalius animam ſtatuerunt eſſe corpoream, citantur a S. Thoma (5), & Suarez (6), & abundantius a Gaſſendo (7), & a Cornelio a Lapide (8). Quin immo Voltaire ait, (9) *Ex Eccleſiæ Patribus plures primis ſæculis, plures inquam crediderunt Deum ipſum corporeum*.

Reſpondetur, quod pertinet ad Tertullianum, ipſum non eſſe audiendum, qui cum in eam de natura animæ ſententiam devenerit, vel in ea ſe confirmaverit, propterea quod audierit, ut ipſemet refert (10), mulierem quamdam profitentem videre ſe animarum proprios colores, effigiem, & formam in cujuſque hominis vultu, profecto ſequutus eſt rationem non ſolum indignam homine literis vel mediocriter exculto, ſed ipſa etiam e trivio plebecula. Ceterum contra hunc ipſius errorem ſæpius ab eodem propoſitum, cum multa jam olim dixerit S. Auguſtinus, mihi ſatis ſunt ea, quæ ſupra (§. 263.) ex ipſo retuli, alia cum aliis argumentis innuit Jacobus Pamelius (11). His addatur S. Thomas, qui Tertullianum, credo, præ oculis habuit, dum eos refutaret,

(1) S. Aug. num. 27. col. 220.
(2) Id. Ibid. num. 43. col. 225.
(3) Bar. Saggio di Metaph. par. 1. art. 25. pag. 217.
(4) Eſt. in 2. Sent. diſt. 17. §. 6. pag. 147.
(5) S. Th. 1. p. qu. 50. art. 1. pag. 170. Id. de Pot. qu. 6. art. 6.
(6) Sua. Metaph. diſ. 13. ſec. 14. nu. 5. pag. 287.
(7) Gaſſ. Phyſ. ſec. 3. lib. 3. cap. 2.
(8) A Lap. in Geneſ. cap. 6. v. 2.
(9) Volt. Lett. Philoſ. 13.
(10) Tert. de Anim. cap. 9. pag. 265.
(11) Pam. Antidot. ad Parad. Tertull. Parad. 7. pag. 38.

ret, qui materialiſmum (1) *in Fidem chriſtianam inducere conati ſunt, dicentes animam eſſe corpus effigiatum, ſicut corpus exterius figuratum*.

Quod pertinet ad S. Irenæum. Nego illum de eo errore convinci poſſe, ut recentius cenſuit Renatus Maſſuetus in præviis diſſertationibus ad ſuam ejuſdem editionem. Certum enim eſt, ut idem fatetur (2), non ſemel ab eo incorporales vocari animas hominum. At inquit Maſſuetus, cum dixerit animas incorporales libro 5. cap. 7. ſtatim addit *quantum ad comparationem mortalium corporum*: ergo admittit animas eſſe aliquo modo corporeas. *Reſp. nego conſeqm*; Nam qui dicit animas comparatas cum mortalibus corporibus eſſe incorporeas, non dicit eſſe corporeas, aut ſubtiliora corpora. Urget: Alibi Iræneus dicit animam habere figuram corporis, (3) *quomodo aqua in vas miſſa ipſius vaſis habet formam*: ergo. *Reſp. nego conſeqm*, tum quia non eſt, ut ipſe Maſſuetus in notis ad hunc locum fatetur, tam clarus hic locus, ut evidens ſit illa conſequentia: tum quia poſſunt illa verba intelligi de circumſcriptione animæ ad locum corporis. Inſtat demum: Irenæus probat immortalitatem animæ non ex ſimplicitate ipſius naturæ, ſed ex eo, quod per illam vivamus, ſive ut ipſe ait, ſit flatus vitæ: ergo non credit illam eſſe quid omnino incorporeum. *Reſp. nego conſeqm*; donec huic alteri ſit locus, ergo anima, utpote deſtinata ad unionem cum corpore, non habet illam ſimplicitatem, quæ ſignificatur per ſubſtantiam incorpoream nulli addictam corpori.

Quod pertinet ad alios Patres negatur illos exiſtimaſſe animam, aut angelos eſſe corporeos, I. quia apud illos materia, & corpus non ſolum ſignificant ſubſtantiam, quæ partibus conſtat inter ſe diſtinctis & invicem ſeparabilibus, quæ ſignificatio communis jam eſt, & vulgaris, ſed etiam vel ſubſtantiam mutationi obnoxiam juxta illud S. Auguſtini, (4) *Si quiddam incommutabile eſſet anima, nullo modo ejus quaſi materiam quærere deberemus*: vel ſubſtantiam limitatam, ad certum locum, quam acceptionem obſervavit in citatis locis S. Thomas, & expreſ-

(1) S. Th. cont. Gent. lib. 2. cap. 49 pag. 147.
(2) Maſſ. Diſſ. 3. num. 120. pag. 161.
(3) Iren. lib. 2. contra hær. cap. 19. num. 6. pag. 143.
(4) S. Aug. de Gen. ad liter. lib. 7. num. 8. col. 214.

preſſit Auctor libri *de Eccleſiaſticis Dogmatibus* inſerti inter opera Auguſtini, qui capite 10, *nihil*, inquit, *incorporeum credendum niſi ſolum Deum, quia ubique eſt, & omnia implet. Creatura omnis corporea eſt, Angeli & omnes intellectuales creaturæ corporeæ, quia localiter circumſcribuntur*. Ipſe Auguſtinus audiens ab aliquibus abſolute dici corpus, (1) *Omne quod eſt, ideſt omnem naturam, atque ſubſtantiam præter Deum*, dicit, *non eſt admittenda iſta loquutio, ne non inveniamus quomodo loquentes, ea quæ corpora non ſunt, a corporibus diſtinguamus: non tamen eſt de nomine laborandum*. Similia alii Patres plerunque habent, ut Fortunatus a Brixia (2) adductis in medium aliquorum teſtimoniis plane evincit. II. quia Patres, qui tribuerunt corpora ſpiritibus creatis, non fecerunt ex ſpiritibus corpora, ſed conjunxerunt ſpiritibus corpora, & ratione ſpiritus illos docuerunt cognoſcere & intelligere, non ratione corporis. Hoc advertit jam Buffierius (3). Nam aliqui Patres non aliter in hoc philoſophati ſunt, quam juxta doctrinam Platonicorum, qui ut exponit S. Thomas (4), ex ſubſtantiis incorporeis, ex quibus multas ponebant, Deum quidem & Mentem ſtatuebant eſſe ſubſtantias duas nulli corpori unitas, cæteras autem corporibus conjunctas juxta doctrinam ſui magiſtri, qui eodem S.Thoma referente (5), tria admiſit entium genera, ſcilicet omnino immaterialia, omnino materialia, & media quædam inter duo illa, in quibus numeravit animas. Ante Platonem eadem fuit opinio Pythagoræ, apud quem hoc nomen anima ſignificabat compoſitum quoddam, ut habet Plutarchus (6), qui contra illos, qui nos compoſitos dicerent corpore & anima ita, ut animam eſſe quid ſimplex docerent, (7) *Perſpexerunt*, inquit, *eam dumtaxat, quæ evidentior eſt ex anima & corpore compoſitionem. Atqui ipſam animam duabus ac diſſimilibus iis naturis eſſe conflatam, bruta parte inſtar alterius corporis, cum ratione commixta atque concinnata, ne Pythagoram quidem puto fefellit*.

Porro ex his ita opinantibus fuerunt, qui aliquas animas vo-

le-

(1) Id. Ibid. num. 30. col. 220.

(2) Bri. Metaph. par. 2. diſſ. 1. ſec. 1. num. 56. pag. 123.

(3) Buf. Elem. de Metaph. Entr. 6. num. 78. col. 931.

(4) S. Th. de Poten. qu. 6. art. 6. O.

() Id. in 1. de Anim. tex. 26. pag. 54.

(5) Plu. de plac. lib. 4. cap. 5. pag. 44.

(6) Id. de Vir. moral. ſub initium. pag. 484.

lebant eſſe conjunctas corporibus aereis, quas dicebant eſſe Dæmonas, a qua ſententia non abhorruit S. Auguſtinus dicens, (1) *Dæmones eſſe aerea animalia, quoniam corporum aereorum natura vigent*, & alibi (2) ſæpe ſimilia habet. Hanc recentius ſatis probabilem reputavit Whiſtonus (3), conſtituens regiones aereas circumfuſas Terræ & Planetis, eſſe habitationem propriam entium quorumdam aereo corpore præditorum. Alios Patres innuit Calmetus (4), quibus tamquam certum erat, ſolum Deum eſſe purum ſpiritum, cæteros vero ſpiritus habere ſecum conjunctum aliquod corpus, quos nuper imitatus eſt Leibnitius, qui ait, (5) *juxta meam philoſophiam nulla datur creatura rationalis ſine quopiam corpore organico, nec ullus ſpiritus creatus a materia penitus avulſus*: & alibi (6) *non eſt certum*, inquit, *Deo excepto, dari intelligentias plane ſeparatas*, quæ conſonant ſuæ illi opinioni ſupra (§. 253.) rejectæ: etſi ex iis, quæ deinde ipſe ſcripſit ad Latinum ſuæ Theodicææ interpretem M. D. L, qui eadem inſeruit in ſuo Monito prævio ad hanc Latinam verſionem, videatur ſententiam hanc retractaſſe. Certe unanime jam eſt Theologorum judicium de pura ſpiritualitate Angelorum cum Magiſtro ſententiarum (7), & S. Thoma loco proxime citato, & alibi (8): iidemque, Petavio judice, (9) *contrariam ſententiam, ut non prorſus hæreticam, ſic hæreſi proximam eſſe judicant; Nam quominus hæretica plane cenſeatur, id unum facit, quod nondum ea res liquido ab Eccleſia diſceptata ſit. Quippe Lateranenſe decretum, non ex inſtituto partem eam definire voluit, ſed utriuſque naturæ conditorem Deum*.

Quod tandem pertinet ad Patres, qui Deum ipſum corporeum crediderunt, falſum omnino eſt, & jure execratum a Valſecchio (10) illud Voltairii, Patres primis Eccleſiæ ſæculis frequentes id cenſuiſſe; Petavius enim, qui horum opiniones accurate

(1) S. Aug. de Gen. ad Lit. lib. 3. cap. 10. col. 150.

(2) Id. de Civi. lib. 4. cap. 16. Et lib. 9. cap. 10. Et lib. 21. cap. 10.

(3) Whi. Aſtr. Princ. pa. 5. num. 3. pag. 92.

(4) Cal. Dict. Script. art. Anima. §. At Spiritu. pag. 83.

(5) Leib. Theod. par. 2. num. 124. pag. 262.

(6) Id. Comm. Phil. epiſt. 84. pag. 424.

(7) Mag. lib. 2. ſent. diſt. 8.

(8) S. Tho. 1. par. qu. 51. art. 1.

(9) Pet. Dogm. Theol. de Angelis lib. 1. cap. 3. num. 10. pag. 10.

(10) Val. Fondam. della Relig. lib. 2. cap. 4. num. 2. pag. 89. Id. Ibid. lib. 3. pa. 3. cap. 3. num. 7. pag. 357.

rate conquiſivit, de aliis non meminit (1), quam de Melitone Aſiano Epiſcopo Sardenſi, Tertulliano, & Lactantio, qui hujus erroris accuſati fuerunt, quin tamen ne hi quidem de illo convinci liquido poſſint, ut planum faciunt, qui eoſdem ab hac nota vindicarunt, quemadmodum Joannes Boucat (2) ex profeſſo fecit pro Tertulliano & Melitone: cum interea cæteri ita de Dei natura ſentire, habeant pro ſtultitia, & blaſphemia.

II. Objicitur. In Scriptura etiam animæ brutorum aliquando, etſi rariſſime vocantur ſpiritus: ergo non eſt ſufficiens argumentum immaterialitatis animæ humanæ, nomen ſpiritus illi attributum a Scriptura.

Reſp. conc. antecedens, *& diſt. conſeqns*. Non eſt ſufficiens argumentum immaterialitatis animæ hoc ſolum nomen ſpiritus, *conc. conſeqam*: hoc nomen, una cum adjunctis circumſtantiis & contextu & interpretatione Eccleſiæ Catholicæ, *neg. conſeqam*. Addo adverſarios, qui ſic objiciunt ſupponere, non eſſe controverſum animas brutorum conſiſtere in materia, quod eſt falſum.

SECTIO VI.

Objectiones pro æternitate Mundi.

269. PRimo objicitur. S. Thomas dicit, (3) *Mundum incæpiſſe, eſt credibile, non autem demonſtrabile, vel ſcibile*: ergo nulla ſunt argumenta, quæ a ratione deſumuntur contra æternitatem Mundi.

Reſp. nego conſeqam, quia ibi S. Doctor loquitur de demonſtratione deſumpta dumtaxat a priori, non de omni demonſtratione. Eo enim modo concludit ex eo ſolum, quod nulla cruatur in hac re demonſtratio neque ex parte hujus Mundi, quippe illius eſſentia indifferens eſt ad exiſtendum etiam ab æterno, ut jam vidimus (§.201.), neque ex parte cauſæ agentis, Voluntatis Dei, quæ ratione inveſtigari non poteſt in iis, quæ libere vult. Quæ cum vera ſint, non excludunt alia demonſtrationis genera, ut a poſteriori, & ab abſurdo. In-

(1) Pet. de Deo. lib.2. cap. 1. num.4. art.3. pag. 496. pag.88.
(2) Bouc. Theol. Patrum tom.1. Diſ.3
(3) S. Tho. 1. p. qu.46. art.3. O.

Inſtabis. S. Thomas poſt objecta verba immediate hæc habet: *Et hoc utile eſt ut conſideretur, ne forte aliquis, quod fidei eſt demonſtrare præſumens, rationes non neceſſarias inducat, quæ præbeant materiam irridendi infidelibus*. Quin immo ipſummet a nobis adductum argumentum a poſteriori (§. 226.) ille elevat: ergo S. Thomas omnem omnino in hac re demonſtrationem excludit.

Reſp. Quod pertinet ad primam antecedentis partem, Animadverſio S. Thomæ opportune cadit in argumenta nullius roboris, quæ ab aliquibus contra æternitatem Mundi afferri jam vidimus. Quod vero pertinet ad ſecundam partem, non poteſt abſolute dici, quod ipſe S. Thomas elevet illud argumentum, cum ejus reſponſio ſic ſe habeat. *Dicendum, quod ponentes æternitatem Mundi, ponunt aliquam regionem infinities eſſe mutatam de inhabitabili in habitabilem, & e converſo. Et ſimiliter ponunt, quod artes propter diverſas corruptiones & accidentia infinities fuerunt inventæ & corruptæ*, Quæ reſponſio palam facit, allatam ab illo fuiſſe eam ſolutionem, non quia illam approbaret, ſed quia ea ibi ſatis erat, ubi ſolum curabat de demonſtratione a priori.

270. II. Objicitur a quibuſdam apud Pluchem (1). Admittimus Deum exiſtere ab æterno: ergo poſſumus admittere materiam & Mundum exiſtere ab æterno. Probatur conſequentia. Qui admittit exiſtere id, quod eſt plus, poteſt admittere, quod exiſtat id, quod eſt minus. Sed admittendo Deum exiſtere ab æterno, admittimus exiſtere bonum infinitum: admittendo autem materiam & Mundum hunc exiſtere ab æterno, admittimus exiſtere ab æterno bonum finitum; Nam materia eſt aliquod bonum, & motus, qui ſimul cum materia pertinet ad hanc Mundi conſtitutionem, eſt aliqua perfectio materiæ: ergo ſi admittimus Deum exiſtere ab æterno, poſſumus admittere materiam & Mundum hunc exiſtere ab æterno.

Reſp. conc. antecedens & nego conſequam: Ad ejus probationem *diſtin. maj*. Qui admittit exiſtere plus, poteſt admittere quod exiſtat minus, quod ſit incluſum in illo, quod eſt plus, *conc. maj*. quod non ſit in illo incluſum, *ſubdiſt*. præciſe quia admittit

(1) Pluch. Hiſtoi. du ciel. num. 8. §. a l' evidence pag. 266.

tit exiſtere id,quod eſt plus, poteſt admittere quod exiſtat minus, *nego maj.*, ex aliis cauſſis, *conc. maj.* Sic qui admittit aliquod totum, admittat neceſſe eſt partem incluſam in toto : At qui admittit hominem eſſe capacem intelligendi, non poteſt admittere eſſe etiam capacem volandi, etſi ſit aliquid longe minus, ſed non incluſum in capacitate intelligendi. Nec qui ſimiliter admittit in aliqua domo decem homines, qui ſunt aliquid plus, quam duo equi, poteſt admittere, quod exiſtant in ea domo etiam duo equi, niſi aliunde id ita eſſe demonſtretur. Venio jam ad minorem, quam equidem omittam, ſed qui tenent, materiam ab æterno motam contradictionem involvere juxta ſuperius dicta (§. 233.), hi negabunt ſecundam illius partem; Nam quod involvit contradictionem, non eſt bonum ullum, quoniam quod bonum eſt, eſt ens ſaltem poſſibile. Quare ſemper conſequentia negatur.

III. Objiciunt Bayle in Novellis Reipublicæ literarum (1), & Auctor literarum Perſicarum (2), qui dicitur eſſe Monteſquiou. Non poteſt comprehendi Mundum non eſſe a tota æternitate. Aſſumptum probant primo, quia in duratione Dei non poteſt admitti ulla ſucceſſio : ergo neque in ejus decretis. Secundo quia ſi tempus incœpit cum exiſtentia creaturarum, ſequitur nullum tempus præceſſiſſe illarum exiſtentiam : ſed ſi nullum tempus præceſſit illarum exiſtentiam, jam ſunt ab æterno, vel ſi non ſunt ab æterno, diſtinguuntur ſolum, ſeu differunt ab æternitate per unicum punctum, quod eſt abſurdum: ergo.

Reſp. nego aſſumptum. Quæ enim difficultas eſt in intelligendo Deum perfectiſſime liberum creaſſe Mundum, quando illi placuit? Per hanc divinam libertatem circa omnia, quæ extra ſe ſunt, penitus corruit, quod viſum eſt faceſſere negotium antiquis, quomodo exiſtente ab æterno cauſa hujus Mundi, Deo, non exiſtat pariter ab æterno hic Mundus, adhibentes, ut refert S. Auguſtinus (3), exemplum pedis, qui ſi ab æterno ſit in pulvere, ab æterno ſignat ſui veſtigium, quod eſt importunum, quippe deſumptum a cauſa efficiente ex neceſſitate. Ad primam pro-

Oo batio-

(1) Nouv. Letter. ann. 1685. Decem. pag. 130.

(2) Monteſ. Lett. 95.

(3) S. Au. de Civ. lib. 10. cap. 31. col. 267.

Digitized by Google

bationem concedo totum, neque enim ex creatione Mundi in tempore infertur, Divinam Eſſentiam aut Divina decreta eſſe in tempore, ſed ſolum objectum terminativum iſtorum decretorum eſſe in tempore, prout decretum poſtulabat. Objectio hæc antiqua prædictam jam habuit apud omnes ſapientes, inter quos S. Thomas (1), ſolutionem. Quod pertinet ad ſecundam probationem, *diſt. maj.* Si tempus reale incœpit cum creaturis, ſequitur nullum tempus reale illas præceſſiſſe, *conc. maj.*, nullum tempus imaginarium illas præceſſiſſe, *nego maj. & diſt. min.* Si nullum tempus ne imaginarium quidem præceſſit creaturas, ſequitur illas extitiſſe ab æterno, *conc. min.* Si nullum tempus dumtaxat reale præceſſit creaturas, ſequitur illas eſſe ab æterno, *nego min. & conſeqam.* Diſtinctio temporis realis & imaginarii, ubi agitur de tempore explicatur.

271. IV. Objicitur ab Hieronymo Cardano (2). Mare eſt æternum: ergo etiam Mundus. Conſequentia bona eſt & antecedens ſic ſuadetur. Ex obſervationibus conſtat mare habere eam nunc ſalſuginem, quam habebat olim, talem ſcilicet, ut in duabus libris aquæ hauſtis ab ejus ſuperficie habeatur una ſaltem uncia ſalis, paulo autem amplius ab illis e fundo maris acceptis: ergo mare habet ſuam ſalſuginem ab æterno. Probatur conſequentia, quia eam certe non habet ex commixtione alicujus corporis terrei, & excrementitii, ſicuti cenſuit Ariſtoteles (3); Ex continuo enim tot aquarum e terra in mare affluxu augerentur hæ partes terreæ, & excrementitiæ, adeoque augeretur ipſius ſalitura.

Reſp. I. nego antecedens ſecundi argumenti; Nam obſervationes in hac re, quibus quis tuto innitatur, nullæ afferri poſſunt. Equidem lego Varenium, ubi cæteroquin ſtatuit aquam Oceani eſſe minus ſalſam, quo proprior polis, profiteri (4) *incertum adhuc eſſe propter defectum obſervationum, an in alveis & litoribus Oceani exiſtentis in zona torrida ſit major copia ſalis, quam in ſeptemtrionalibus locis.* Et lego pariter Joannem de Turre affirmare (5) *aquam maris æque ſalſam eſſe in fundo ac in ſuper-*

(1) S. Thom. lib. 2. cont. Gent. cap. 35.
(2) Card. de Subt. circa finem lib. 2. 5. ſed poſtquam pag. 29.
(3) Ariſt. Meteor. 2. cap. 3.
(4) Var. Geogr. lib. 1. cap. 13. propoſ. 10. num. 3. pag. 156.
(5) Turr. Elem. Phyſ. tom. 6. num. 183. pag. 218.

perficie, etſi non afferat aliud argumentum, niſi teſtimonium viatorum, quos Robertus Boyle in diſſertatione de Salſedine maris dicit ſe interrogaſſe.

Reſp. II. tranſeat illud antecedens, ſed nego conſeqam, quæ ex illo nullo modo deſcendit, neque ex iis, quæ in ejus probationem adducuntur. Nunquid enim ex eo, quod nunc prunæ luceant, & calefaciant, ſicut olim novimus facere, ſequitur nos ipſos illas non inflammaſſe, ſed ardere ab æterno? Quæ autem ſit formalis cauſa ſalſuginis maris, etſi non ſit hic locus diſputandi, nihilominus non ſatis valide impugnatur prædicta Ariſtotelis opinio, quam recentius promovit Edmundus Halleyus in Tranſactionibus Philoſophicis num. 344; Non enim negari poteſt aquas in mare influentes deferre in ipſum continuo multa ſalia in iiſdem diſſoluta ex corporibus, per quæ tranſierunt. Potior ratio eſt illa, qua inter alias eam Gaſſendus (1) impugnat, nimirum non fieri ſalſa ſtagna & lacus, etſi ab aquis illuc confluentibus formentur: ergo neque hoc modo ſalſa facta eſt aqua maris. Fuerunt, qui illam ortam eſſe crediderunt ex radiis Solis, quibus fundus maris aduritur, ſed quam multis de cauſſis explodi debeat hæc opinio, docebit Leſſius (2). Alii ſibi videntur videre in fundo maris ſtrata ſalis, ex quorum corroſione facta ſit ſalſa aqua maris, quam opinionem probabiliorem putat Fortunatus a Brixia (3). At, quemadmodum obſervat Pluche (4) ſtrata ſalis in fundo maris erunt tam rara, quam ſunt in terra habitata, in qua profecto ne ſunt quidem milleſima pars aliorum ſtratorum, quæ ſalina non ſunt; Nam in Europa ſtrata ſalis magis nota ſunt in Burgundia & Saxonia, ut docent putei aquæ ſalſæ, qui ibi effodiuntur, de quibus dubitari non poteſt, quod ſint receptacula aquæ pluviæ, quæ tranſiens per ſtrata ſalis illo ſaturatur, quoniam lapſu temporis, conſumptis ſcilicet hujuſmodi ſtratis, amplius ſalſa aqua ex iiſdem non hauritur. Et rurſus ſunt illa, quæ conſtituunt celeberrimam ſalſifodinam Urbis Villiſcæ prope Cracoviam, a qua ab anno 1252. perpetuo educitur ſal, ita ut ex iis, quæ apud eumdem Pluchem (5) legi, & a teſtibus

(1) Gaſſ.Sec.2.Phyſ. memb.1. l.1.c.7.
(2) Leſſ. de Prov. num. 58. pag.644.
(3) Bri.Phyſ.parti.num.3645.pag.45.
(4) Plu. Spett. de la Nat. tom.3. Entr. 6. Le Mer. pag. 441.
(5) Pluch. Ibid. Tom. 3. Entr. 4. Les Fontaines. pag. 279.

de viſu audivi, nova quædam urbs ſubterranea ibi aperta ſit, in qua multi Artifices ad lumen lucernæ vitam ſuam degunt una cum equis ſibi neceſſariis. Itaque ſtrata etiam ſalis, quæ pertinere poſſunt ad terram occupatam a mari, utpote quæ eſt quid continuum cum terra habitata, ne erunt quidem pars milleſima totius fundi maris. Quare ſi ex diſſolutis ſalis ſtratis nata eſſet ſalſugo maris, jam ab aſſumpta quantitate marinæ aquæ non ſolum non extraheretur pars ſalis ſaltem vigeſima quarta, ſed ne milleſima quidem. Fortaſſe nihil melius in hac quæſtione dici poteſt, quam ab ipſa ſui creatione habere maria ſuam ſalſuginem, cum qua conjunctum eſt quoddam bitumen. Hæc enim ut arguit Suarez (1) neceſſaria eſt ad vitam piſcium, qui quinta die creati fuerunt, & ſalſo elemento ita addicti, ut extra illud intereant. Confirmatur hæc opinio ex nota ſalis vi impediendi putrefactionem juxta ſupra (§. 121.) dicta, & ex nomine, quod antiquiores linguæ tribuunt mari derivatum a ſale, ſicuti eſt ſalum apud Latinos: quæ ſunt rationes, quibus in hac re acquievit Joannes Nardius (2). Utrum autem hæc ſalſugo augeatur, an minuatur non poteſt definiri niſi vel per obſervationes circa quantitatem ſalis, quæ a determinato aquæ maris volumine certa ratione deducatur per multorum annorum ſeriem, vel perquirendo & comparando quantitatem ſalis, quam homines ad uſum vitæ e mari extrahunt, & quæ ex eodem per evaporationem quotidie exaltatur & diſſipatur, cum ea quantitate, quæ ab aquis e terra ad mare redeuntibus iterum deportatur. Ex quibus rationibus prima tantum in poteſtate hominum videtur relicta.

Whiſtonus citat (3) Tranſactiones Philoſophicas, in quibus proponitur neſcio quod ſimile argumentum deſumptum a ſalſedine maris, vel pro æternitate Mundi, vel ſaltem pro ea ipſius antiquitate, quæ longe major ſit illa, quæ communiter a Chronologia in Sacra Scriptura fundata ſtatuitur: ſed advertit, authorem ipſum hujus argumenti monuiſſe, ſe conjecturas dumtaxat proponere innixas cuidam hypotheſi circa Originem ſalſedinis ma-

(1) Sua. Oper. 6. dier. lib. 2. cap. 6. num. 21. pag. 96.

(2) Nar. Noctes geniales pag. 12.

(3) Whiſt. Aſtronomical Principl. par. 7. num. 3. pag. 141.

maris, quam fatetur incertam eſſe & nullo modo certam fieri unquam poſſe. Quam confeſſionem arripiens Whiſtonus, dicit authorem hunc operæ pretium facturum fuiſſe, ſi de hujuſmodi conjecturis ſiluiſſet, tum quia otioſis, tum quia tendentibus irreverenter contra authoritatem Sacræ Scripturæ.

272. V. Objicitur. Terra hæc noſtra ſolo ſuo adſpectu prædicat paſſam olim fuiſſe ſubverſionem talem, ut nihil primæ ſuæ ſpeciei retineat: ſed hoc poſito, poteſt Mundus hic eſſe ab æterno, & nullum nihilominus habere nos indicium æternitatis Mundi. Nam Lucretius ipſe vidit potuiſſe artes, quarum principium pertinet extra controverſiam ad certum tempus a nobis non remotiſſimum, fuiſſe jam olim cognitas (1),

Sed periiſſe hominum torrenti ſæcla vapore:
Aut cecidiſſe urbes, magno vexamine Mundi:
Aut ex imbribus aſſiduis exiſſe rapaces
Per terras amnes, atque oppida cooperuiſſe;

cujus rationis vim agnoverunt alii etiam Philoſophi ante Lucretium, citati a Perenio (2), qui cæteroquin illos impugnat, & recentius agnovit Daniel Moroffius (3): ergo ex eo, quod nulla habeamus indicia æternitatis Mundi, nequit prudenter inferri Mundum hunc non eſſe æternnm.

Reſp. I. tranſeat maj. & nego min. Nam ut arguit Steuchus (4) ex ſuppoſita prædicta rerum univerſali ſubverſione tantum abeſt, ut inde inferatur Æternitas Mundi, quin potius ea inde evidenter excluditur; Actum enim erit in illa hypotheſi de omni genere viventium, quæ ſunt terræ & Mundi præcipua pars, & quæ cum iterum habeantur, neceſſe eſt admittere principium exiſtentiæ illorum, adeoque neceſſe eſt Mundum hunc non eſſe æternum. Quod ſi non omnino generalis dicatur illa ſubverſio, ut conſulatur propagationi viventium, jam non fuiſſent extincta omnium præteritarum rerum monumenta, quemadmodum, quia familia Noe ſuperſtes fuit in generali diluvio, conſervata fuit aliqua antiquiorum temporum memoria ſaltem Diluvii apud omnes gentes.

Reſp.

(1) Lucr. de rerum natura lib. 5.

(2) Perer. In Geneſ. lib. 1. ad illud In Principio pag. 17.

(3) Mor. Polyhiſt. tom. 2. lib. 2. cap. 11. §. 6.

(4) Steu. de Perenni Philoſoph. lib. 7. cap. 5.

Reſp. II. nego majorem.

273. Hanc I. probant, quia qui obſervant partes componentes terram, concludunt illam fuiſſe olim penetratam ab igne; Nam ubique reperiuntur arena, ſabulum, ſilices, & alia, quæ certo ſunt concretiones ex vitri particulis. Sic tenet Leibnitius in ſua Protogea. Sic cenſuerunt, referente Jo. M. de Turre (1), Buffonius, & Daubentonius in ſua Hiſtoria Univerſali, quæ prodire cœpit Pariſiis anno 1749.

Reſp. ex vitro, quod reperitur diſperſum per terras, tam male inferri, ergo terra fuit vitrificata ab incendio quodam univerſali & diuturno, quam male quis ex oculis felis, vel aliis phoſphoris lucentibus conſtanter in tenebris inferret illos fuiſſe olim partes ſolis. Opinionem hanc de conflagratione terræ, quæ conſumpſerit omnia monumenta, adhibuerunt jam olim teſte S. Auguſtino (2) illi, qui terram & genus humanum ſtatuebant æterna. At ſi omnis terra conflagravit, jam opus fuit novo hominum, animalium, plantarum, aliarumque ſpecierum creatore: ergo non erit genus hoc humanum ab æterno, ut Adverſarii vellent. Sin autem pars aliqua terræ cum ſuis habitatoribus incendium hoc paſſa non eſt, ergo debuerat remanere tum aliqua tanti eventus traditio, tum notitia aliquarum ſaltem artium & diſciplinarum, nec ita omnes interire, ut ſingularum origo ad pauca ante nos ſæcula ipſis Adverſariis fatentibus revocaretur. Simili modo iſtos Coquæus in notis ad citatum Auguſtini locum confutat.

274. II. probant, quia ex Philoſophis, qui obſervant montes huc illuc per totum terræ globum diſperſos, alii quidem dicunt videre ſe neſcio quid ſimile urbi, quæ vel furorem militarium tormentorum ſubſtinuit, vel vim ingentis & generalis terræmotus, qualem Joannes Ray, Burnetus, Pluche (3), aliique volunt fuiſſe inſtrumentum diluvii univerſalis, quatenus vel producti tunc primum in mari montes totas ſuas aquas ſupra aridam ex improviſo effuderint, quæ in poſterum facta eſt mare, relicta hominibus ad habitandum ea telluris parte, quæ ab initio

(1) Turr. Phyſ. partic. tom. 1. num. 164. pag. 142.

(2) S. Aug. de Civit. lib. 12. cap. 10. col. 309.

(3) Plu. Spett. de la Nat. to. 8. par. 1. Certit. de l'Hiſtoi. Sain. num. 16. pag. 85.

tio rerum fuerat piſcibus aſſignata, vel alia ratione, quam quiſque pro ſuo arbitrio comminiſcitur. Eamdem opinionem de hominibus, qui olim vixerint, ubi nunc ſunt Ceti, etſi non propter ſubitam aliquam & violentam terræ totius commotionem, ſed per ſucceſſivum, & lentum motum aquarum ex uno in alium locum, tenuerunt jam olim Aſiæ Philoſophi, ex quorum doctrina Pythagoras apud Ovidium habet (1),

Vidi ego, quod fuerat quondam ſolidiſſima tellus
Eſſe fretum: vidi factas ex æquore terras,
Et procul a pelago conchæ jacuere marinæ,
Quodque fuit campus, vallem decurſus aquarum
Fecit: & eluvie mons eſt deductus in æquor.

Motum hunc ſucceſſivum maris ſupra terram, & per talem ipſius motum formationem ſuperficiei hujus noſtræ telluris, montibus & vallibus ubique abruptam promovit Author cujuſdam hiſtoriæ univerſalis, quem efficaciter Hooke (2) ſingillatim confutat, etſi non nominet. Eadem opinio placuit citatis Buffonio, & Daubentonio, qui obſervant, quod in montibus, quos vallis aliqua dividat, inveniantur eadem foſſilia ad eaſdem altitudines diſpoſita, quemadmodum accidit in ripis fluminum ſibi e regione oppoſitis. Rurſus iidem dicunt compertum eſſe fundum maris habere ſuas valles, & montes, quemadmodum nos videmus haberi in regionibus a nobis habitatis. Etſi enim profunditas maris diverſa, quæ in diverſis locis reperitur, plerunque contineatur intra limites brachiorum 60, & 150: attamen non raro hos etiam limites tranſcendit, præſertim in Oceano, ubi ſæpe eſt mille paſſuum, aliquando 1500, aliquando etiam major, & alicubi inſcrutabilis. Nam notum eſt, modum, quo hæc æſtimatur, eſſe per bolidem, hoc eſt plumbum fune ſuſpenſum, quod debet eſſe talis ponderis, ut ſuperet illud, quod eſt in volumine aquæ æquali ipſimet plumbo & funi intra aquam immerſo conjunctim. Si enim non ſuperet, jam illud innatabit infra aquæ ſuperficiem, & funis fluitabit: Cum autem creſcente maris profunditate augenda ſit etiam plumbea moles, ne propter auctam neceſſario longitudinem & craſſitudinem funis, fiat tandem æquilibrium.

(1) Ovid. Metamorph. lib. 15. v. 442. ſec. 1. arg. 4. pag. 65.
(2) Hook. Princ. Religi. tomo 1.

brium cum aqua, ideo inſcrutabilis eſt ea profunditas, quæ eſt ſupra certos limites. Quis enim, nautarum ferat ſecum bolides immanis ponderis? Communiter ſolet adhiberi plumbum 30, vel 40 librarum. Præterea Brevia extenſa aliquando per magnos tractus, & inſulæ paſſim diſperſæ habenda ſunt pro totidem maritimis montibus, vel montium catenis. Atqui montes & valles in mari oriuntur ex aquarum motu, violentius alicubi, quam alibi propter aliquas cauſas excitato, qui ibi cavitates, & alibi aggeres terræ congregavit: ergo ſimiliter nati ſunt montes & valles extra mare, quod certe poſtulat ſpatium longe majus, quam annorum fere ſex mille, quale tribuitur Mundo.

Reſpondeo hoc argumentum ſeipſum deſtruere, quandoquidem congerit opiniones, quarum una aliam evertit. Si enim montes ſunt rudera quædam teſtantia generalem ſubverſionem, jam non deberet in ipſis eſſe ea eorumdem foſſilium ad eamdem altitudinem diſpoſitio in oppoſitis inter ſe montibus, qualem alii dicunt ſe obſervaſſe.

At dicebat Buffonius: montes habent e regione ſua cavitates, quemadmodum ripa ex una parte ſurgens a flumine habet ſibi oppoſitam cavitatem: ergo montes facti ſunt ab aquis fluentibus. *Reſp. permitto antecedens, & nego conſeqam*. At habentur eadem ſtrata terrarum in oppoſitis litoribus: ergo diviſa eſt ſuperficies telluris ibi paulatim ab aquis interfluentibus.

Reſp. iterum permitto antecedens, & nego conſeqam. Quod magni Buffonius æſtimet hæc argumenta, & dicat apud Jo. M. de Turre (1) ſe illorum ſolutionem non invenire, ipſe viderit, unde hoc procedat, quod certe non procedit a connexione ulla inter illa antecedentia, & illas conſequentias.

275. Sed venio primo ad illos, qui montes negant eſſe quicquam, quod factum ſit conſilio & arte, & dico utrumque palam fieri per obſervationes ſupra (§. 117.) poſitas circa montium ſtructuram & uſus: quemadmodum falſi jam fuerunt citati ibidem Philoſophi, qui contemnunt & impugnant horum objectiones; quibus addam Scripturæ interpretes, qui dum obſervant ſcriptum eſſe, Sapientiam fuiſſe antequam exiſterent abyſſi, fontes

(1) Tur. Phyſ. partic. tom. 1. num. 171. pag. 145.

tes & montes, quia hæc, inquit Cornelius a Lapide (1) *per Sapientiam creata ſunt, & ſine ea creari non poterant*, & multo magis dum declarant, quanto jure ſcriptum ſit, (2) *Benedicite montes Domino*, jam ſatis ſignificant, quid cenſeant de horum opinione.

Venio deinde ad illos, quibus horridus quidem non eſt aſpectus montium & vallium, ſed cenſent hæc nata eſſe ex aquis, ſicuti ex aqua tamquam cauſa extant ſimiles inæqualitates in fundo maris: & dico gratis credi, inæqualitates in fundo maris potiſſimas ortas eſſe ex motu aquarum, quin immo ipſæ inſulæ, & montes prælalti, qui in iis habentur, poſſunt eſſe totidem demonſtrationes in contrarium. Originariæ igitur hæ dicendæ ſunt, & conſtitutæ ab ipſa terræ formatione ad fines notos adæquate Creatori, & ex quibus aliquos non difficile eſſet etiam cogitanti invenire.

276. Quod pertinet ad opinionem de commutatis piſcium & hominum habitationibus, ſi ſermo ſit de illa, quæ id explicat per generalem terræ totius motum, qui poſtquam partialis ſaltem cauſſa fuit diluvii univerſalis, terram nobis reliquerit aſperam montibus, ea rejecta jam olim fuit ab iis, qui ex dictis (§. 117.) montium formationem numerant inter opera diei tertiæ, & ab omnibus, qui quaſdam Scripturæ loquutiones advertunt, quibus ipſam, Suarez dixit (3) *multum repugnare*: idem alii recentius ſentiunt, addentes eſſe etiam contrariam obſervationibus, quæ circa montium ſtructuram fiunt. In his ſunt Valliſnerius (4), Fortunatus a Brixia (5), Jo. M. de Turre (6), & Thomas Gabrini, in ſua *de Origine montium diſquiſitione*, edita Piſauri anno 1752. cujus compendium quoddam habetur tomo 7. Hiſtoriæ Literariæ Italiæ (7), & cujus authorem non ſolum honoris cauſa nomino, cum pro ſua doctrina, & rectitudine conſtitutus mihi fuerit judex hujus opellæ, & aliarum, quas jam antea edidi, ſed etiam grati animi ergo, quoniam pro ſua humani-

(1) A Lapi. Comm. in Proverb. 8. v. 25.

(2) Dan. 3. v. 75.

(3) Sua. oper. 6. dier. lib. 2. cap. 6. num. 16. pag. 55.

(4) Vall. Oper. tom. 2. Effetti del Diluvio a §. 88.

(5) Brix. Phyſ. partic. num. 3896. & ſeq. pag. 6.

(6) Tur. Phyſ. tom. 3. num. 162.

(7) Stor. letter. Vol. 7. lib. 1. cap. 5. num. 6. pag. 164.

manitate eaſdem ad typos ſemper cum laude adprobaverit. Ut autem hæc opinio falſa cenſeatur ſatis eſt illud, quod de Diluvio ſcriptum eſt, (1) *Aquæ prævaluerunt nimis ſuper terram, opertique ſunt omnes montes excelſi ſub Univerſo Cælo. Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes, quos operuerat*. Qui modus loquendi ſupponit fuiſſe montes ante diluvium. Fac enim illos non fuiſſe, jamque vel peccant falſa ſuppoſitione illa verba, vel neceſſe eſt detorqueantur a ſenſu obvio in hunc alium, operti ſunt omnes montes, hoc eſt omnia loca, in quibus nunc ſunt montes, quæ interpretatio neſcio, an careat temeritate. Sin autem ſermo ſit de commutatione maris in campos & colles, & camporum in mare, lenta & ſucceſſiva, hæc opinio abſurda eſt; Nam naturalibus gravitatis legibus repugnat hujuſmodi aquarum tranſmigratio.

277. Inſtabat Pythagoras apud Ovidium, quem alii deinde ſequuti ſunt. Inveniuntur multa corpora marina in longe diſſitis a mari locis, & quidem in tanta quantitate, ut videantur eſſe opus multorum annorum. Ex his conchylia ſunt omnium frequentiſſima, eaque inveniuntur, ut accurate diſtinguit, & exponit Jo.M. de Turre (2), vel in petram, vel in calcem converſa, vel intime penetrata ab halitibus mineralibus, vel omnino deſtructa, ſed quæ ſui formam in lapide intra ipſa concreto reliquerunt, vel in ſtatu ſuo naturali: & horum aliqua ſunt ejus ſpeciei, quam nemo Philoſophorum in ipſo mari aut aquis vidit. Poſt conchylia ſunt magno in numero corallia, quorum inveniri integra ſtrata & montes teſtantur, qui de his ſcripſerunt Klein, Ellis, Vallerius locis citatis ab eodem Turre (3): ergo mare fuit olim ibi. Quis enim audiat Alexandrum Taſſoni, celebrem Poetam, & Philoſophum pro ſuis temporibus non ignobilem, qui ſtatuit (4) corpora hæc jure dici marina, ſi ſermo ſit de illis, quæ includant viva animalia: ſecus vero, ſi de ſolis teſtis, putans has procreari a natura in quovis ſolo arenoſo, quod debita careat humiditate, quam requirit ad formationem viventis in iis incluſi. Atqui a multis jam ſæculis non moveri mare e ſuo lo-

co

(1) Gen. cap. 7. v. 19.

(2) Tur. Elem. Phyſ. tom. 4. §. 1014. & ſeq. pag. 302.

(3) Id. ibid. §. 993. pag. 287.

(4) Taſſ. Penſieri diverſi lib. 4. qu. 24. pag. 138.

co conſtat hiſtoriis, quæ regna & urbes memorant in iis locis, in quibus nunc habentur: ergo mare movetur motu tam lento, ut ſæcula ferme infinita requirantur ad decurrendam totam terram: ergo terra eſt a ſæculis ſaltem ferme infinitis, & generaliter materia.

Reſp. I. omitto totum entymema cum minori ſubſumpta, & nego conſeqam, quæ non deſcendit; Ea enim, quæ ex præmiſſis illis infertur, eſt hæc disjunctiva, ergo vel mare fuit olim in locis a mari nunc diſſitis aliter, quam per ſuum aliquem motum periodicum ſupra ſuperficiem terræ, vel a multis jam ſæculis amplius non movetur, vel movetur motu tam lento, ut poſt multa jam ſæcula nondum ſit ſenſibilis. Cujus disjunctivæ admittenda eſt ut vera, ſola prima pars, quare cætera cadunt.

Reſp. II. concedo primam partem antecedentis, & nego ſecundam. Do enim quantitatem cōnchyliorum hujuſmodi eſſe ingentem, ſed parem tempori decem integrorum menſium, quibus (1) ex narratione Moſaica, Diluvii univerſalis duravit inundatio ſupra ipſos maximos montes. Extincto enim genere humano, & multis aliis viventibus, quæ conchyliis iſtis uterentur, potuit eorum numerus augeri quam maxime ex nota illorum admirabili fœcunditate. *Nego autem conſequentiam*; Nam per generale diluvium, quo terra hæc, ut ex Divina hiſtoria conſtat, tota fuit obruta, cenſuit jam olim Philo (2), & nunc cum communi repetunt Pluche (3), & Angli Hiſtoriæ univerſalis Auctores (4), translata fuiſſe corpora iſta marina in loca a mari remota, eaque ibi ſubſidentibus aquis relicta eſſe. Hæc, ut loquar cum eodem Pluche, ſe habent ad hiſtoriam totius terræ, nobis relictam in Geneſi, quomodo ſe habent numiſmata ad hiſtoriam Romanam. Hinc illa (5) *ubique locorum inveniri maxima in copia*, ex Buffonio, & multis aliis, quos citat, dicit Jo. de Turre (6), & referente Joſepho Antonio Conſtantino (7), inveniuntur in montibus Italiæ, Græciæ, Germaniæ, Phoeniciæ, addo ego & montes

 impe-

(1) Gen. cap. 6.
(2) Phi. de Mundo incorruptibili.
(3) Plu. Spett. de la Nat. Tom. I. Entr. 9. §. Nou ie vous. pag. 612.
Id. Ibid. Tom. 3. Vſage du ſpect. §. D' un bout. pag. 630.
(4) Sto. Uni. Vol. 1. par. 4. cap. 1. ſec. 6. pag. 669.
(5) Id. Ibi. num. 183. & ſeq. pag. 156.
(6) Tur. Phyſ. par. tom. 1. num. 167. pag. 142.
(7) Conſ. Verità del Diluvio.

imperii Sinenſis, in quorum aliquo inventa hæc eſſe lego in Tranſactionibus Philoſophicis (1), & etiam in America. Hanc ſententiam recentiſſime propugnavit citatus Conſtantinus contra Antonium Valliſnerium (2), qui de illius veritate dubium ſe (3) profeſſus fuerat, & contra Lazarum Morum, qui aperte eamdem rejecerat in novo de teſtaceis iſtis & marinis corporibus ſyſtemate, Venetiis edito anno 1740, cujus cum laude meminit Scipio Maffejus (4), & magnum ex ipſo fragmentum profert Fortunatus a Brixia (5), qui in hac re Valliſnerio adhæret. In eo Morus credit, congruentius rem hanc explicari ſupponendo montes alios eſſe primarios, alios ſecundarios; utroſque autem factos a Deo ope ignis ſubterranei, qui ex improviſo ſublevaverit in aliquibus locis tellurem, quæ prius tota ſupponitur ſphærica perfecte, & circumveſtita aquis, ad habenda maria, & congregationes aquarum: ſed primarios vult factos nondum creatis piſcibus; quos ſolum die quinta creatos dicit Scriptura (6), illoſque vult eſſe, in quibus nulla inveniuntur croſtacea: ſecundarios vero, poſtquam piſcibus aquæ jam impletæ erant, qui per ſubitam ſoli erectionem remanentes in arido, extincti perſeverant adhuc in illis locis, in quibus defuerunt cauſſæ, quæ illos diſſolverent.

278. III. probant, quia dicunt inventa eſſe in locis a mari remotiſſimis inſtrumenta, quorum uſus eſt ſolum in mari, & citant Ovidium, qui inducit Pythagoram dicentem (7),

Et vetus inventa eſt in montibus anchora ſummis.

Alii etiam poſt Ovidium anchoram referunt repertam fuiſſe in quodam Helvetiorum monte, eamque credunt pertinuiſſe ad homines antediluvianos. Rurſus dicunt corpora quædam aliquando erui e terra, quæ ſunt manifeſta veſtigia arborum & animalium terreſtrium, quæ nullibi jam amplius reperiuntur, & iterum concludunt eam totius telluris ſubverſionem, quam volunt.

Sed quod pertinet ad primum. Verius ea narratiuncula, vel cum Voltaire (8) rejicitur inter fabulas, vel dicitur ab aliquo por-

(1) Tranſ. an. 1753. art. 37. pag. 259.

(2) Conſt. ubi ſupra par. 1. ſec. 1. §. 11. pag. 14.

(3) Valiſ. De Corpi marini.

(4) Maff. Formazi. de fulmini. lett. 13. al Condamine.

(5) Brix. Phyſ. partic. num. 3917. pagin. 28.

(6) Gen. cap. 1. v. 21.

(7) Ovi. Metam. lib. 14. v. 445.

(8) Vol. Oeuvr. Tom. 6. ſur le chan. gement arrivez a la Terre. pag. 1.

portu Lacus Genevenſis olim aſſumpta ea anchora ad ſubſtinendum per ejus adhæſionem alicui ſcopulo pondus aliquod, ut tormentum bellicum, ſupra illum montem translatum. Quod ad ſecundum attinet, dico cum Pluche (1) pleraque eorum, quæ olim credita fuerunt veſtigia arborum, & animalium terreſtrium, accuratius examinata inventa eſſe, pertinere ad corpora marina. Sic immania quædam oſſa alicubi effoſſa, olim elephantis, nunc hyppopotamis tribuuntur. Sic dentes piſcis canis, quem Carcariam, vel Lamiam appellant, nunc ſunt, quæ linguæ ſerpentium petrificatæ vulgo olim habebantur.

279. IV. probant, quia ſunt, qui dicunt mare jacens inter Hollandiam & Angliam exortum fuiſſe ex aquis Oceani, quæ auctæ fluminibus alteram tandem ab altera ſepararunt, terra intermedia partim obruta, partim perfoſſa. Hoc modo Plinio authore natum eſſe fretum Gaditanum aliqui exiſtimarunt: Alii vero, ut Strato apud Strabonem (2), non ex Oceano, ſed ex Mediterraneo redundante factum illud putarunt, præſertim poſtquam Pontus Euxinus tumefactus fluminibus in ſe irruentibus evertit repagula, quæ illius quaſi commercium cum Propontide & Helleſponto impediebant. Simili modo, & etiam terræmotibus Siciliam disjunctam fuiſſe ab Italia, dicunt Æſchylus apud eumdem Strabonem, Virgilius, Salluſtius, & Valerius Flaccus. Nec deſunt teſte Voltaire (3), qui totius Mediterranei formationem repetunt a terræmotu, quo non ſolum aquæ Oceani, ſed aliæ etiam in terræ penetralibus incluſæ, erumpentes limitarunt ſpatia incolis terreſtribus deſtinata: ergo quoniam tot terræ partes ac tantæ commutatæ ſunt, aliæ aquis, aliæ igne, aliæ terræmotibus, aliæ aliis de cauſis, dici revera poteſt, totam terram nihil ſuæ primæ ſpeciei habere.

Reſp. opiniones prædictas de formatione marium, quæ nominantur, eſſe vel fabuloſas, vel arbitrarias, vel abſurdas. Fabula eſt exortus freti Gaditani per diſruptos ab Hercule montes, qui Oceanum antea excludebant; Huc enim alludunt Plinius, & alii,

(1) Plu. Hiſtoi. du Ciel. in fine num. 8. pag. 273.

(2) Strab. lib. 1. in edit. Jo. Wolter. 1707. pag. 85.

(3) Volt. Oeuvr. tome 6. Changemens de la Terre. §. Une ſottiſe d' Auteurs pag. 11.

alii, quos Harduinus (1) in ejus notis commemorat. Falſum autem eſt Oceanum potuiſſe creſcere propter flumina, quæ in illum ingrediuntur; Nonne enim a multis jam ſæculis compertum eſt, nullum hujuſmodi incrementum in ipſo apparere, vel quia vaporat quotidie tanta aquarum quantitas, ut hæc minor non ſit illa, quam flumina ad mare referunt, vel potius quia, dum (2) *omnia flumina intrant in mare, ad locum unde exeunt revertuntur*. Quid tandem magis abſurdum, quam credere Mediterraneum extitiſſe ex terræmotu? Quo igitur erumpebant tot illi perennes & ampliſſimi fluvii Aſiæ, Europæ, & Africæ, Rhodanus, Padus, Danubius, Nilus, aliique multi, qui in Oceanum defluere non poterant, niſi aſcendendo per Alpes, Pirenæos, & Atlantem. Qui diceret, ea flumina vel non extitiſſe niſi poſt natum ex terræmotu Mediterraneum, vel per occultos in terræ viſceribus circuitus ad Oceanum decurriſſe, ille jam totam ſuperficiem terræ fingit diverſam nunc ab ea, quæ olim fuit, adeoque incidit in Dialecticæ Solœciſmum, petitionem principii, quippe imprudens affert præſuppoſitam totius terræ mutationem pro ejuſdem mutationis argumento. Hunc urget Giannettaſius ſic, (3) *Terræmotu, quo tota Africa contremuit, cur non Arabicus Iſthmus, cur non Tauricus anguſtiſſimus, non Corinthiacus, non alii diſrupti?*

280. IV. probat Monteſquius, ſeu Auctor Literarum Perſicarum: Omnes hiſtoriæ loquuntur de uno primo omnium parente, eædemque ob oculos ponunt naturam humanam naſcentem: ergo, ſic enim immediate ſubjungit, *naturale eſt cogitare, Adamum evaſiſſe a communi aliqua calamitate, quemadmodum Noe a diluvio, atque hujuſmodi eventus frequentes fuiſſe in Mundo*.

Reſp. cum Valſecchio (4), *conc. antecedens, & nego conſequam*, quæ nullo modo deſcendit.

281. Reſtarent ſophiſmata quædam contra poſſibilitatem creationis materiæ ex nihilo: ſed illa mihi quidem videntur ſuammet fatuitatem præſeferre, quam planiorem etiam fecit Samuel

(1) Hard. ad lib. 3. Plinii. num. 1. pag. 135.
(2) Eccle. 1. 7.
(3) Gian. Elem. Geogr. lib. 2. prop. 8. pag. 61.
(4) Valſ. Fondam. de la Relig. lib. 1. cap. 3. num. 6. pag. 59.

muel Clarkius (1). Reſtarent rurſus alia, quæ pro æternitate Mundi objecerunt Ariſtoteles, Proclus, Averroes, & alii, de quibus meminerunt Suarez (2) & Pererius. Sed hæc omitto, quoniam omnia Pererius ipſe (3) diſtinctim collegit, & refutavit, & nuper Antonius Genuenſis eadem prout ab ipſo propoſita & diſſoluta, etſi eidem non placeant illius reſponſiones, tranſtulit (4) in ſuam Metaphyſicam, præteriens dumtaxat decimum nonum argumentum Procli, quia ſimile eſt octavo, & reſponſionem magna ex parte ad vigeſimum ſecundum. Procli quidem liber, quem de Æternitate Mundi ſcripſit, intercidit, ſed ejus argumenta remanſerunt apud Joannem Grammaticum, cognomento Philoponum, qui Proclum illum, Græce dictum Diadochum, Latine Succeſſorem impugnavit. Opus iſtud Philoponi e Græco Latinum reddidit primo quidem, ſed parum feliciter Gaſpar Marcellus Montagnenſis; deinde vero, & longe melius Joannes Mahotius Argentæus ſex annis poſt Marcellum, anno ſcilicet 1557.

PROPO-

(1) Cla. A demonſtration of God. propoſ.10. corol.1.

(2) Sua. Oper. 6. dier. lib. 1. cap. 2. num. 5. pag. 9.

(3) Per. de Commu. Princip. lib. 15. a cap. 2. pag. 458.

(4) Gen. Elem. Metaph. par. 3. cap. 1. pag. 37.

alii, quos Harduinus (1) in ejus notis commemorat. Falſum autem eſt Oceanum potuiſſe creſcere propter flumina, quæ in illum ingrediuntur; Nonne enim a multis jam ſæculis compertum eſt, nullum hujuſmodi incrementum in ipſo apparere, vel quia vaporat quotidie tanta aquarum quantitas, ut hæc minor non ſit illa, quam flumina ad mare referunt, vel potius quia, dum (2) *omnia flumina intrant in mare, ad locum unde exeunt revertuntur*. Quid tandem magis abſurdum, quam credere Mediterraneum extitiſſe ex terræmotu? Quo igitur erumpebant tot illi perennes & ampliſſimi fluvii Aſiæ, Europæ, & Africæ, Rhodanus, Padus, Danubius, Nilus, aliique multi, qui in Oceanum defluere non poterant, niſi aſcendendo per Alpes, Pirenæos, & Atlantem. Qui diceret, ea flumina vel non extitiſſe niſi poſt natum ex terræmotu Mediterraneum, vel per occultos in terræ viſceribus circuitus ad Oceanum decurriſſe, ille jam totam ſuperficiem terræ fingit diverſam nunc ab ea, quæ olim fuit, adeoque incidit in Dialecticæ Solœciſmum, petitionem principii, quippe imprudens affert præſuppoſitam totius terræ mutationem pro ejuſdem mutationis argumento. Hunc urget Giannettaſius ſic, (3) *Terræmotu, quo tota Africa contremuit, cur non Arabicus Iſthmus, cur non Tauricus anguſtiſſimus, non Corinthiacus, non alii diſrupti?*

280. IV. probat Monteſquius, ſeu Auctor Literarum Perſicarum: Omnes hiſtoriæ loquuntur de uno primo omnium parente, eædemque ob oculos ponunt naturam humanam naſcentem: ergo, ſic enim immediate ſubjungit, *naturale eſt cogitare, Adamum evaſiſſe a communi aliqua calamitate, quemadmodum Noe a diluvio, atque hujuſmodi eventus frequentes fuiſſe in Mundo*.

Reſp. cum Valſecchio (4), *conc. antecedens, & nego conſequam*, quæ nullo modo deſcendit.

281. Reſtarent ſophiſmata quædam contra poſſibilitatem creationis materiæ ex nihilo: ſed illa mihi quidem videntur ſuammet fatuitatem præſeferre, quam planiorem etiam fecit Samuel

(1) Hard. ad lib. 3. Plinii. num. 2. pag. 61. pag. 135.

(2) Eccle. 1. 7.

(3) Gian. Elem. Geogr. lib. 2. prop. 8.

(4) Valſ. Fondam. de la Relig. lib. 1. cap. 3. num. 6. pag. 59.

muel Clarkius (1). Reſtarent rurſus alia, quæ pro æternitate Mundi objecerunt Ariſtoteles, Proclus, Averroes, & alii, de quibus meminerunt Suarez (2) & Pererius. Sed hæc omitto, quoniam omnia Pererius ipſe (3) diſtinctim collegit, & refutavit, & nuper Antonius Genuenſis eadem prout ab ipſo propoſita & diſſoluta, etſi eidem non placeant illius reſponſiones, tranſtulit (4) in ſuam Metaphyſicam, præteriens dumtaxat decimum nonum argumentum Procli, quia ſimile eſt octavo, & reſponſionem magna ex parte ad vigeſimum ſecundum. Procli quidem liber, quem de Æternitate Mundi ſcripſit, intercidit, ſed ejus argumenta remanſerunt apud Joannem Grammaticum, cognomento Philoponum, qui Proclum illum, Græce dictum Diadochum, Latine Succeſſorem impugnavit. Opus iſtud Philoponi e Græco Latinum reddidit primo quidem, ſed parum feliciter Gaſpar Marcellus Montagnenſis; deinde vero, & longe melius Joannes Mahotius Argentæus ſex annis poſt Marcellum, anno ſcilicet 1557.

(1) Cla. A demonſtration of God. propoſ. 10. corol. 2.

(2) Sua. Oper. 6. dier. lib. 1. cap. 2. num. 5. pag. 9.

(3) Per. de Commu. Princip. lib. 15. a cap. 2. pag. 458.

(4) Gen. Elem. Metaph. par. 3. cap. 1. pag. 37.

PROPOSITIO VI.

Mundus quod pertinet ad omnem illius materiam creatus eſt unico inſtanti, & quidem die Dominico: formatus autem & diſpoſitus in diverſa re & loco corpora ſex dierum proprie talium ſpatio.

SECTIO I.

De Adverſantibus propoſitioni.

282. PRimo opponuntur Philoſophi Ethnici, qui vel ignorantes Scripturam, vel illam negligentes, aut exiſtimarunt nullam eſſe coſmogoniam, utpote æternitatem Mundi propugnantes, contra quos jam dixi, aut eam tradiderunt, quæ non poteſt ſine commiſeratione enarrari, ridiculis & horridis etiam commentis contextam, ut videre eſt apud Anglos Hiſtoriæ Univerſalis Auctores (1), qui aliquorum in hac re opiniones compendioſe referunt. In his non eſt reticenda, tum illa veterum Hetruſcorum, qui, ut nobis Suidas (2) ex illorum uno authore refert, volunt Mundum creatum a Deo ſpatio ſex millium annorum, & primo millenario Cælum dicunt & Terram fabricata: ſecundo Firmamentum quod videmus: tertio mare & aquas ſuper terram: quarto Solem Lunam & Stellas: quinto volatilia, piſces, reptilia, quadrupedes: & ſexto hominem; Tum illa recentium Perſarum, qui juxta citatos Anglos hiſtoricos (3) Mundum docent creatum intra ſex tempora diverſæ durationis; intra primum dierum quinquaginta quinque, Cœlos: intra ſecundum dierum ſexagintas aquas: intra tertium dierum ſexaginta quinque, terram: intra quartum dierum triginta, plantas: intra quintum dierum octoginta, animalia: intra ſextum dierum ſeptuaginta quinque, hominem. Quæ omnia tempora ſimul ſumpta faciunt annum, ſive dies 365. Horum opiniones, plane apparet eſſe corruptiones veræ doctrinæ, quæ in Moſaica Geneſeos narratione

nobis

(1) Stor. Univ. Coſmog. Vol. 1. par. 2. pag. 65.

(2) Suid. verb. Tyrrhenia. pag. 519.

(3) Stor. Univ. Coſmog. pag. 102.

Digitized by Google

nobis conſervata eſt, quam melius Perſis retinuerunt Etruſci, quod pertinet ad diſtributionem rerum creatarum.

283. II. opponuntur Philoſophi illi cæteroquin Chriſtiani, qui auſi ſunt vel diſcedere a Sacro Geneſcos libro, vel illum pro arbitrio contra Catholicam & communem etiam ſententiam interpretari. Inter iſtos equidem Carteſium non referam, qui etſi Mundum hunc emergentem contempletur ex ſolis motibus mechanicis, nihilominus expreſſe pluribus in locis citatis a Malebranchio (1), admonet id ſe fingere dumtaxat, qui cæteroqui adhæret Verbo Dei, aliter nos Coſmogoniam docenti, ut hac via melius exponat naturam Mundi, & diverſarum rerum, quæ illum componant, quemadmodum, ſic ille, (2) *ad plantarum vel hominum naturas intelligendas melius eſt conſiderare, quo pacto paulatim ex ſeminibus naſci poſſint, quam quo pacto a Deo in prima Mundi origine creati ſint*. At Burnetus enim vero, & Whiſtonus Authores Angli, & Leibnitius Germanus tellurem hanc noſtram eo modo commenti ſunt formatam, qui huic propoſitioni adverſatur. Summa ſententiæ, quam Burnetus in ſua Theoria Sacra anno 1681 Londini edidit, eſt hujuſmodi. Tellurem hanc ponit ipſe fuiſſe a prima origine Chaos ex omni materia invicem permixta compoſitum, deinde paulatim ſubſidentibus partibus gravioribus in centro globi, efformatum eſſe denſum nucleum, quem aquæ contexerunt, quibus ſupernatarunt liquores illi, qui aqua ſunt minus graves, & ex horum concretione per ſuam adhæſionem cum particulis decidentibus ex aere omnem hanc maſſam circumdante, factam fuiſſe cruſtam duriſſimam, uniformem, & perfecte rotundam, atque hanc fuiſſe habitatam a primis hominibus uſque ad diluvium, quod comminiſcitur accidiſſe, quia calore ſolis ſenſim rimæ apertæ ſunt in cruſta illa contegente aquas ſubjectas, quæ rimæ tandem majores evadentes diviſerunt cruſtam illam adæquate in partes aliquas, quæ corruerunt infra aquas, & utpote concavæ reliquerunt cavitates ingentes, quo tandem paulatim aquæ ſe reciperent, & iterum aridam alicubi terram exponerent novis opportunam habitatoribus, quales nos ſumus. Quæ certe hypotheſis excludit tempus & diſtin-

(1) Mal. de Inqu. Verit. lib. 6. par. 2. cap. 4. §. Verum præcipua, pag. 438.

(2) Car. Princ. par. 3. num. 45. pagin. 52.

ſtinctionem dierum in hujus globi ornatu, & diſpoſitione ac formatione, de quibus expreſſe meminit liber Geneſeos. Plenam Burneti confutationem dedit Joannes Keillius in ejus examine edito anno 1734. Et ſolæ etiam objectiones, quas perſtringunt citati Angli Hiſtorici (1) illam peſſumdant.

284. Gulielmi autem Whiſtoni theoria terræ, quam protulit Londini anno 1708, vult illam prius fuiſſe Cometam circa Solem in Ellypſi ſatis oblonga ſe moventem, quæ cum tandem Deo placuit, commutata ejus orbita in Ellypſim accedentem ad circulum, evaſit terra habitabilis. In qua pariter hypotheſi jam actum eſt de illo ſex dierum intervallo, quo omnia creata, tellus ornata, & ad habitationem hominis ultimo creati aptata dicitur a Scriptura. Joannes M. de Turre fuſius referens hoc ſyſtema concludit (2), illius fictionem a ſola ejuſdem expoſitione patefieri, & ab oppoſitione, quam fere in omnibus habet cum Verbo Dei ſcripto.

Leibnitii tandem ſyſtema, quod ipſe in Actis Lipſiæ ad annum 1683 protulit, & fuſius expoſuit in opere poſthumo Protogea, edito Gottingæ anno 1749 per Chriſtianum Ludovicum Scheid, poſtulat terram hanc noſtram fuiſſe per plura ſæcula corpus lucidum, ceu eſt Sol, quod Deo tandem illius incendium extinguente evaſit corpus opacum, in quo, quæ ſunt arenæ & ſabulum, ea dicit eſſe partes materiæ vitrificatæ ex tot ſæculorum incendio: quæ vero habentur maria, dicit eſſe congregationes aquarum, quæ ceſſante flamma paulatim concretæ ſunt, & ſimul unitæ. Præter oppoſitionem directam, quam hoc ſyſtema præſefert diſtributioni dierum, de quibus dicitur in propoſitione, aliam habet etiam contra evidentiam, ut advertit citatus de Turre (3), quia obſervationes inſtitutæ circa corpora intra ipſam tellurem recondita non reſpondent iis, quæ Theoria requireret.

285. III. Opponuntur Philo Judæus in libro de Mundi opificio, S. Athanaſius in libro contra Arianos tertio, Procopius in Geneſim, quorum verba recitat Petavius (4), qui his addit Cajetanum in Geneſim, Philippum Abbatem Bonæ Spei, & Originem libro

(1) Stor. Univ. Coſmog. pag. 238.
(2) Turr. Phyſ. part. tom. 1. num. 147. pag. 127.
(3) Id. Ibid. num. 160. pag. 136.
(4) Pet. de Opific. lib. 1. cap. 5. pag. 125.

libro contra Celſum ſexto : quod jure facit. Nam ibi eam opinionem tenet, eamdemque habet etiam in tractatu in Matthæum ſeptimo, etſi homilia in Geneſim prima ſucceſſionem dierum admittat in rerum creatione, ut adverterat jam Suarez (1). His adjungo Clementem Alexandrinum, qui dicit (2) *omnia quæ facta ſunt, ſimul creata ſunt* : diverſis autem diebus diverſa attribui a Scriptura, *quia nec eſſet par eorum æſtimatio, neque voce fuiſſet declaratus uniuſcujuſque ortus, ſi acervatim & ſimul omnia feciſſe dictum eſſet*. Eodem igitur momento hi cenſent creatum & formatum Mundum, nec ſex dies commemoratos in Geneſi ſignificare dies naturales, ſed figuratos, quatenus vel ſex ſunt ſpecies cognitionum, quas primo creaturæ intelligentes de rebus hujus Mundi habuerunt, vel ſex fuiſſent dies, ſi Deus voluiſſet per plures dies diſpertire rerum creationem : qui ultimus ſenſus attributus Cano præſefert ſuam falſitatem, quia nulla eſt connexio inter conditionem, quæ eſt quaſi antecedens, & conditionatum, quod eſt veluti conſequentia, ut pluribus declarat Suarez (3). His apertiſſime ſuffragatus eſt S. Auguſtinus, ut inferius patebit.

SECTIO II.

Argumenta pro ſingulis propoſitionis partibus.

286. PRima pars, quæ eſt de creatione ſimultanea totius materiæ probatur, quia Scriptura dicens (4) *in principio creavit Deum Cœlum & Terram*, ſufficienter declarat, primo Deum extraxiſſe ex nihilo omnem materiam, ex qua deinceps formavit ſingulas corporum ſpecies, quæ diſtinctius deinde numerantur. Conſonat citato loco alius, (5) *Qui vivit in æternum creavit omnia ſimul.* Rurſus nihil eſt, quod allatam interpretationem excludat. Tandem ſunt SS. Patres & Doctores, qui illam approbant. (6) *In aſſerendo*, ſic Calmetus, *e nihilo totam ſimul prodiiſſe materiam Univerſi, omnes conveniunt.*

 Se-

(1) Sua. Oper. 6. dier. lib. 1. cap. 10. num. 3. pag. 140.
(2) Clem. Strom. lib. 6. circa finem pag. 223.
(3) Sua. ubi ſupra cap. 12. num. 5. pag. 70.
pag. 60.
(4) Gen. 1. v. 1.
(5) Eccli. 18. v. 1
(6) Calm. Dict. S. Script. ar. Mundus

Secunda pars, ſcilicet materiam primo creatam non fuiſſe informem, ſuadetur quia Scriptura nominat expreſſe Cælum, Terram, & Aquas, antequam nos doceat de opere primæ diei, quod fuit lux; Dicitur enim, *in principio creavit Deus Cælum & Terram... & ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas*: ergo ex materia primo creata, pars habuit formam aquæ, pars terræ, pars tandem Cæli. Eludi igitur conſequentia non poteſt, niſi detorquendo a ſenſu obvio loquutionem Scripturæ, vel myſtice illam explicando, ſicut placuit S. Auguſtino (1), ſub nomine Cæli ibi ſignificari creationem Angelorum: vel dicendo, Cælum, Terram, Aquas ibi nominari, quia materia primo creata conformanda deinceps erat in Cælum, Terram, Aquas, non vero quia ab ipſo initio fuiſſet in ipſa pars quædam ſub forma propria Cæli, & quidem ſumpti ſine limitatione ad ſolum Cælum Empyreum, locum beatis Angelis & hominibus ad inhabitandum ab origine Mundi deſtinatum, ut falſo credit Cornelius a Lapide (2) ferre communiorem opinionem, ſed cum amplitudine ad omnes Cælos præter illud, quod nomen Firmamenti habet, quia hoc dicitur factum quarta die: pars vero ſub forma propria terræ, & alia tandem ſub illa aquarum. Quæ interpretationes propter hunc ipſum quaſi abuſum verborum Scripturæ, & alias præterea rationes, quas diligenter exponit & vindicat Suarez (3), ſunt improbabiles. Eadem conſequentia confirmatur I. quia non poteſt intelligi materia ſub nulla omnino forma, ſive ſub ſolis attributis ſubſtantiæ inertis extenſæ impenetrabilis & figuratæ, quandoquidem figura aliqua non potuit abeſſe a materia, quæ in quantitate finita creata fuit. Confirmatur II. authoritate S. Thomæ, (4) *Oportet*, ſic ille, *dicere, quod materia prima neque fuit creata omnino ſine forma, neque ſub forma una communi ſed ſub formis diſtinctis*: quam doctrinam concludit etiam, tum ex eo, quod ad dignitatem agentis perfectiſſimi, de quo dicitur, (5) *Dei perfecta ſunt opera*, pertinet, ut non dicatur quid ab eo creatum fuiſſe penitus informe, tum quia idem vidit docere plures Patres, quos

(1) S. Aug. de Civit. lib. 11. cap. 9. & 8. 2 pag. 14. col. 278.
(2) Lap. in Gen. cap. 1.
(3) Sua. Oper. 6, dier. lib. 1, cap. 3. 4.
(4) S. Th. 1. par. qu. 66. ar. 1. o.
(5) Deut. 32.

quos citat, quibus addo S. Gregorium Magnum, qui ait (1) *Rerum ſubſtantia ſimul creata eſt, ſed ſimul ſpecies formata non eſt, & quod ſimul extitit per ſubſtantiam materiæ, non ſimul apparuit per ſpeciem formæ.*

287. Tertia jam pars de prima creatione facta die Dominico ſuadetur, quia ſcriptum eſt, (2) *Complevitque Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat: & requievit die ſeptimo*: Atqui nomine dici ſeptimi ſæpe in Scriptura ſignificatur Sabbatum, quod Deus præſcripſit Hebræis, ut pro Sacro haberent: ergo ſi Sabbatum fuit dies ſeptimus, Dominica fuit dies primus, ut facili numeratione nemo non videt. Hoc argumento utens Cornelius a Lapide in citatum Scripturæ locum concludit, *certum eſt hunc diem, quo Mundus quantum ad ejus materiam conditus eſt, fuiſſe Dominicum*: idemque ex eadem ratione evidens dicit Pererius (3). Accedit confirmatio tum ex Concilio Tridentino, quod dicit, (4) *die Dominico Deus lucem condidit, & a mortuis reſurrexit*: tum ex Eccleſia Romana, quæ ad matutinum diei Dominici canit,

Primo die, quo Trinitas
Beata Mundum condidit,
Vel quo reſurgens conditor
Nos morte victa liberat:

tum ex Patribus, quos refert Suarez (5).

288. Quarta pars, ſex dierum ſpatio formatum eſſe & ornatum hunc Mundum, probatur, quia aperte Scriptura capite primo Geneſeos enunciat ſpatium ſex dierum, quibus formata ſunt ea, quæ ſpectant ad ſyſtema noſtrum Planetarium, & præcipue referuntur ad noſtram hanc tellurem. Atque prima die lucem dicit factam, quo nomine aliqui recentiores intelligunt fluidum quoddam tenuiſſimum certa lege diffuſum per totam rerum creatarum univerſitatem, quod tamen oculos non afficiat, niſi determinatum quemdam motum patiatur, quem nunc Sol & Stellæ excitant, atque producunt: quam opinionem placuit ſubjicere, quoniam non vidi de illa meminiſſe Auctores magis celebres,

(1) Greg. Moral. lib. 32. cap. 12.
(2) Gen. 2. v. 2.
(3) Per. in Gen. lib. 1. ad v. 5. pag. 57.
(4) Trid. ſeſſ. 2.
(5) Sua. de Relig. tom. 1. lib. 2. de Feſtis cap. 4. num. 17. pag. 166.

lebres, qui copioſa nobis commentaria reliquerunt de operibus ſex dierum. Secunda die dicit diviſas aquas, quæ ſunt ſub firmamento ab iis, quæ ſupra illud ſunt. Tertia congregatas aquas terræ in unum locum, & formata maria, ac omnia vegetabilia. Quarta facta Solis & Lunæ luminaria ſimul cum Stellis, quod iidem recentiores, de quibus paulo ſupra, explicant per productas in illis corporibus cæleſtibus eas modificationes atque diſpoſitiones, per quas perpetuo motum communicant luci primo jam die creatæ. Quinta dicit facta animalia omnia extra aquas ſupra terram viventia, & ipſum tandem hominem, in cujus gratiam terram hanc antea ornaverat, quaſi ejus hoſpitium. Concluditque Scriptura, (1) *Complevit Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat, & requievit die ſeptimo ab univerſo opere, quod patrarat*; Et ne in ſenſu aliquo figurato ſolum recipiantur prædicta verba, vetant tum nota regula de non transferendis verbis Scripturæ ad ſenſum figuratum, maxime in hiſtorica narratione, & ad inſtructionem fidei pertinente: tum permiſſio ſex dierum facta hominibus operandi, & conſtitutio Sabbati in diem Domino ſacram ſæpius repetita a Scriptura ex ea ratione, quod (2) *ſex diebus fecit Dominus Cælum & Terram, & in ſeptimo ab opere ceſſavit*: tum conſenſus Patrum, quos nominat Suarez (3), & Theologorum, qui ita volunt accipi ſex dies, de quibus Geneſis loquitur pro diebus naturalibus, ut Petavius quidem dicat, contraria ſententia (4) *hodie patronum habere deſiit*: Suarez vero de eadem teſtatur, (5) *valde temperate & moderate loqui* Auctores propter reverentiam Auguſtino debitam: tum tandem uſus plerarumque nationum computandi tempora per hebdomadas, & habendi ſeptimum cujuſque diem pro feſto, in quo apparet quædam traditio Divinæ operationis in formatione Mundi per dies ſex, & ceſſationis ab omni opere die ſeptimo; Lego enim apud Clericum in notis ad Grotium *de Veritate Religionis Chriſtianæ* (6), Joſephum Hebræum teſtari nullam eſſe urbem Græcam, nullam barbaram, quam non pervaſerit mos ſeptimæ diei, qua Judæi

ferian-

(1) Gen. 2.
(2) Exod. 20. v. 21.
Ibid. 31. v. 14.
(3) Sua. Oper. ſex dier. lib. 1. cap. 12. num. 3. pag. 59.
(4) Pet. de Opiſ. lib. 1. cap. 5. num. 4. pag. 130.
(5) Sua. Ibid. cap. 1. num. 33. pag. 55.
(6) Cle. ad lib. 1. §. 16. pag. 41.

feriantur : Philonem dicere, diem ſeptimum eſſe feſtum *non uni urbi aut regioni, ſed univerſo*: Euſebium, & Theophilum Antiochenum afferre ex Ariſtobulo, *ſeptimam diem omnes homines celebrant* : & Clementem Alexandrinum ex Heſiodo, *lux ſeptima ſancta*, & ſimilia ex Homero & Callimacho. Pluche author eſt (1), computationem per hebdomadas inventam apud Americanos fuiſſe.

Memoriæ cauſſa his verſibus ſex dierum opera expreſſit Danæus (2).

Prima dies Cælum & Terram, Lucemque creavit.
Altera diſtendit ſpatium, diſcrimen aquarum.
Tertia ſecernens undas dat gramina terris.
Quarta creat Solem & Lunam, cæleſtiaque aſtra.
Quinta dedit piſces, eadem genus omne volantum.
Sexta tulit pecudes, hominem quoque, quem Deus ipſe
Condidit. Inde operis requies lux ſeptima fulſit.

289. II. Sic arguitur. Ideo ſex dies, quibus Scriptura dicit Mundum formatum fuiſſe, ſumi debent aut poſſunt aliter, ac pro ſex diebus naturalibus, vel quia non repugnat ipſi Scripturæ, dicere Mundum formatum fuiſſe unico inſtanti, vel quia eidem ſatisfacit, qui dicat Mundum formatum fuiſſe unico die. Atqui repugnat Scripturæ, dicere Mundum formatum fuiſſe unico inſtanti, nec eidem ſatisfacit, qui dicat Mundum formatum fuiſſe unico die: ergo. Sola minor habere poteſt difficultatem, cujus proinde prima pars probatur cum Suarez (3) primo, quia ſemel quod ex dictis Scriptura doceat totam Mundi machinam creatam ſimul, jam ad perficienda per illam diverſa ſpecie corpora, opus eſt inducere in aliquibus ipſius partibus majorem denſitatem, quam in aliis, adeoque opus eſt diverſo motu locali illius partes movere, quem repugnat eſſe inſtantaneum, ut ubi agitur de motu oſtenditur. Secundo, quia Scriptura dicit, (4) primum terram fuiſſe inanem, vacuam, & aquis coopertam, & deinde apparuiſſe aridam, & protuliſſe herbam virentem: Rurſus dicit hominem formatum fuiſſe (5) *de limo terræ*, adeoque prius fuiſſe terram, & hujus

(1) Plu. Spett. de la Nat. to. 8. par. 1. num. 6. pag. 41. Certit. de l'hiſtoir. pag. 52.
(2) Dan. Phyſ. Chriſtiana.
(3) Sua. Oper. ſex dier. lib. 1. cap. 10.
(4) Gen. 1. v. 2. 9. 12.
(5) Ibi. 2. v. 7.

hujus limum, quam hominem: quod argumentum valet etiam pro formatione omnium animalium, quæ (1) *de humo* narrantur facta. Præterea de formatione Adami ita loquitur Geneſis, ut ſignificet eam peractam eſſe extra Paradiſum, & deinde in hunc fuiſſe translatum: Nam dicitur, in paradiſo voluptatis Deus (2) *poſuit hominem quem formaverat*, & paulo poſt (3) *tulit Deus hominem in paradiſum*, & infra, (4) *emiſit de paradiſo, ut operaretur terram, de qua aſſumptus eſt*: ergo formatus jam erat Adam, cum in paradiſum adductus fuit, de terra diſtincta ab illa paradiſi, ut communiter concludunt Theologi cum S. Thoma (5). Tandem narratur Adam prius vigilaſſe, & audiſſe (6) præcepta Creatoris ſui, deinde dormiiſſe, & ipſo dormiente ædificatam (7) mulierem de ipſius coſta. Quæ omnia manifeſtam important ſucceſſionem temporis, quæ non componitur cum unico inſtanti. Secunda jam minoris pars cum eodem Suarez (8) probatur, quia in hypotheſi, quod omnia facta fuiſſent ſucceſſive intra unum diem, non ſalvatur veritas illius diſtinctionis dierum in primum, ſecundum, & reliquos, nec quod aliqui dicunt hoc factum, ut facilius homines de rerum creatione inſtruerentur, eſt opportunum; non enim fictio ſex dierum quicquam auget perſpicuitatis ad hujuſmodi cognitionem.

290. III. Ad hominem contra illos, qui ſex dies dicunt ſignificare ſex rerum, quæ in Mundo ſunt gradus, vel ſex cognitionum ſpecies reſpondentes illis gradibus ſic arguitur. Qua ratione Scriptura diſtinguit bruta terreſtria die ſexto creata a volatilibus, quæ ponit die quinto, eadem ratione diſtinguenda ſunt volatilia a natantibus, quæ uno die creata dicuntur: & nemo ſanus dubitat, gradum pecudis diverſum eſſe a gradu hominis, cum ceteroqui utriuſque formatio adſcribatur diei ſexto: & ſimiliter certum eſt Solem fontem luminis eſſe diverſæ naturæ a Luna, quæ lucem ſibi propriam non habet, quæ tamen referuntur ſpectare ad diem quartum: Idemque obſervari poteſt de aliis creatis rebus: ergo gradus rerum creatarum ſunt multo plures, quam

(1) Ibi. v. 19.
(2) Ibi. v. 8.
(3) Ibi. v. 15.
(4) Ibi. 3. n. v. 23.
(5) S. Tho. 1. p. qu. 102. ar. 4.
(6) Gen. 2. v. 16. & 21.
(7) Ibi. v. 22.
(8) Sua. Oper. 6. dier. lib. 1. cap. 12. num. 7. pag. 60.

quam ſex, & nulla proinde illorum opinio, fundata in falſâ ſuppoſitione.

Qui quæreret, quam figuram habeat tota rerum univerſitas, equidem reſpondeam, Plutarchum dicere (1) *Stoicos globi figuram Mundo aſſignare, alios turbinis, ovi quoſdam*. Pro globi figura varia argumenta affert Suarez (2): ſed quæ propoſitum non ſuadent, quia peccant ſuppoſitionibus, quæ falſæ jam compertæ ſunt, vel arbitrariæ. Atque hæ ſunt opiniones eorum, qui Mundum eſſe finitum tenebant; Neque enim deſunt, qui illum infinitum dixerunt, in quo habetur verus error, non quidem quia efficacia ſint argumenta, quibus aliqui, ut Valentia (3), credunt ſe demonſtrare, quod magnitudo vel multitudo actu infinita involvat contradictionem, ſed quia ſcriptum eſt, (4) *Ipſe fines Mundi intuetur*: & alibi, (5) *omnia in menſura & numero & pondere diſpoſuiſti*.

SECTIO III.

Objectiones ex authoritate.

291. PRimo Objicitur. Scriptum eſt, (6) *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul*: ergo ſex dies in Geneſi numerati, ſunt intelligendi in ſenſu figurato.

Reſp. conc. antec. & nego conſequam. Antecedens opportunum eſt ad confirmandam creationem materiæ Mundi unico inſtanti factam, non vero ipſius formationem & ornatum; (7) *Rerum quippe ſubſtantia*, inquit in hunc locum S. Gregorius, *ſimul creata eſt, ſed ſimul ſpecies formata non eſt, & quod ſimul extitit per ſubſtantiam materiæ, non ſimul apparuit per ſpeciem formæ*.

Rurſus ſex dies ſunt perbreve tempus, perbreve autem tempus non repugnat exprimi per illam vocem ſimul. Tandem juxta

(1) Plut. de Plac. lib. 2. cap. 2. pag. 23.
(2) Sua. Oper. ſex dier. lib. 1. cap. 10. num. 13. pag. 43.
(3) Val. de Deo diſp. 1. qu. 7. pun. 3. pag. 157.
(4) Job. 28. v. 24.
(5) Sap. 11. v. 21.
(6) Eccli. cap. 18. v. 1.
(7) Gre. Moral. lib. 32. in Job. num. juxta Maurinos 16. pag. 1055.

Pererium (1), & Petavium (2) in citato textu vox *ſimul* poteſt idem ſignificare ac pariter: adeoque Deum non adhibuiſſe in rerum conſtitutione creaturam ullam, ſed ipſum eſſe æquali modo omnium conditorem,.

II. Objicitur. Scriptura poſt narratam diſtinctim rerum diverſarum formationem ſic concludit, (3) *Iſtæ ſunt generationes Cæli & Terræ, quando creata ſunt in die, quo fecit Dominus Deus Cælum & Terram*: ergo ſex dies ſupra memorati a Scriptura non ſunt dies naturales, cum non faciant, ſive non pertineant, niſi ad unum diem:

Reſp. conc. antec. & nego conſeqam; Nam dies, quando uſurpatur ſine ullo adjuncto, cujuſmodi eſt dies unus vel primus, ſignificat tempus quodlibet, ſive hoc ſit dies naturalis, qui definitur per reditum ſolis ad Meridianum, a quo receſſit, ſive ſit dies artificialis, qui ab ortu ſolis uſque ad ejus occaſum durat, ſive ſit quæcunque dierum quorumcunque periodus. Exempla paſſim occurunt non ſolum in probatis Latinæ linguæ authoribus, ſed etiam in Sacris. Ita dicitur (4) *Abraham exultavit, ut videret diem meum*, ideſt tempus mei adventus: Et (5) *appellavit lucem diem*, ſcilicet artificialem. Quare dies in objecto textu indefinite poſitus jure optimo communiter exponitur pro tempore, contra vero pro die naturali, ubi ſuperius nominatur dies cum determinatione ſecundi, tertii, & quarti. Qui diceret S. Thomam putaſſe (6) in objectis Scripturæ verbis diem ſumi poſſe non pro tempore, ſed pro ipſo primo die Mundi, ille advertat S. Doctorem profiteri ſe hæc dicere, ne præjudicaret ſententiæ excludenti ſucceſſionem dierum, quam ceteroqui ipſe in eodem articulo concludit Scripturam docere.

292. III. Objicitur S.Auguſtinus, cujus quamdam opinionem non ſemel (7) ab ipſo propoſitam expono. Putat ille dies ſex dici a Scriptura relative ad ſex cognitiones de ſex rerum claſſibus obſervatione majori dignis, quas habuit Angelus prima creaturarum

(1) Per. in Gen. ſub finem lib. 1. pag. 121.
(2) Pet. de Opiſi. lib. 1. cap. 5. num. 4. pag. 130.
(3) Gen. 2. v. 4.
(4) Joa. 8.
(5) Gen. 1.
(6) S. Tho. 1. p. qu. 74. ar. 2. pag. 234.
(7) S. Aug. de Geneſ. ad lit. Imperf. cap. 7.
Id. de Gen. ad lit. lib. 4. cap. 22.
Id. de Civ. Dei lib. 11. cap. 7. 9. & 29.

rum intellectualium ſpecies : cujus creationem dicit ſignificari per creationem lucis . Jam vero Angelus primo creatus , ſtatim ſeipſum cognovit & intellexit, & *cum* (1) *hoc facit* , inquit , *in cognitione ſui ipſius* , *dies unus eſt* : & ſimili pacto in cognitione , quam Angelus habuit de Cœlo , Terra, Mari , aliiſque creaturis dies reliquos conſiſtere dixit . Cum autem Scriptura dixerit poſt productionem lucis , (2) *Factum eſt veſpere & mane dies unus* , invenit in ipſo Angelo , quem lucis nomine deſignari dixerat ſuum veſperum , & ſuum mane in duabus diverſis cognitionibus, quas de ſingulis ſex illis ſpeciebus rerum habuit Angelus , alteram , qua creaturas cognoſcit modo illo , qui dependet ab ipſis creaturis , prout ſunt in ſe , ſive per ſpecies proprias ab iis provenientes , ut ajebant veteres , qui per has ſpecies credebant ſe ſatis declarare modum , quo naturaliter ab intellectu creato cognoſcerentur objecta , atque hanc appellavit cognitionem veſpertinam : alteram , qua eaſdem cognoſcit excellentiori modo , qui dependet a ſolo Deo , quatenus intellectus creatus cognoſcit objecta creata ſecundum proprias eſſentias in ipſo Deo intuitive viſo, utpote illarum cauſſa , atque hanc matutinam cognitionem nuncupavit , quia prima clariorem & præſtantiorem . Rurſus cum ibidem Scriptura dicat , quod Deus (3) *diviſit lucem a tenebris , appellavitque lucem diem , & tenebras noctem* , nomine lucis vult ſignificari bonos Angelos , nomine vero noctis illos, qui ſe malos fecerunt in Deum rebellantes . Hanc interpretationem laudavit S. Thomas (4) : illa *nihil verius* ſibi videri profeſſus eſt Albertus Magnus , qui eam bis ex profeſſo propugnavit (5) : alios ejuſdem laudatores & defenſores dabit Cardinalis de Noris (6) . At illam non ita propoſuit S. Doctor , ut (7) *aliam* , ſic ille , *quæ præponenda ſit , inveniri non poſſe contendat* . Et determinate eam olim (8) amplexus fuerat, quæ juxta obviam verborum ſignificationem poſtulat ſex noſtrates dies integros , atque diſtinctos .

Objicienti igitur hanc S. Auguſtini interpretationem reſponſio

(1) Id. de Civ. lib. 11. cap. 7. col. 277.
(2) *Gen.* 1. v. 5.
(3) Gen. 1. v. 4. & 5.
(4) S. Tho. in 2. diſt. 12. qu. 1. art. 2.
(5) Alb. in 2. diſt. 12. ar. 1. 0. Operum tom. 15. pag. 130. Id. De quatuor coæquævis qu. 71. Oper. tom. 19. pag. 219.
(6) Nor. Vind. Auguſt. cap. 4. §. 9. pag. 127.
(7) S. Aug. de Gen. ad lit. lib. 4. cap. 28. col. 177.
(8) Id. de Cathechi. rudib. cap. 17. num. 28. col. 282.

ſio etiam ex Auguſtino habetur, qui non excludit alias, & illam admittit expreſſe, quæ nititur in ſenſu obvio verborum Scripturæ, qui magis vel unice attendendus eſt, tum ex rationibus jam dictis: tum quia, ut obſervant Suarez (1), & Natalis Alexander figurata illa interpretatio (2) *inexplicabiles difficultates habet; quomodo enim uno eodemque momento lux creata eſt, & a tenebris diviſa, ideſt Angeli conditi, boni in gratia confirmati, a malis diſcreti, glorificati? quomodo rerum omnium cognitionem in Verbo eodem quo creati ſunt momento habuerunt, ſi in beatitudine creati, non fuerunt, ſed eam amore caſto, quo Deo adhæſere, meruerunt?* Tum tandem quia cognitiones Angelorum matutinæ & veſpertinæ, & aliæ hujuſmodi allegoriæ non potuerunt intendi a Moſe hiſtoriam creationis Mundi conſcribente ad docendum vulgus ipſum Hebræorum, quod per ea verba de modo cognoſcendi Angelorum nunquam cogitaſſet, cum illum fortaſſe ne percipiat quidem, poſtquam ipſi propoſitus ſit, quam rationem Pererius (3) exponit fuſius, & urget diverſis modis efficaciter.

SECTIO IV.

Objectiones ex ratione.

293. PRimo Objicitur. Nequit aſſignari ratio, cur ſex diebus factum ſit a Deo, quod ſtatim utpote Omnipotens poterat facere: ergo ſtatim omnia ipſum feciſſe dicendum eſt.

Reſp. conc. antecedens, & nego conſeqam, certe illegitimam. Habuit profecto Deus ſapientiſſimus conſilium ſuum, cur id faceret, quod nobis ignotum eſt; *quis enim cognovit ſenſum Domini?* Qui illud conjicere conantur, dicunt, forte id feciſſe primo ut relucerent diſtinctione ipſa dierum, attributa quædam Dei præcipua, Omnipotentia in extrahenda ex nihilo materia primo die: Sapientia in ipſius diſtributione ſecundo die: Bonitas in ejuſdem ornamento tertio die: & ſic de reliquis. Secundo ut impediret & tolleret dubitationes eorum, qui a vi ipſi materia propria rerum productio-

(1) Sua. Oper. 6. dier. lib. 1. cap. 11. a num. 35. pag. 56.

(2) Nat.Hiſt.Eccl.Ætas 1. ar.8.prop.1. num. 2. pag. 41.

(3) Per. in Gen. lib.1. ſub finem pag. 125.

ductionem aliquando repeterent. Quod vero ſex dies potius, quam plures aut pauciores elegerit Deus, nemo comminiſci poteſt rationem probabilem. Quæ enim de perfectione numeri ſenarii dicunt Pythagorici, non poſſunt philoſopho jam amplius ſatisfacere; In ſingulis enim numeris ſuæ quædam proprietates ſunt, & rationes ad alios numeros, quas Arithmeticus admiretur. Sicuti igitur quæ ſunt propriæ numeri ſeptenarii, quem S. Ambroſius vocat (1) *plenum, mundum, & ſacrum; nulli enim miſcetur, nec ab alio generatur, idemque virgo dicitur, quia nihil ex ſe generat*, & quæ conveniunt aliis numeris, nullam occaſionem dederunt ad eorum electionem, ita ne illæ quidem numeri ſenarii ullum aut influxum aut motivum præbuerunt ad ſui prælationem in formatione Mundi. Qui dicat S. Patres, & præcipue S. Auguſtinum (2) non repudiaſſe hujuſmodi ex numeris depromptas ſacrarum rerum interpretationes, imprimis meminerit regulam S. Thomæ, quod opiniones philoſophorum, quarum falſitas vel vanitas in comperto jam eſt, (3) *Sancti tradiderunt non quaſi aſſerentes, ſed ſicut utentes his, quæ in Philoſophia didicerunt, unde non ſunt majoris authoritatis, quam dicta Philoſophorum, quos ſequuntur*. Et rurſus habeat etiam præ oculis, quæ vehementer alii Patres, ut Chryſoſtomus (4), dicunt contra hujuſmodi explicationes ex numerorum myſteriis deductas, quas fabuloſas, & periculoſas præſertim propter abuſum de his factum ab Hæreticis, declarant, ut notat Pererius (5).

294. II. Objicitur ab Incredulis apud Jaquelotium (6. Narratio Moſaica creationis Mundi, prout ſonant verba, ne eſt quidem veriſimilis! ergo ex illa non poteſt quicquam inferri pro hac propoſitione.

Antecedens quod negatur, probant I. quia Terra relate ad Cælum, cum ſit veluti punctum inoſſervabile, tam inepta eſt aut etiam magis illa diſtributio, (7) *Creavit Deus Cælum & Terram*, quam inepta eſſet diſtributio iſta, creavit Deus terram & granum arenæ. *Reſp.*

(1) Ambr. de Arca. cap. 12.

(2) S. Aug. de Civi. lib. 11. cap. 30. col. 296.

(3) S. Tho. in 2. diſt. 14. ar. 2. ad. 1.

(4) Chryſ. in Gen. hom. 24. to. 4. ex Montfau. num. 6. pag. 225.

(5) Perer. in Gen. lib. 11. diſp. 4. n. 15. pag. 235.

(6) Jaq. Conform. de la Foy. par. 2. cha. 1. pag. 113.

(7) Gen. 1. v. 1.

Reſp. Diſtributionem illam aptiſſimam eſſe in narratione directa ad homines, quibus obſervabilis eſt Terra, & comparate ad illos eſt quid immenſum, cum contra globi cœleſtes propter ſuam a terra diſtantiam vix tamquam tenues faces eorum oculis appareant.

Probant II. Quia Luna, quæ dicitur creata cum Sole & aliis Stellis, appellatur (1) luminare magnum, cum ſit omnibus notis Stellis minima.

Reſp. Eſſe evidens, Lunam poſt Solem eſſe Luminare majus omnibus Stellis reſpectu noſtri, ad quorum inſtructionem dirigitur illa narratio.

Probant III. Quia ornatus terræ dicitur diſtributus in dies ſex, cum reliqui Planetæ, & Stellæ, quorum aliqua ſuperant in magnitudine terram, dicantur unico die abſoluta.

Reſp. De ornatu terræ fieri diſtinctam mentionem, quia nobis Terricolis loquitur Moyſes: de ornatu Planetarum ſiquis eſt, ut veriſimile eſt eſſe, & factum cum pari forte diſtinctione dierum, nihil dicitur, quia illi a nobis ita remoti ſunt, ut paucis ſolum inter homines acutis Philoſophis reſervata ſit magnitudinis illorum certa quædam cognitio.

295. Probant IV. Quia primi tres dies creationis deſcribuntur per veſperum & mane, cum nondum Sole condito non potuiſſent eſſe veſper & mane.

Reſp. Nullam eſſe repugnantiam in eo, quod alio modo factum fuerit mane ante conditum Solem per Divinam potentiam, ac illud factum fuit per Solem eo jam condito. Ita in ea ſententia, quæ vult lucem eſſe fluidum quoddam tenuiſſimum ubique diffuſum, quod tunc nobis apparet, & lumen eſt, quando determinatum quemdam motum habeat, facile eſt intelligere nondum creato Sole factum mane per motum, quem luci Deus immediate impreſſerit, & factus veſper motu illo ad nutum Dei extincto. Omitto aliorum huic argumento reſponſiones, tum quia quam protuli, eſt pluſquam ſufficiens, & mihi plus cæteris placet: tum quia multæ ſunt, & proſtant apud Interpretes Sacræ Scripturæ & Theologos, qui de operibus ſex dierum accuratius diſſeruerunt,

&

(1) Gen. 1. v. 16.

& etiam apud Scriptores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, vel Annalium Mundi, ut Natalem Alexandrum, & Jacobum Salianum.

Probant V. quia lux dicitur creata prima die, & ſol quarta, quod impoſſibile potius, quam inveriſimile eſſe concludunt ex hoc antecedenti, quod non poſſint tanto temporis intervallo diſtare inter ſe lux & Sol.

Reſp: nego antecedens. Ego quidem propter rationem nuper dictam: alii vero negabunt propter alias: nec deſunt, qui negant ſuppoſitum, illi ſcilicet, qui tenent Solem Lunam & Stellas dici facta die quarto, quia tunc in iis jam creatis quantum ad ſubſtantiam die primo, factæ ſunt eæ modificationes, quæ jam pertinent ad notionem adæquatam hujuſmodi nominum. Hanc opinionem propugnat Suarez (1), putans ſe ſentire cum S. Thoma (2). Hic certe ita de ea, & aliis in hac re opinionibus loquitur, ut videatur dicere, quod in eadem re dixit Calmetus, (3) *Inter varias haſce opiniones, quam malueris, ſequi integrum eſt cuique*. Quod adverto, quia Cornelius a Lapide erroris accuſat (4), qui eam tenent, & Natalis Alexander ſimiliter ſtatuit, eam (5) *Moſaicæ narrationi minime conſentaneam eſſe*. Illud concludam, objectum argumentum, contra quod, ut nuper prolatum a Gallica Encyclopædia Abrahamus Chaumeix (6) ex profeſſo invehitur, eſſe ita miſerum, ut ne ſit quidem miſerabile; miſerum enim eſt, quia non concludit propoſitum: non eſt autem miſerabile, quia ſupinam ignorantiam præſefert omnium opinionum, quæ circa opera ſex dierum paſſim occurrunt apud innumeros auctores omni exceptione majores.

296. Probant VI. quia notæ, quibus deſignatur locus paradiſi terreſtris, qui dicitur conſtitutus die creationis Mundi tertio, non poſſunt cum præſenti terræ ſtatu ulla via conciliari.

Reſp. permitto aſſumptum. Ex quo tamen nihil ſequitur adverſariis opportunum; ex eo enim, quod deficientibus progreſſu tem-

(1) Sua. Opet. 6. dier. lib. 2. cap. 10. num. 8. pag. 41. Id. Ibid. lib. 2. cap. 8. num. 8. pag. 106.

(2) S. Tho. 1. p. qu. 70. ar. 1. ad 1.

(3) Cal. Com. in Gen. cap. 1. v. 3. pag. 4.

(4) A Lap. in Gen. cap. 1. v. 14. §. Dico pag. 47.

(5) Alex. Hiſt. Eccl. Æt. 1. Diſſ. 1. art. 5. pag. 31.

(6) Cha. cont. l'Encyclo. ſez. 3. cha. 3. pag. 121.

temporis quibuſdam notitiis, nihil jam certi de re aliqua poſſit ſciri, non ſequitur illam non eſſe hiſtoriam veram. Tangitur hic controverſia, de qua poſtquam multa multi quovis tempore ſcripſerunt, credo equidem adhuc dici poſſe cum S. Auguſtino, (1) *locus ipſe paradiſi a cognitione hominum eſt remotiſſimus*. Varias opiniones, & de iis agentes Scriptores recenſent Hiſtorici Angli alias citati (2), poſt Cornelium a Lapide (3) & Benedictum Pererium, qui ita agit de hoc paradiſo, ut (4) *nullius opinionem memoratu dignam in præteritis ſe relinquere profiteatur*. Opiniones, quæ communiter habentur tamquam vel falſæ, vel plus nimio indeterminatæ aut ſingulares, ſunt, quæ ipſum collocant aut in Aſia, aut in Africa, aut in America, aut in quibuſdam inſulis. His omiſſis, de aliis juvat meminiſſe.

Prima ſit, quæ illum ſumi vult allegorice pro ſtatu ſeu vita beatorum, aut bonorum, quorum virtutes cardinales ſint quatuor flumina, & lignum vitæ ſit ipſorum ſanctitas, cauſa beatitatis, & ſic de reliquis. Hæc placuit Philoni Hebræo, Origeni, Seleucianis, aliiſque. Sed rejicitur a Patribus Græcis & Latinis communiter, quos citat Suarez (5), quia repugnat Scripturæ, quæ ita loquitur, ut ſatis aperte ſignificet illum fuiſſe partem quamdam hujus terræ, circumdatam quibuſdam regionibus, quas Moſes nominat, ut videantur fuiſſe ſuis temporibus diſtincte cognitæ.

Secunda ſit, quæ illum ſtatuit fuiſſe quidem locum corporeum, non tamen in hac terra collocatum, ſed procul ab ipſa in excelſiori quodam loco: pro qua opinione citantur Moſes Barcepha, Strabus, & Rupertus Abbas. Sed rejicitur propter eamdem rationem, ac ſuperior.

Tertia ſit, quæ illum conſtituit in tota quam late patet terra, prout primo condita fuit. Hugo de S. Victore hanc referens, probabilem judicat, eique recentius adhæſit Joannes Noviomagus (6) apud Natalem Alexandrum (7). Sed rejicitur, quia habet contra

(1) Aug. de Gen. ad lit. lib. 8. cap. 7. num. 14. col. 231.

(2) Stor. univ. vol. 1. par. 3. cap. 1. ſec. 1. pag. 350.

(3) Lap. in Gen. cap. 2. v. 8. §. Quæres pag. 66.

(4) Per. in Gen. lib. 3. præf. pag. 193.

(5) Sua. Oper. 6. dier. lib. 3. cap. 6. num. 7. pag. 139.

(6) Novi. Schol. ad lib. 2. Bedæ, de natu. rer.

(7) Alex. Hiſ. Eccl. Æt. 1. diſ. 2. ar. 1. propoſ. 2. num. 1. pag. 46.

contra ſe Scripturam, quæ ſatis aperte ſignificat, paradiſum terreſtrem fuiſſe locum particularem hujus orbis terraquei, dum deſcribit hominem ejectum ab illo, non quidem extra terram, ſed in illam, de qua aſſumptus fuerat. Nec quæ in contrarium ex ipſa etiam Scriptura adducuntur, vel ex quibuſdam ratiociniis inferuntur, negotium faceſſere oſtendit jam Suarez (1).

Quarta ſit eorum, qui illum ſtatuunt in Syria prope Damaſcum. Sic P. Abrahamus, Eideggerus, Clericus, & Harduinus. Rejicitur a citata Hiſtoria Univerſali, quia juxta ipſam ne unus quidem ſalvatur ex characteribus paradiſi deſignatis a Moſe.

Quinta ſit eorum, qui illum collocant in Armenia, ubi inveniunt illa quatuor paradiſi flumina, de quibus meminit Scriptura. Nam Tigris quidem & Euphrates ibidem ſunt. Phiſon autem & Gehon arbitrantur eſſe flumina illa, quæ deinde dicta ſunt Phaſis, & Araxes, quoniam Araxes dicitur perſice idem ſonare, ac Gehon, vel Gichon Chaldaice: ex quibus Phaſis quidem in Pontum Euxinum, Araxes vero in Mare Caſpium defluunt, & ambo in eadem regione ortum habent cum Tigri & Euphrate. Pro hac opinione citantur Wilhelmus Weber, & Wilhelmus Mayr in ipſorum itinerario edito Norimbergæ anno 1707, Sanſon, & Hadrianus Reland Geographi, & Calmet,

Sexta ſit eorum, qui illum collocant in Perſide. Stephanus Morinus, Petrus Daniel, & Huerius, quos ſequitur Pluche (2), hanc tenent. Alii viderint, an ſaltem in his duabus proxime relatis ſalventur omnes characteres Paradiſi, quos protulit Moſes. Id profecto non credent, qui examinantes quæſtionem, an adhuc extet hujuſmodi paradiſus, propugnant cum Suarez, qui non ſemel de ea egit, eſſe (3) *communem Patrum ſententiam, illum adhuc conſervari in eo ſtatu, & cum ea pulchritudine, in qua creatus eſt*: adeoque in alio omnino terræ loco, quam in notis Armeniæ aut Perſidis regionibus. Tres ultimæ opiniones præci-

S ſ puæ

(1) Sua. Oper. 6. dier. lib. 3. cap. 6. num. 16. pag. 142.
(2) Plu. Spett. de la Nat. tom. 8. par. 1. Certit. de l'hiſtoi. Sain. num. 17. pag. 91.
(3) Sua. in 3. par. tom. 3. diſ. 55. ſec. 1. §. Dico tertio pag. 652.
Id. Def. fidei lib. 5. cap. 13. num. 10. col. 715.
Id. Oper. 6. dier. lib. 3. cap. 6. num. 37. pag. 146.

puæ ſunt juxta Natalem Alexandrum (4), & Carolum Erram (5). Reliquas inter commenta numerat Petavius, (6) *quorum in obſcuris ignotiſque rebus ferax eſt ad uſque laſciviam humani indoles ingenii*.

PROPO-

(4) Alex. Hiſt. Eccl. Æt. 1. diſſ. 2. art. 1. propoſ. 2. num. 6. pag. 47.

(5) Err. Hiſt. utriuſq. teſtam. to. 1. lib. 1. cap. 3. num. 2. pag. 66.

(6) Pet. de Opif. lib. 2. cap. 5. num. 5. pag. 167.

Digitized by Google

PROPOSITIO VII.

Mundus conditus eſt tempore Autumni, Sole ſcilicet in prima ſui productione collocato in interſectione illa eclipticæ cum Æquatore, quæ facit æquinoctium autumnale: & etſi a quanto jam tempore conditus ſit, determinari accurate non poſſit, attamen non eſt ejus antiquitatis, quæ non conſonet cum Sacra Scriptura.

297. PRopoſitio ſtatuens Autumnum pro initio Mundi, niſi explicaret autumni nomine venire ſolis poſitionem in tali determinata interſectione eclipticæ cum æquatore, eſſet inanis, quandoquidem eadem anni ætas ubique terrarum nequit eodem tempore haberi, ut jam notarunt Suarez (1), & Calmet (2). Eadem rurſus ſupponit ab ipſo Mundi initio inclinationem Eclipticæ ad Æquatorem, de quo tamen controverſiam moverunt aliqui, qui, ut inferius dicam, volunt hanc inclinationem incœpiſſe tempore diluvii univerſalis, cum ante illud via Solis eſſet per Æquatorem. In qua hypotheſi penitus ceſſaret hæc quæſtio, eaque ſolum reſtaret, ſub quonam ſigno cæleſti collocatus primo fuerit Sol, quæ videtur inſolubilis.

Porro etſi qui nobiſcum ſentiant, ſint multi, ſunt tamen etiam non pauci, qui nobis adverſantur, propugnantes primos Mundi dies fuiſſe vernos. Inter has duas opiniones diviſa eſt tota Auctorum multitudo; nemo enim jam curat paucos quoſdam nominatos a Ricciolio (3), qui Mundum conditum putarunt circa ſolſtitium æſtivum. In iis, qui ex profeſſo rem hanc tractarunt, nobis Pererius (4), & iterum iterumque Petavius (5) ſuffragantur: Ricciolius vero (6) adverſatur. Apud hos videri poſſunt alii pro utraque parte. Iis qui pro noſtra ſunt, addi debent Alexander Taſſoni (7), & Natalis Alexander (8), Joſeph Perrimez-

 zi

(1) Sua. Oper. 6. dier. lib. 2. cap. 7. num. 17. pag. 103.
(2) Cal. in Gen. cap. 1. v. 11. pag. 6.
(3) Ricc. Chronol. reform. lib. 7. ca. 4. pag. 254.
(4) Per. in Gen. lib. 1. pag. 85.
(5) Pet. de Doct. tempor. cap. 6. Id. Ration. temp. par. 2. lib. 2. cap. 1. pag. 69. Id. de Opific. lib. 1. cap. 14. num. 4. pag. 151.
(6) Ric. Chron. Reform. lib. 1. cap. 11. pag. 11.
(7) Taſſ. Penſi. div. lib. 2. qu. 11. p. 66.
(8) Alex. Hiſt. Eccl. Æt. 1. ar. 8. pro. 2. pag. 42.

zi (1), Uſſerius (2), Spanhemius (3), Mejerus (4), & alii recentiores. Mitto illos, qui rem omnino dubiam dixerunt, in quibus ſunt Clavius (5), Conimbricenſes (6), & Suarez (7).

SECTIO I.

Argumenta pro conſtitutione Solis ſub initium Mundi in æquinoctio autumnali.

298. PRimo arguitur. In eo Eclipticæ loco dici debet Sol in prima ſui productione collocatus, a quo Scriptura repetit finem anni, & principium novi anni: Atqui Scriptura repetit finem anni, & principium novi anni a Sole poſito in eo Eclipticæ loco, qui eſt proprius temporis Autumni: ergo. Major probatur, quia annus eſt periodus abſoluta a Sole redeunte ad idem Eclipticæ punctum, ex quo diſceſſerat: Initium igitur primæ hujus periodi tunc fuit, quando Sol primo conditus cœpit per eclipticam moveri. Probatur jam minor. In Scriptura vocatur finis anni & annus rediens, tempus, quo ab Hebræis Paleſtinæ incolis fruges condebantur. Sic in Exodo præcipitur ſolemnitas, quæ dicta eſt Tabernaculorum (8) *in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro*, & iterum, (9) *facies ſolemnitatem, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur*: ſed fruges conduntur Sole poſito in eo Eclipticæ loco, qui proprius eſt Autumni: ergo:

Quod huic argumento opponat Ricciolius (10), tempus proprium Autumni vocari hoc loco exitum ſeu finem anni, non abſolute, ſed quatenus tunc labores agriculturæ jam peractæ ſuum fructum obtinuerunt, eſt limitatio quædam illorum verborum, cujus neceſſitatem non ſuadet.

II. Sid: Sol in eo primum Eclipticæ loco conditus fuit, quem homines, qui potiſſimum in hac re attendi debent, habuerunt

(1) Perr. de Deo. Diſſ. 155. pag. 356. 251.
(2) Uſſ. A. M. 1.
(3) Span. Chron. par. 1. cap. 1.
(4) Mei. de Temp. Sac. par. 1. cap. 1.
(5) Clà. in Sphæ. cap. 2. pag. 242.
(6) Coni. in 8. Phy. qu. 3. art. 2. pag.
(7) Sua. Oper. ſex dier. lib. 2. cap. 7. num. 17. pag. 104.
(8) Exod. cap. 23. v. 16.
(9) Exod. cap. 33. v. 22.
(10) Ricc. Chronol. lib. 1. cap. 11.

runt pro initio novi anni : ſed hi habuerunt pro initio novi anni locum Eclipticæ , in quo Sol eſt tempore Autumni : ergo Sol in eo primum Eclipticæ loco conditus fuit , qui eſt temporis Autumni . Major ſine controverſia poteſt haberi relate ad homines ante diluvium , relate vero ad homines poſt diluvium ſuadetur ex eo , quod illi dicendi ſint ſequuti modum ſupputandi annos , quo utebatur Noe , qui non alio uſus profecto erit , quam illo , quem a majoribus ſuis accepit . Probatur jam minor . Homines , qui potiſſimum conſiderandi ſunt in hac re , ſunt Hebræi , utpote qui anni formam a Noe acceptam religioſe ſervaſſe credendi ſunt . Apud hos autem initium anni fuiſſe menſem Tiſri , qui pertinet ad Autumnum , primo quidem ſuadet , quod nuper advertimus, Scripturam loquentem ad Hebræos nominare exitum anni, tempus Autumni . Secundo ſuadet præceptumtraditum Hebræis incipiendi in poſterum annum a menſe verni æquinoctii , ſeu Niſan, quo a ſæviſſima Ægyptiorum ſervitute admirabiliter fuerunt vindicati , (1) *Menſis iſte vobis principium menſium , primus erit in menſibus anni* ; Ex his enim verbis , menſis iſte primus erit , prona conſequentia eſt cum Cornelio a Lapide , (2) *ergo ante non fuerat primus* . Quod enim etſi dubitanter Clavius (3) eam eludat dicendo , ex illis verbis inferri , non fuiſſe primum , non quidem ante omne tempus , ſed ſolum ante illud , quo veteri numerandi modo relicto, errori Ægyptiorum in hac numeratione ſe accomodarunt , eſt plane gratuitum . Tertio ſuadet , quod Interpretes , ut ipſe a Lapide (4), Pererius , Alphonſus Nicolai (5) & alii , paſſim dicant , Hebræos poſt liberationem ab Ægypto duplicem annum habuiſſe, civilem unum , eumque antiquum , cujus initium erat menſis Tiſri, qui pertinet ad Autumnum , & reſpondet partim Septembri , partim Octobri : Sacrum alterum recentis inſtitutionis , & incipientem a menſe Niſan proprio veris; Apertiſſime enim hanc annorum diſtinctionem tradit Joſephus Hebræus (6).

299. I. Objicit Ricciolius . Scriptura ſemper, etiam dum loquitur de rebus mere civilibus, menſem verni æquinoctii vocat pri-

(1) Exod. cap. 12. v. 2.
(2) Lapi. in Exod. ibi.
(3) Cla. cap. 2. Sphæræ §. De Zodiaco pag. 242.
(4) Lap. in Exod. cap. 23. v. 16. p. 496.
(5) Nicol. Lezzi di Scrittura Diſſ. proemi. 4. cap. 115.
(6) Joſep. Antiqui. Judaic. lib. 1. cap. 4.

primum, & illum æquinoctii autumnalis ſeptimum, & reliquos, prout eorum diſtantia a primo verni temporis poſtulat: ergo gratuita ad minimum eſt hujuſmodi diſtinctio anni civilis & ſacri apud Hebræos.

Reſp. tranſeat antecedens; Ne enim abſolute concedi poſſit, obſtant loquutiones illæ de exitu anni, & de anno redeunte, quæ æquivalent appellationibus menſis ultimi & primi. *Nego autem conſequam*; Nam adducta jam ſunt argumenta, quæ hanc annorum diſtinctionem ſuadent. Ratio autem, cur Scriptura utatur anno Sacro, etiam loquens de rebus civilibus, dici poteſt eſſe, quia ſemel quod annus incipiens a vere fuerit conſtitutus Eccleſiaſticus, jam conveniens erat, ut ejus numeratio alteri præponeretur.

Inſtat. Hæc verba, *menſis iſte vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni*, ſic debent accipi, menſis iſte, qui apud vos eſt principium menſium, primus, hoc eſt præcipuus deinde erit in menſibus anni: ergo adducta verba ſignificant jam ab antiquo uſos fuiſſe Hebræos initio anni a vere.

Reſp. nego antecedens. Et ad hominem contra hanc ipſius interpretationem dici poteſt, quod cum ipſe idem fateatur, Hebræos conformaſſe ſe Ægyptiis in modo incipiendi annos ab Autumno, & illud, quod Joſephus dixit Moſem inſtituiſſe anni initium a vere pro ſacris dumtaxat rebus, in reliquis autem *nihil de priſtino ritu innovaſſe, ſed primum ordinem conſervaſſe*, velit accipiatur *non de priſtino in Mundi exordio, & ante deſcenſum patrum in Ægyptum, ſed de conſuetudine in Ægypto recepta*, jam non habet locum illa interpretatio, menſis iſte qui apud vos eſt principium menſium, ſed ad ſummum qui fuit. Quo autem modo ſuadebit Hebræos ante deſcenſum in Ægyptum numeraſſe annos ab initio veris? Hoc profecto non ſuadet, dum dicit Ægyptios & nationes orientales adhibuiſſe annos incipientes ab Autumno. Ex hoc enim non ſequitur quod ille vellet, ſed nova potius pro noſtra propoſitione confirmatio: ſiquidem orientales nationes & Ægyptii ſunt ex primis Mundi gentibus, quæ morem ſuorum majorum, adeoque primorum hominum quantum ad anni initium retinuiſſe credibile eſt. Si igitur Ægyptii & Orientales incipiebant annum ab Autumno, quemadmodum teſtan-

ſtantur S. Hieronymus (1), Tullius (2), & Lactantius (3), dicendum eſt hunc eſſe verum anni initium.

Qui hanc confirmationem retorqueret contra nos, dicendo Macrobium tribuere Ægyptiis, quod annum inchoarent a vere; Nam tribuens illis diſtributionem Zodiaci in duodecim ſigna, dicit voluiſſe Arietem, qui eſt ſignum pertinens ad initium veris, dici primum, quia (4) *ajunt incipiente die illo, qui primus omnium luxit, ideſt quo in hunc fulgorem Cælum & elementa purgata ſunt, qui ideo Mundi natalis jure vocitatur, Arietem in medio Cæli fuiſſe*, reſpondetur, potiores eſſe authoritates Joſephi Hebræi, & S. Hieronymi, aliorumque, quos paſſim alii citant in oppoſitum, in quibus eſt Taſſonius, qui (5) morem Orientalium fuiſſe etiam aliarum gentium obſervat.

300. II. Objicitur. Vere & non Autumno terra germinat herbam virentem: ſed Scriptura dicit terram a tertia die Creationis (6) germinaſſe herbam virentem: ergo vere & non autumno creatus eſt Mundus.

Reſp. diſt. maj. Si nomine veris intelligatur tempus, quo terra germinat, & nomine autumni tempus, quo illa non germinat, vere & non autumno germinat terra, *conc. maj.*, quandoquidem eſt identica propoſitio. Si nomine veris intelligatur tempus, in quo Sol eſt in eo Zodiaci loco, qui vulgo dicitur Aries, & nomine Autumni tempus, in quo Sol eſt in oppoſito per diametrum loco, terra germinat vere & non Autumno, *ſubdiſtinguo*, in omni circumquaque terræ regione, *nego maj.*, in aliquibus ſolum regionibus, iterum *ſubdiſtinguo*, ſi ſermo ſit de germinatione juxta cauſſas naturales *conc. maj.* ſecus *nego maj. Et conceſſa minori, nego conſeqam*. Notum eſt ex Geographia unam eademque aereis temperiem non eſſe eodem tempore toti terræ communem, & quando alicubi incipit æſtas, alibi incipere hyemem. Rurſus certum eſt, primam terræ germinationem fuiſſe ſubitam & non ſucceſſivam, ſicuti deinceps fuit, nec ope ſolis factam, quem non tertia, ſed quarta die formatum fuiſſe docet Sacra

(1) Hier. in cap. 1. Ezechiel.
(2) Tull. de Nat. Deor.
(3) Lact. Divin. Inſtit. lib. 1. cap. 4.
(4) Mac. iu ſomn. Scip. lib. 1. cap. 21. pag. 104.
(5) Taſ. Penſ. div. lib. 1. cap. 11. §. 51. Gli antichi Egizziani pag. 65.
(6) Gen. 1. v. 11.

cra Scriptura, & notant tot illi interpretes citati a Nicolao (1) qui quare ante Solem vegetabilia producta fuerint inquirunt. Quare ex terræ germinatione, de qua Scriptura meminit, non poteſt determinari tempus, quo Mundus conditus eſt, ut Mejerus (2), & Calmetus (3) jam olim obſervarunt. Propter ſimiles cauſas minus efficax eſt argumentum illud, quod alii, ut Pererius (4) deſumunt pro tempore Autumni ex eo, quod ex Scriptura habeamus extitiſſe jam fructus maturos in arboribus ſtatim a condito Mundo, cum dixerit Eva ſerpenti, (5) *de fructu lignorum, quæ ſunt in paradiſo, veſcimur.* Et Calmetus, qui hoc etiam argumentum alibi (6) retulit, debuerat cohærenter illud pariter elevare: ſicuti fecit Petavius, profitens (7) *in utramque partem levem eſſe quæ inde conjectura ducitur.*

III. Objicitur. Initium Autumni eſt in Septembri: ſed hic menſis eſt nefaſtus; Nam in eo novimus accidiſſe mortes Regum, ruinas Regnorum, clades exercituum, terræmotus ſæviſſimos: Rurſus ipſius nomen derivatur a numero ſeptenario, qui ſolet eſſe nota malorum; Nam ſeptem ſunt vitia capitalia, ſeptem prædicuntur plagæ in Apocalypſi (8), ſeptem fuerunt anni famis Ægyptiacæ (9), & quivis in vita hominis annus componatur a ſeptenario, periculoſus invenitur. Ergo initium Mundi non potuit eſſe in Autumno.

Reſp. conc. maj. & nego min. quæ continet quamdam vanam obſervantiam, eamque ridiculam. Nam malis, quæ dicuntur eveniſſe hoc menſe, erudite congeſtis a Taſſonio (10), opponuntur ab eodem totidem bona, ut ortus magnorum regum & virorum, inſignes victoriæ, principium regnorum illuſtrium, aut pacis & felicitatis ipſorum, collectio fructuum & divitiarum: & quæ ad infamiam numeri ſeptenarii dicta ſunt, eliduntur ab iis, quæ alii in ejus laudem ex dictis etiam ſupra (§.293) notarunt, ut ſeptem eſſe dona Spiritus Sancti, ſeptem primarias virtutes, tres Theologicas, & quatuor Cardinales, ſeptem annos ubertatis Ægypti:

(1) Nic. Lez. di Scritt. 10. pag. 115.
(2) Mei. De tempore ſac. pa.1. cap.1.
(3) Calm. in Geneſ. 1. v. 11.
(4) Pere. in Gen. lib. 1. pag. 89.
(5) Gen. 3. v. 2.
(6) Calm. dict. S. Scrip. art. Mundus pag.61.
(7) Pet. de opifi. lib.1. cap.14. num.4. pag. 151.
(8) Apoc. cap. 15. v. 6.
(9) Gen 5 v. 27.
(10) Taſſ. Penſ. diver. lib. 2. qu. 15.

Digitized by Google

pti : & in curſu vitæ humanæ ſeptimo anno expeditur uſus rationis, bis ſeptimo incipit adoleſcentia, ter ſeptimo juventus, & ſic de aliis.

IV. Objicitur. Ver eſt tempus anni omnium mitiſſimum, & pene neceſſarium rebus recenter productis, quia ut ait Virgilius (1),

Nec res hunc teneræ poſſent perferre laborem,
Si non tanta quies iret, friguſque caloremque
Inter, & exciperet cæli indulgentia terras.

Reſp. conc. primam aſſumpti partem, ſed *nego* ſecundam. Nam in primis etiam Autumnus eſt tempeſtas quædam media inter calorem & frigus, ſive æſtatem & hyemem. Deinde plantæ a Deo primum creatæ fuerunt in ſtatu perfecto, & proinde pares ut nunc ſunt, hyemi tolerandæ.

Mitto morales congruentias, quæ pro formatione Mundi tempore veris congeruntur, tum quia illæ reſpiciunt præcipue noſtram hanc terram, quaſi ea non haberet rationem infiniteſimi ad Mundum, tum maxime quia ab adductis pro Autumno argumentis omnes obruuntur.

301. Incidit hic apud aliquos quæſtio, an Luna, quæ eodem tempore formata fuit cum Sole, collocata fuerit in ſua ad Solem oppoſitione, ſeu in plenilunio, an in ſua cum ipſo conjunctione, ſive in novilunio. Opiniones præcipuæ in hac re ſunt tres. Prima S. Auguſtini (2), quam ſequitur Suarez (3), nihil poſſe de illa ſtatui. Secunda, quam *ſatis probabilem* vocat S. Thomas (4), & multis apud eumdem Suarez placuit, eſt eorum, qui pro plenilunio concludunt, primo ex eo, quod Luna dicitur facta (5), *ut præeſſet nocti*, quod in plenilunio melius contingit. At etiam ſtellæ dicuntur paulo infra factæ, (6) *ut præeſſent nocti*. Quare eodem modo utrobique accipi poteſt illa loquutio, quæ ſicuti pro nulla ſupponit particulari phaſi ſtellarum, ita neque pro ulla Lunæ. Secundo concludunt, quia dicendum Deum creaſſe Lunam in ſtatu perfecto, cum reliqua in hoc ſtatu creaverit : pleni-

(1) Virg. Georg. lib. 2.
(2) Aug. de Gen. ad lit. lib. 2. cap. 15. num. 30. col. 142.
(3) Sua. Oper. 6. dier. lib. 2. cap. 10. num. 10. pag. 112.
(4) S. Th. 1. p. qu. 70. art. 2. ad 5.
(5) Gen. 1. v. 17.
(6) Ibi. v. 18.

Digitized by Google

plenilunium autem volunt pertinere ad Lunæ perfectionem, juxta illud, (1) *ſicut Luna perfecta*. At reponunt alii, quod Sol potius illuminet Lunæ hemiſphærium, quod totum conſpici a nobis poteſt, quam aliud, quod, quia jacet in oppoſitam noſtris oculis partem, vel nullo modo, vel ex aliqua ſolum ſui parte poteſt a nobis videri, non pertinet ad ullam perfectionem ipſi Lunæ intrinſecam. Quare etiamſi Luna perfecta in citato Pſalmo ſumatur pro Luna plena, ſumitur enim ab interpretibus etiam in alio ſenſu, nihilominus cum hujuſmodi perfectio ſit prorſus extrinſeca Lunæ, non dat locum illationi deductæ ab exemplis aliarum rerum creatarum, in quibus ſola conſideratur perfectio intrinſeca. Tertia opinio eſt eorum, qui pro Novilunio concludunt, tum quia hinc deſumptum ſemper fuit principium periodi Lunaris ab omnibus cujuſvis temporis hominibus, & præcipue ab Hebræis, qui, cum Lunam decimam quartam appellent plenilunium, conſequenter Lunam primam dicunt novilunium: tum quia congruentius ipſis videtur Lunam reſpectu terræ habuiſſe continuum lucis incrementum, quam decrementum, quale illi contigiſſet poſitæ in plenilunio.

SECTIO II.

Argumentum pro ambiguitate circa determinatam Mundi ætatem.

302. Sic arguitur. Supputationes de Mundi ætate, quæ unice attendi poſſunt, ſunt illæ, quæ ex Sacris literis eruuntur, maxime ex Pentateucho. Sed ex his non eruuntur ſupputationes, quæ notam accurate Mundi ætatem nobis faciant: ergo ea nota accurate non eſt. Major ſuadetur I. quia, ut ex profeſſo exponit & declarat Natalis Alexander (2), nullus eſt Hiſtoriæ aut Philoſophiæ ſcriptor, ſive per ſimplicem ſermonem, ſive per poeſim, antiquior Moyſe, Authore Pentateuchi, qui continet non ſolum leges Reipublicæ Judaicæ, ſed etiam hiſtoriam Mundi, & ejus creationis. Sed præſcindendo etiam a Moyſe tamquam illius authore, ejuſdem antiquitas ſupra omnes alios libros demonſtra-

(1) Pſal. 88. v. 38.
(2) Alex. Hiſt. Eccl. Diſſ. 9. & 10. in 4. Mundi ætatem a pag. 1.

ſtratur ex eo, quod neceſſe eſt Pentateuchus antecedat tempus, quo in duo regna, alterum Judæ ſub Roboamo, & alterum Iſraelis ſub Jeroboamo, ſciſſæ fuerunt anno ante Chriſtum 975 juxta Ricciolium, duodecim Judæorum tribus; Nam cum populus unius regni religioni ſibi duceret cum illo alterius regni communicare, & neuter vellet uti rebus, quibus alter ſemel uſus eſſet, non potuit Pentateuchus magni habitus, & diligenter cuſtoditus ab utroque populo, ex uno ad alterum tranſire. Igitur neceſſe eſt illum uterque ſecum habuerit in prima mutua ſeceſſione. Ex quo conficitur, Pentateuchum ſcriptum fuiſſe tum ante Homerum, qui non potuit ſuos libros conficere niſi poſt Roboamum, juxta veriorem opinionem circa tempus, quo tantus Poeta floruit, quandoquidem magna de hoc lis eſt apud Auctores, ut docent Pererius (1), & Ricciolius (2): tum multo magis ante Herodotum, qui quatuor dumtaxat ſæculis ante Chriſtum floruit, & pater hiſtoriæ a Tullio appellatur, a vulgo autem mendaciorum, ut ait idem Pererius (3).

Suadetur II. quia præſcindendo a Fide, per quam credimus nihil eſſe falſi in libris Spiritu Sancto inſpirante perſcriptis, de quibus Concilium Tridentinum dedit nobis catalogum ſeſſione 4. in decreto de Libris Canonicis, Pentateuchus complectitur in ſe omnes characteres veræ hiſtoriæ; Non enim in eo Moſes blanditur genti ſuæ, comparans illam cum nationibus clarioribus, quin immo ob oculos ponit paucitatem ſuorum majorum, qui tempore Abrahami familiam quidem componebant, non tamen gentem, cum interea late per circuitum florerent plura regna. Exprobat ipſi ſua ſcelera, infidelitatem, & turpiſſimam ad Idola propenſionem. Nihil tandem in iis, quæ narrat habetur, quod ſit incredibile, male cohærens, aut aliquando deprehenſum falſum; Narrat enim originem Mundi per creationem, in quo recedit a Philoſophia Ægyptiorum, inter quos educatus fuit, qui illum æternum ſaltem quantum ad materiam crediderunt: narrat formationem corporum organicorum, plantarum, animalium, & ipſius hominis per immediatam voluntatem Dei, illorumque ſucceſſivam pro-

(1) Per. in cap. 12. Geneſ. num. 99. (3) Per. in Daniel. lib. 7. ad cap. 6.
(2) Ric. Chronol. reform. lib. 3. cap. 3. v. 1. pag. 414.
pag. 129.

pagationem eidem tribuit, ejuſque benedictioni, in quo abhorret a Philoſophia illa, quæ cum ſcriberet, ſatis communis erat, & nunc demonſtrata eſt falſa & chimærica, in qua aſtris, calori, fermentationi, & caſui hæc tribuebantur: narrat primorum hominum peccatum, triſtem Divini præcepti detrectationem, pœnam illis inflictam, incrementum generis humani, ejuſdem ſcelera, & propter hanc cauſam commune excidium per diluvium univerſale, excepta ſolum Noetica familia, & animalibus, quæ Deus ſalva voluit intra inſignem Arcam, ab ipſo Noe juxta acceptas divinitus menſuras fabricatam, quas idem Moyſes refert, & poſt diligentem Interpretum conſiderationem & calculos, inventam opportunam ad omnia continenda, quæ opus erant pro integro anno, quo aquis debebat illa innatare: narrat diverſas familias ex Noe propagatas, & Aſiæ regiones, quas primo habitarunt, & in quas deinceps ſe extenderunt, diſtinguit & circumſcribit eo modo, qui conſentit cum deſcriptione omnium Geographorum, longe poſteriori tempore ſcribentium, & cum hiſtoriis, quæ dum regna in Aſia commemorant, tacent de reliquis terræ regionibus. Atque hæc omnia talia ſunt, ut ipſorum memoria facile potuerit remanere apud homines, præſertim cum ab ipſo Moyſe ad Adamum interceſſerint anni circiter 2400, qui non multi ſunt, habita ratione ad longam per plura ſæcula Patriarcharum vitam.

Suadetur III. Quia aliæ hiſtoriæ, quæ objiciuntur majoris etiam antiquitatis, ac illa Moyſis, & circa originem Mundi per plura ſæculorum centenaria ab eadem diſcrepantes, ſunt vana & ridicula commenta ab otioſis & incredulis conficta, ut mox conſtabit, & ſatis etiam evincitur per aliqua ex iis argumentis, quibus ſupra excluſa eſt æternitas Mundi.

303. Quod pertinet ad minorem, ſcilicet ex Sacra Scriptura non erui accurate Mundi ætatem, id extra controverſiam ponit diverſitas ſupputationum, quæ apparet apud illos, qui eam ſe deducere ex Scriptura profitentur. Supputatio tamen Uſſerii, quæ coincidit in illam Jacobi Tirini, & M. Antonii Capelli placet jam pleriſque, quæ ſtatuit a Mundi exordio uſque ad ortum Chriſti, effluxiſſe annos 4000, ex quibus tota ætas Mundi colligitur, additis annis æræ vulgaris, ſive ab ortu Chriſti ad nos. Sed de hac ipſa æra controvertitur, an bene ſtabilita fuerit, quod no-

Digitized by Google

nolunt aliqui eruditiſſimi viri, qui ut ait Calmetus (1) *autumant tribus annis ſerius, quam par eſt*, illam incipere. Cæterum diverſas circa ætatem Mundi ſententias, in quas iverunt Chronologi uſque ad 70 habentur diſpoſitæ in tabulam a Ricciolio (2), quæ verſantur inter illam omnium maximam, quæ ponit ante ortum Chriſti annos 6984, & illam, quæ ponit annos 3740.

Poterat illa minor aliter etiam ſic enunciari; Atqui ex Sacris Literis non poſſunt erui ſupputationes, quæ notam accurate nobis faciant Mundi ætatem. Pro qua ſuadenda eſt primo illud, quod ſcriptum eſt, (3) *Arenam maris, & pluviæ guttas & dies ſæculi quis dinumeravit*? Secundo ſunt omnes rationes a Pererio (4), & Petavio (5) enumeratæ, propter quas naſcitur in ſupputationibus tanta Auctorum diverſitas, in quibus eſt illa, quæ ſola ſatis eſt ad propoſitum, quod Sacri libri, ſicut mos eſt etiam apud Scriptores profanos, exprimunt frequenter ſummam plurium annorum per integrum aliquem numerum, tacito exiguo & imperfecto numero. Exemplum eſto in ſumma annorum Regni Davidis, quæ in libro tertio Regum capite ſecundo dicitur annorum quadraginta, cum fuerit ſex menſibus diuturnior, ut alibi (6) eadem Scriptura docet. Alia exempla dabit idem Pererius, ubi hunc ipſum Scripturæ morem, quem Patres ab eodem citati jam adverterant, alibi (7) ex profeſſo ſuadet. Hoc poſito cum dicitur, Adam genuiſſe Seth annos natus centum & triginta, & obiiſſe anno ætatis 930, quis putet eſſe nobis neceſſario credendum, hæc & his ſimilia accidiſſe eodem die, quo anni enunciati complebantur?

SECTIO

(1) Cal. Dict. art. Mundus pag. 71.

(2) Ricc. Chron. Ref. lib. 7. in fine cap. 1. pag. 292.

(3) Eccli. 1. v. 2.

(4) Per. in Gen. lib. 1. ad illud *in principio* pag. 20.

(5) Peta. Rationar. tempor. par. 2. lib. 2. cap. 1. pag. 65.

(6) Reg. lib. 2. cap. 5.

(7) Per. in Danie. lib. 14. ad cap. 9 v. 27. pag. 733.

Digitized by Google

SECTIO III.

Argumentum contra opiniones de antiquitate Mundi extra limites S. Scripturæ.

304. APud Catholicos & veros Philoſophos eo ipſo, quod alicui opinioni opponatur Scriptura, certa jam eſt illius falſitas. (1) *Nos*, inquit in hac ipſa re S. Auguſtinus, *in noſtra Religionis hiſtoria, fulti authoritate divina, quicquid ei reſiſtit, non dubitamus eſſe falſiſſimum*. Pro quibuſvis autem hominibus arguitur ex eo, quod omnis opinio tribuens huic Mundo plus antiquitatis, quam patiantur Sacræ Literæ oſtendatur abſurde conficta, ut conſtabit ex dicendis. Illud interea cum citato Pererio adverti poteſt, quod facit contra adverſarios, opportune dictum eſſe, non jam ſæcula, *ſed dies ſæculi quis dinumeravit*? quia tales habentur epochæ in Bibliis, quæ præſcribunt certos limites ſatis anguſtos circa incertitudinem, in qua ſumus de Mundi ætate. Exemplo ſit tempus intercedens a creatione Mundi uſque ad Diluvium, quod Geneſis ſecundum textum hebræum, & noſtram editionem vulgatam diſtinguit in decem generationes, quarum numerum qui augeat, temere facit, cum, ut dicit idem Pererius, (2) *nec ex aliis Scripturæ locis, nec ex translatione 70 Interpretum, nec ex traditione Eccleſiæ, nec Sanctorum Patrum ſcriptis aliquo modo conjici queat, ullam ab Adamo uſque ad diluvium intermiſſam eſſe generationem*. Porro cum anni quibus ex Adamo prima generatio, & reliquæ ex aliis ſucceſſive acciderunt, aſſignentur, fit ut, ſi hi anni ſumantur prout præciſe completi, colligatur ſumma a creatione Adami ad diluvium annorum mille ſexcentorum quinquaginta ſex; ſin autem ſumantur completi cum aliquot præterea menſibus, vel diebus, ſumma evadet major: ſin tandem ſumantur non ut completi, ſed inchoati, ſumma erit minor: ſed differentia in utroque caſu non erit pluſquam novem annorum, & aliquot menſium.

305. I. Objicitur. Conſonum eſt Scripturæ ante Adamum fuiſſe

(1) S. Aug. de Civi. lib. 18. cap. 40. Col. 522.

(2) Per. in Gen. lib. 7. Diſp. Chronol. qu. 1. pag. 563.

fuiſſe alios homines: ſed ſupputationes, quæ a Mundi exortu uſque ad Chriſtum ſtatuunt annos circiter 4000, omnes ſupponunt ante Adamum alios homines non fuiſſe: ergo.

Reſp. nego maj. Non ſolum hæc opinio, quæ dicitur hæreſis Præadamitarum non eſt conſona Sacræ Scripturæ, ſed illi aperte repugnat. Nam Geneſis nos docens de prima rerum omnium productione, & diſtinctim de creatione primi hominis, quem univerſæ terræ præſidem conſtitutum narrat, hunc, cum ſæpius (1) dixerit fuiſſe Adam, tum clariſſime capite quinto; *Hic eſt liber generationis Adam. In die, qua creavit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum: maſculum & fœminam creavit eos, & benedixit illis*, quæ verba cum repetant ea, quæ in primo capite dicta fuerunt de primo homine, cujus nomen ibi poſitum non fuerat, plane ſignificant, illum fuiſſe ipſum Adamum. In novo autem Teſtamento ſcriptum eſt, (2) *Factus primus homo Adam in animam viventem*: & quoniam alibi habemus, (3) *Fecit ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ*, iterum clariſſimum eſt proponi nobis credendum, nullum fuiſſe hominem ante Adamum. Omitto alia teſtimonia, quæ diligenter collegit Natalis Alexander, & a cavillationibus hujuſmodi hæreticorum luculente vindicavit (4), quorum auctor fuit Iſaac Peyrerius in libro, qui ſine ejus nomine prodiit Amſtelodami, quem perſcripſit, cum eſſet in ſecta Calviniana, quæ abuſum ſuis alumnis concedit interpretandi Sacras Scripturas juxta privatum cujuſque ſpiritum, ſed deinde ſimul cum omni hæreſi ejuravit, ut conſtat ex ejus epiſtola edita Romæ anno 1657 ad Philotimum, de qua mentionem faciunt Dominicus Bernini (5) & Joſeph Perrimezzi (6).

Negatam majorem ſic probant. Moſes primum meminit de creatione maſculi & fœminæ (7): deinde de creatione Adami & Evæ (8): ergo Adam & Eva non fuerunt homines abſolute primi, ſed primi ſolum eorum, quos Deus in populum peculiarem elegerat.

Reſp.

(1) Gen. cap. 2. & ſequ.
(2) I. ad Corinth. 15.
(3) Act. 17. v. 26.
(4) Alex. Hiſt. Eccl. Ætas I. Diſſ. 3. art. 1. pag. 55.
(5) Bern. Hiſto. di tutte l'hereſ. ſec. 17. cap. 5. pag. 644.
(6) Perri. de Deo. Diſſ. 158. pag. 375.
(7) Gen. 1. v. 27.
(8) Gen. 2.

Digitized by Google

Reſp. conc. antecedens, & nego conſequam; Nam clarum eſt ex contextu, cum mentio ſit ſecundo de creatione Adami & Evæ, ibi Moſem iterum loqui de eadem creatione, de qua primo loco loquutus fuerat, quin ulla in hac repetitione ſit ſuperfluitas, quippe cum primo per tranſennam de illa meminerit, utpote percurrens genera rerum creatarum, nihil dixerat de tot illis, quæ diſtinctim commemorat ad eos pertinentia. Alia, quæ eam conſequentiam peſſumdant, dabit citatus Alexander, mihi ſatis ſit meminiſſe illud Auguſtini: (1) *In ipſo exordio Adam & Eva parentes omnium gentium erant, non tantummodo Judæorum.*

Inſtant I. Abel deſcribitur paſtor, quod ſupponit fuiſſe fures, adeoque alios præter Adamum, & Evam, & ab his progenitos: Cain vero (2) deſcribitur agricola, quod ſupponit fuiſſe alios homines & artifices ad agriculturam ſpectantes. Rurſus occiſo Abele, ipſe deſcribitur (3) timens ſibi occiſionem ab aliis hominibus, & profugus in aliam plagam, ibique uxorem ducens, & civitatem ædificans.

Reſp. Cum Abel occiſus fuit, jam effluxerant anni circiter centum triginta, quandoquidem hac ætate erat Adam (4), cum genuit Seth, quem loco Abelis ſibi a Deo datum dixit. Intra autem tot annorum intervallum utique potuerat ex aliis Adami & Evæ filiis & nepotibus non nominatis in Scriptura creviſſe jam genus humanum in quamplurima hominum millia, & eſſe, qui in parandis etiam inſtrumentis ad agriculturam illius temporis opportunis occuparentur, & quando nullus in illis timendus eſſet fur, qui inſidiaretur gregibus, non deerant alia officia paſtorum propria, ut eos ad meliora paſcua ducere, removere a noxiis, tueri a feris, & alia.

Inſtant II. Fuerunt jam olim Philoſophi, de quibus meminit S. Auguſtinus (5), qui docuerunt eaſdem rerum vices ſæpius redituras, confectis ſiderum quibuſdam longiſſimis periodis. In his eſt Seneca, qui opinatur (6) Mundum incendio ac diluvio alternatim corruentem debere ſæpe numero per cauſas naturales renaſci: quam opinionem Coquæus in ſuis ad Auguſtinum notis oſten-

(1) Aug. tra. 9. in Joan.
(2) Gen. 4. ꝟ. 2.
(3) Ibi. v. 14.
(4) Ibi. 5. v. 3.
(5) S. Aug. de Civit. lib. 12. cap. 13. col. 311.
(6) Sen. Nat. quæ lib. 3. cap. 27.

oſtendit, Origenem conatum fuiſſe ſuadere quibuſdam Scripturæ teſtimoniis, cujuſmodi eſt illud, (1) *Nihil ſub ſolem novum, nec valet quiſquam dicere, ecce hoc recens eſt, jam enim præceſſit in ſæculis, quæ fuerunt ante nos.*

Reſp. Stando ſoli philoſophiæ gratuitum eſſe & commentitium hujuſmodi rerum circuitum, & novam corporum organicorum regenerationem per ſolas cauſas naturales; Hæ enim aliæ eſſe nequeunt, quam ejuſdem ſpeciei, quæ ſemel deſtructo Mundo nullæ amplius ſunt, ut contra Senecam dixit jam Pererius (2). Quod ſi Sacras Literas conſulamus, multa inveniemus, quæ huic opinioni aperte opponuntur. Illud ipſum Salomonis teſtimonium, quod nobis objicitur, verius nobis favet; Quoniam enim nihil eſt ſub ſole novum, nihil habet majorem ſole antiquitatem: Sed antiquitas ſolis juxta Scripturam non eſt tanta, quantam fingunt Adverſarii: ergo neque illa aliarum rerum. Præterea obſervante Eſtio (3), dicuntur ſimilia præceſſiſſe quidem in ſæculis, ſed neque infinitis, neque tot, quot objiciuntur. Tandem omiſſis aliis interpretationibus, quæ proſtant apud Cornelium a Lapide, S. Thomas (4) dicit, Eccleſiaſtem ibi loqui de his, quæ a Solis virtute pendent. Quod ſenſerat jam S. Auguſtinus, qui univerſim ad quævis Scripturæ verba, quæ ſibi uſurpent Adverſarii, ibidem reſpondet, (5) *Abſit a recta fide, ut his illos circumitus ſignificatos eſſe credamus, quibus illi putant ſic eadem tempora, temporaliumque rerum volumina repeti.*

Inſtant III. Non admiſſo alio progenitore homine præter Adamum non explicatur, quomodo alii hominum ſint albi, alii nigri.

Reſp. nego aſſumptum. Coloris diverſitas eſt accidentalis varietas, non ſubſtantialis, ſive quæ verſetur in ſubſtantia organizationis. De ejus origine varias ſupra (§. 94.) opiniones commemoravi.

306. II. Objiciuntur obſervationes Aſtronomicæ Chaldæorum, quæ tempore Alexandri Magni erant annorum pluſquam 400 000.

 Reſp.

(1) Eccle. 1. 10.
(2) Per. in Gen. lib. 12. pag. 169.
(3) Eſt. in 2. diſt. 1. §. 10. pag. 9. ad 2.
(4) S. Tho. in 4. diſ. 48. qu. 2. art. 1.
(5) S. Aug. de Civ. lib. 12. cap. 13. col. 311.

Reſp. Illas non poſſe amplius a mediocriter docto objici ; Nam illarum vanitas & abſurditas demonſtrata jam ſepius eſt a variis. De his habetur diſſertatio apud Trevoltianos (1), quæ ibi videtur tribui Abbati de Longuerne tamquam auctori, & detrahi a Simonio, inter cujus editas epiſtolas eadem reperitur. In ea mirum eſſe dicitur eſſe adhuc inter Chriſtianos, qui in iis credant contineri aliquam veritatem, & conciliari aliquo modo poſſe cum aliis indubitatæ Fidei hiſtoriis, & etiam cum Sacra Scriptura, quaſi vero operæ pretium ſit multitudinem fabularum & mendaciorum ad veritatem omni ſtudio pertrahere. Equidem addam quod lego apud Pererium & Nonnottem. Pererius quidem refutans hinc objectionem dicit (2), Porphyrium authorem eſſe, Calliſthenem comitem bellorum Alexandri Magni, cum monumenta omnia Chaldæorum Babylone curioſe ſcrutatus eſſet, reperiſſe obſervationes rerum cæleſtium omnium antiquiſſimas aſcendere dumtaxat ad annos 1900. Nonnotte (3) vero dicit Simplicium eſſe unicum Auctorem, qui referat Alexandrum in Græciam miſiſſe ex Urbe Babylonis obſervationes Chaldæorum, quæ aſcendebant ad annos 2233 ante æram vulgarem, quod notat ut corrigat Voltairem, qui hunc numerum auxit annis 322. Quare res mihi eſt plena confuſionis, dum ii etiam, qui habent pro deliramento, quod ex Chaldæis obtruditur, non conſentiunt deinde neque in numero annorum, qui de his obſervationibus credi poſſit, neque in Auctoribus, unde hunc deſumpſerint. Sed quicquid ſit de hac re, quoniam præter Chaldæos aliæ etiam Gentes objiciuntur jactare ſe de antiquis Aſtronomiæ monumentis, juvat adnotare, Plutarchum (4) tribuere Thaleti Mileſio, qui ſex ſæculis ante æram vulgarem fuit, quod primus auſus fuerit prædicere Eclipſim Solarem, Anaxagoræ vero uno ſæculo poſteriori Lunarem, quin tamen etiam poſt Chriſtum natum ſublatus fuerit e vulgi mente apud plures populos error ille, quod Lunæ Eclipſis eſſet ipſius pallor ex occurſu alicujus monſtri, quod illi comminaretur excidium. Hinc tumultus illi in Eclipſibus inter Perſas, & Tu-

(1) Mem. de Trev. an. 1706. art. 8. pag. 120.

(2) Perer. in Geneſ. lib. 1. ad illud in Principio pag. 19.

(3) Nonn. Erreurs de Voltaire. Avant. propoſ. pag. 4.

(4) Plut. de Placi. Philoſ. lib. 2. cap. 24.

Digitized by Google

Turcas, ut affirmant, qui de his oculati teſtes fuerunt Martinus Martinius (1), & Ferdinandus Verbieſtus (2).

307. III. Objicitur. Hiſtoria præſertim Ægyptiaca narrat plures generationes eorum, qui in Ægypto regnarunt, quæ poſtulant ſeriem annorum longe remotiorem illa, quæ ſolet aſſignari. Aſſumptum probatur, quia omnes illi heroes, qui divinis honoribus deinde ab Idololatris culti ſunt, ut Oſiris, Iſis, Horus, Linus, Orpheus, Picus, Menes, aliique multi, quos qui de Theogonia ſcribunt, recenſent, dicuntur fuiſſe antiquiſſimi variarum gentium, maxime Ægyptiorum reges. Hinc Ægyptii, inquit Jonſtonus (3) jam olim 48 000 annorum hiſtoriam venditabant, Chaldæi 47 000. Indi Orientales 70 000. Certe Herodotus a Rege Ægypti Menete uſque ad Sethonem, vel Sethum, qui fugavit Sennacheribum Aſſyriorum Regem dicit ex relatione Ægyptiorum, & Sacerdotum (4), *progenies hominum fuiſſe trecentas quadraginta unam*, aſſignatque pro ſingulis tribus generationibus centum annos. Quare concluditur interceſſiſſe pluſquam undecim millia annorum.

Reſpondetur, has Ægyptiorum hiſtorias contemnendas prorſus eſſe tamquam fabulas & mendacia. Ex Chaldæis enim ad Ægyptios tranſivit ſcientia Aſtronomica cum illorum falſitatibus. In Diſſertatione Trevoltiana, & Commentariis Pererii nuper citatis videri poſſunt plures Antiquiores Authores, & Philoſophi etiam ethnici præter SS. Patres, qui cum omni contemptu de his hiſtoriis loquuti ſunt; inter quos eſt S. Auguſtinus, qui (5) *mendaciſſimas* appellat, & iterum iterumque tales eſſe perſuadet locis per extenſum relatis a Natali Alexandro (6). Horum authoritas peſſumdat illam, quæ opponi poſſet ex Platone, & aliis antiquis nominatis à Coquæo in citatum S. Doctoris locum, qui iiſdem favere viſi ſunt. Quoniam autem pro illis citatur præcipue hiſtoria Ægypti ſcripta a quodam Manethone, de qua meminit Joſephus Hebræus, & de qua ſolum ſuperſunt in Chronica Euſebii quædam fragmenta illius compendii, quod de ea fecerat

 Julius

(1) Marc. Hiſt. Sinenſ. lib. 2.
(2) Verb. Aſtron. Europ cap. 10.
(3) Jon. Thaumatographia Claſſis 1. art. 4. pag. 5.
(4) Herod. lib. 2. Euterpe pag. 164.
(5) S. Aug. de Civi. lib. 12. cap. 10 num. 2. col. 309.
(6) Alc. Hiſt. Eccl. Æt. 1. Diſſ. 3. ar. 1. pag. 62.

Julius Africanus, auctor ſæculi tertii poſt Chriſtum, hoc ſolum de illa dicam, ſcilicet illius auctorem, qui vixit ſæculo tertio ante Chriſtum, adeoque duobus ſæculis, poſtquam Cambyſes Ægyptum vaſtaverat, & vetera omnia ejuſdem regni monumenta ſtudioſe deleverat, illam compoſuiſſe ex lectis ab ipſo ſolo antiquis catalogis, & lapidariis inſcriptionibus, & intellectis ab ipſo ſolo aliis ſignis & hieroglyphicis. Quis hæc audiens poteſt jam amplius in pretio habere Manethonem, & ejus hiſtoriam? Nonne his ſemel animadverſis puduiſſet Gerardum Mercatorem hoc uti authore ad ſuadendum gentem Ægyptiam eſſe omnium antiquiſſimam, & æqualem primis hominibus? quod ne concludit quidem, niſi per ratiocinium falſis plenum ſuppoſitionibus, ut oſtendit Pererius (1). Nonne etiam merito Pluche (2) invehitur in *Canonem chronicum Ægyptiacum* Joannis Marshami, in quo fabulæ Manethonis, & ſimilium obtruduntur per contemptum rationis, Geneſeos, & totius Sacræ Scripturæ? Magis autem in particulari dico, jure arbitratum eſſe eumdem Pluchem tum ibi, tum alibi (3), omnia hæc commenta habuiſſe originem longe poſt diluvium ab abuſu, quem poſteri fecerunt de iis ſignis, quibus, primis poſt Noeticum tempus generationibus in aliquam multitudinem jam coaleſcentibus, indicebantur modo publici ad Deum colendum conventus, modo quæ ad agriculturam, commercium, aliaque ad vitam civilem neceſſaria pertinebant. Qui abuſus in eo ſitus eſt, quod ſequentibus temporibus facta fuerint ſigna totidem objectorum realium, præſertim hominum ac mulierum, quæ fuerant ſolum ſigna rerum faciendarum, vel rerum abſtractarum, quando inventa ratione ſcribendi, vel alio modo inſtruendi vulgus in neceſſariis ad vitam ſocialem tuendam, paulatim illud oblitum eſt primævam ac genuinam eorum ſignificationem: Demonſtratio Authoris nititur in etimologia nominum, in apta congruentia conformationis eorum ſignorum cum populi Ægyptiaci indigentiis, uſibus, commercio, & in aliis ex hiſtoria tum civili, tum naturali deſumptis argumentis.

308. Ac determinate quod pertinet ad ſeriem illam Regum ab

(1) Per. in Gen. lib. 15. num. 39. pag. 308.

(2) Plu. Spett. tom. 8. par. 1. Certit. de l'hiſtoi. Sain. num. 23. & ſuiv. pag. 114.

(3) Id. Hiſt. du Ciel. lib. 1. cha. 2. num. 4. §. C'eſt deja pag. 159.

ab Ægyptiaca hiſtoria admiſſam per innumera fere ſæcula, credit idem Pluche (1), errorem hunc habuiſſe originem ex ignorantia Ægyptiorum poſteriorum, qui invenientes calculos Aſtronomicos majorum ſuorum, in quibus deſignabant periodos pertinentes ad motum aſtrorum in aliqua aſſumpta hypotheſi, ut numeros annorum, qui tranſire debuiſſent, antequam hoc vel illud aſtrum, quod proprio & noto tunc nomine appellabant, concurreret cum hoc vel illo anni tempore, ipſi neſcientes amplius illorum nominum ſignificationem, nomina quidem aſtrorum fecerunt nomina regum, & numerum annorum exiſtimarunt denotare vel annos vitæ ipſorum, vel regni in ejus familia. Ita Thot nomen illius Stellæ, quæ dicitur Syrius, apud Ægyptios, & nomen primi menſis anni eorum, quem dierum 365 ſtatuerunt, factum eſt nomen Regis Ægyptii antiquiſſimi, cujus familiæ tribuerunt regnum annorum 1460, propterea quod in Aſtronomorum ſuorum commentariis invenerunt hunc numerum cum nomine Thot conjunctum, qui per Aſtronomos ſignificabat Sirium, cum ſemel ortus fuerit in principio anni, iterum in hoc principio non oriturum niſi poſt annos 1460. Atque hoc bene concludebant, ſiquidem cum una die intra quatuor annos Ægyptiacos tardius oriatur Sirius, neceſſe eſt oriatur tardius diebus 365 poſt annos 1460, poſt quos iterum orietur cum principio anni. Angli Hiſtoriæ Univerſalis Auctores hanc Pluches opinionem adprobantes, illam etiam proponunt (2), quæ credit annos illos Ægyptiacæ hiſtoriæ non jam Solares eſſe, ſed Lunares, adeoque menſes.

Ad hæc Ægyptiorum commenta pertinet etiam, quod in Platone legitur, Sacerdotes Ægyptios ex ſuo (3) *hiſtoriarum libro* narraſſe Athenienſi Soloni apud illos commoranti Athenarum *inſtituta & præclara facinora novem millium annorum*, in quibus erat victoria ab Athenienſibus reportata de populis non ſolum totius Lybiæ, & magnæ partis Europæ, ſed etiam Atlantidis, *inſulæ* ſcilicet *Lybia ſimul & Aſia majoris & admirabilis potentiæ, quorum vis omnis una collecta Athenas invaſerat*. Cum autem tota hæc narratio præſeferat characteres fabulæ ab ipſis fortaſſe Solone aut Platone confictæ in gratiam patriæ, illud ſaltem habet.

(1) Id. Ibid. num. 25. pag. 276. ſez. 5. pag. 631.
(2) Stor. Univ. Vol. 1. par. 4. cap. 1.
(3) Pla. Timæ. ſub initi. pag. 475.

habet, quod contemni non poteſt, mentionem ſcilicet de Inſula quadam ampliſſima e regione freti herculei poſita, quæ a Cluverio aliiſque citatis in notis ad librum quintum Diodori Siculi juxta editionem adornatam a Petro Weſſelingio (1), creditur idem eſſe cum America, vel parte aliqua ipſi Americæ adjacente, non ſolum quia de hujus exiſtentia certi jam ſumus, ſed etiam quia habemus tum Strabonem, qui præter Platonem, alios refert (2) meminiſſe de terris procul ab Africa poſitis: tum Diodorum, qui loco nuper citato tradit Phœnicas olim extra columnas Herculis fuiſſe vi tempeſtatis translatos ad inſulam ingentis magnitudinis contra Africam occaſum verſus jacentem, cujus ſolum amœnum, frugiferum, & populoſum invenerunt: tum Auctorem libri de Mundo attributi Ariſtoteli, qui præter Europam, Aſiam, & Africam dicit eſſe *inſulas magnas*, per quas fortaſſe veteres intellexerunt Americam & Magellanicam.

309. Inſtant, quando minus ſubſiſtant Ægyptiorum hiſtoriæ, & Genealogiæ illæ antiquiſſimæ, ſunt ſaltem illæ Sinenſium, quæ vel parem, vel majorem antiquitatem Ægyptiacis præſeferunt, de quibus mentionem faciunt diverſi Authores. Ita ſcribebat Hieronymus Oſorius in ſuo opere de Gloria, quod præ manibus habeo ex editione anni 1552, quod qui ex ſuis ad regiones Sinarum appulerunt, multa prædicabant de illa gente, eorum moribus, ſtudiis, artibus, cognitionibus, & præſertim quod (3) *in libris ſcribendis æneis formis, quæ non ita pridem apud nos in uſu ſunt, illi infinitis prope ſæculis utuntur*: ergo ſaltem in Sinenſibus habetur veſtigium æternitatis Mundi.

Reſp. diſt. antecedens, & hæ pariter hiſtoriæ vel non attingunt tempora diluvii Noetici, vel ſunt malæ interpretationes quorumdam calculorum, quos Aſtronomi aliqui reliquerunt, *conc. antecedens*: aliter *nego antecedens*, *& conſequens*. Diſtinctionem legitimam eſſe luculenter ſuadent ſagaciſſimi viri, a quibus hæ etiam antiquitates fuerunt accurate examinatæ. Ex his plures nominat Antoninus Valſecchi (4) impugnans Marchionem d'Argens, ſeu Auctorem libri *Le Philoſophe du bon ſens*, quem cum in aliis rebus

(1) Diod. lib. 5. num. 19. pag. 344.
(2) Strab. lib. 2. circa medi. pag. 155.
(3) Oſor. de Glor. ſub finem lib. 3. pag. 178.
(4) Val. Fondam. della Relig. lib. 1. cap. 3. num. 5. pag. 58.
Id. Ibi. lib. 3. par. 2. num. 1. pag. 277.

rebus impietatis, in hac, quod renovaverit hujuſmodi objectionem, malæ fidei, vel ignorantiæ reprehendit, eademque reprehenſio cadit in auctorem Articuli de Chronologia in Encyclopædia, qui teſte Chaumeixio dicit, (1) *Dynaſtias Ægypti, Reges Sinarum, aliaſque Chronologias non poſſe haberi pro fabulis, niſi ex defectu ingenii & lectionis*. Eamdem reprehenſionem Nonnotte (2) retorquet contra Voltairem, qui ſupponens etiam ſtoliditatem in ſuis Lectoribus, audet Sinenſium libris alium addere a nemine unquam viſum, nec ſomniatum, cui titulum attribuit Hanſcrit, eumque omnium antiquiſſimum dicit.

310. Comperta vanitate Ægyptiacæ hiſtoriæ, quam contra Scripturæ Sacræ Chronologiam, & veracitatem Adverſarii proponebant, *inter Sinas ſibi refugium quærere mera illos deſperatio pepulit*, dicit Turbevvillus Needham (3), qui nobis anno 1761 ſatis validum exhibere cœpit argumentum credendi, Sinenſes a Colonia Ægyptiorum originem habuiſſe, qui ſibi proprias fecerunt illas immenſæ antiquitatis Dynaſtias, in quas ignorantes Ægyptii transformarunt calculos quoſdam Aſtronomicos majorum ſuorum ab ipſis non intellectos. Argumentum autem Needhami in eo nititur, quod characteres Ægyptii iidem ſint cum characteribus apud Sinenſes olim uſitatis, quorum adhuc extat cognitio in peculiaribus Sinenſis linguæ lexicis. In hanc mentem caſu quodam venerat duobus ante annis de Guignes, quam diligenter deinde excolens ea invenit, quæ magis ſemper ac magis ſuaderent, rem ita eſſe, ut ipſemet exponit in opuſculo, cujus titulus Latine ex Gallico redditus, eſt *Commentarius, in quo oſtenditur Sinenſes eſſe Coloniam Ægyptiacam*, *Pariſiis anno* 1759. Opinio hæc confirmari poteſt teſtimonio Warburtonii, qui agens de Hieroglyphicis Ægyptiis profitetur ſe obſervaſſe, *characteres Sinenſes ſimillimos eſſe characteribus Ægyptiis*, ut habet Diarium Literatorum Florentinum ad annum 1750 (4) in compendio hujus operis Warburtonii Gallice redditi anno 1744. Veſtigiis Guigneſii inhærens Needhamus ope veterum Literarum Sinenſium eruit ſenſum inſcriptionis creditæ optimo jure Ægyptiacæ ſatis opportunum,

(1) Chau. Prejuges ſec. 3. lib. 2. cha. 4. §. Mais quand. pag. 137.

(2) Nonn. Erreur de Vol. tom. 2. Avant-propoſ. pag. 4.

(3) Nee. de Inſcriptione. §. Quid autem pag. 62.

(4) Gior. de Letteraj. art. 4. pag. 68.

Chriſtum tredecim inventa ab alio Imperatore Vuyeo acum magneticam? Quid quod idem (1) teſtatur noſtra hac ætate a Sinenſibus hanc acum adhiberi imponendo illam aquis ſupra ſuber, qui eſt modus, quo primum uſi illa ſunt Europæi, & quem cenſet illos didiciſſe a Venetis, qui illuc per mare Rubrum navigarunt. Warburton credit (2) ſe demonſtrare falſo illis tribui cognitionem & uſum pulveris pyrii, & tormentorum longe ante illud tempus, quo hæc inventa in Europa fuerunt. Daniel Bartolus teſtatur (3) Europæos inveniſſe Muſicam Sinenſium eſſe fragorem quemdam ex percuſſis ſimul variis inſtrumentis, iiſque diſſonis, ſine ulla nec lege nec arte. Idem alibi (4) refert, eoſdem crediḋiſſe eclipſim Lunæ eſſe deliquium animi illius propter admirabilem pulchritudinem Solis, quam cum in ejus conſpectu eſt propinquiori aut magis directo detegit, & attentius contemplatur, & ab Europæis tandem didiciſſe modum prædicendi Eclipſes. Addunt alii, ut Antonius le Grand (5), eoſdem reputáſſe horologia portatilia ad ſe primum delata, quæ vi elateris ſe explicantis & non apparentis, deſignant horas, eſſe totidem animalia.

(1) Id. Ibi. Tom. 4. par. 2. Ent. 5. La Bouſſole pag. 424.

(2) Warb. Julian. B. 2. cha. 5. pag. 262.

(3) Bar. Ricr. del Savio lib. 1. cap. 1 §. A Cineſi. pag. 15.

(4) Id. Ibi. lib. 2. cap. 1. pag. 301.

(5) Grand. De Carentia ſenſus in brutis, num. 37.

Digitized by Google

PROPOSITIO VIII.

Deus habet de omnibus & ſingulis creaturis Providentiam.

SECTIO I.

De ſenſu propoſitionis, & iis qui illi adverſantur.

312. Senſus propoſitionis poſtulat ad ſui claritatem definitionem Providentiæ. Ea cum Boethio eſt, *Divina ratio, quæ cuncta diſponit* (1). Quare quatuor notæ ejus ideam conflant. Prima eſt cognitio Divina, qua Deus ab æterno novit media, quibus omnia & ſingula extra ſe dirigi poſſunt in finem tum generalem rebus omnibus, tum ſingulis particularem. Secunda eſt æternum decretum Voluntatis Divinæ eadem media adhibendi in tempore; Nam poteſt quis noſſe aliquid, quin tamen illud ullo modo velit. Tertia eſt exequutio iſtius æternæ cognitionis, & voluntatis, quæ aliter dicitur temporalis gubernatio univerſi. Quarta imbibita in tertia eſt, ut exequutio ſit ab ipſo Deo vel auctore vel ordinatore immediato ſingulorum; Nam auctor, ſeu cauſſa immediata dicendus eſt ipſe Deus eorum omnium, quæ non ſint malum morale, ſic poſtulante attributo illo Divino, quod omnia, quæ aliquod ens poſitivum ſunt, habeant ab illo dependentiam actualem: ordinator vero tantummodo dicendus eſt, & non cauſſa eorum, quæ malum morale ſunt, utpote quæ, prout mala ſunt, ens poſitivum non ſunt, ſed privatio quædam rectitudinis, quam creatura rationalis actioni ſuæ tribuere debebat. Hinc ait S. Auguſtinus, quod Deus (2) *aliud fecit & ordinavit: aliud autem non fecit, ſed tamen etiam hoc ordinavit*. Et alibi (3) *Deus ordinator, & creator rerum omnium naturalium, peccatorum autem tantum ordinator*.

313. Propoſitioni opponuntur I. Deiſtæ, qui etiamſi Deum exiſtere fateantur, attamen illum negant ſe immiſcere in Mundi

(1) Boet. de Conſol Philoſ. lib. 4. proſ. 6. pag. 123.

(2) S. Aug. in Pſal. 7. num. 19. col. 30.

(3) Id. Confeſſ. lib. 1. cap. 10. col. 75.

di gubernatione, & omnia vel fato cuidam, vel cæco caſui tribuunt. Horum argumentationes querelas atque blaſphemias referunt Daniel Bartolus (1), & Bayle abundanter (2). Ex his fuerunt Judæi illi, de quibus Jeremias dicit, (3) *Negaverunt Dominum, & dixerunt non eſt ipſe*: & ii de quibus Ezechiel teſtatur dixiſſe, (4) *Dereliquit Dominus terram*. Plato etiam inſectatur eos, qui ſuis temporibus (5) *de rebus humanis curare Deos minime arbitrabantur*. Acceſſerunt deinde Epicurei qui diſtinctius docuerunt apud Tullium, (6) *Deum nihil cuiquam tribuere, nihil gratificari, omnino nihil curare, nihil agere*, cujus rationem Lucretius hanc profert (7),

> *Omnis enim per ſe Divum natura neceſſe eſt,*
> *Immortali ævo ſumma cum pace fruatur,*
> *Semota a noſtris rebus, ſejunctaque longe.*

Cum his ſentit Plinius dicens, (8) *Irridendum eſt agere curam rerum humanarum illud quicquid eſt ſummum*.

Secundo opponuntur illi, qui Deum conſtituentes vel in centro Univerſi, vel in ſola circumferentia ſeu Cælo, conſequenter eidem adimunt immediatam rerum fere omnium curam. Ex his ſunt illi, qui apud Job dixerunt, (9) *nubes latibulum ejus & noſtra non conſiderat*, quos ſequutus dicitur Saracenus Averroes, celebris Ariſtotelis interpres, quin immo ipſe Ariſtoteles, de hoc reprehenſus a Theodoreto (10), & a Clemente Alexandrino, qui putat (11) *illi veniſſe in mentem uſque ad Lunam deducere Providentiam, ex hoc Pſalmo* (12) *Domine in Cælo miſericordia tua, & veritas tua uſque ad nubes*. Quod profecto peſſime intellectum eſſet, quia illud, ut ajunt Interpretes, vel ſignificat vim Divinæ Virtutis ſeu perfectionis extendi ad quamcunque amplitudinem, cujus exemplum adduxit ab illa nubium, juxta illud (13) *replevit omnia, & uſque ad Cælum attingebat*:

 vel

(1) Barb. Ricr. del Sav. lib. 2. cap. 1. pag. 302.
(2) Bay. Dittiou. art. Rufin. Remarq. C.
(3) Jer. cap. 5. v. 12.
(4) Ezec. 9. v. 9.
(5) Pla. de Leg. lib. 10. pag. 588.
(6) Tul. de Nat. Deor. lib. 1. num. 123. pag. 256.
(7) Luc. lib. 2. v. 645.
(8) Plin. lib. 2. cap. 7.
(9) Job. 22. v. 12.
(10) Theod. lia. 5. ad Græc. de Natu. homi. pag. 1093.
(11) Clem. Strom. lib. 5. pag. 172.
(12) Pſal. 25.
(13) Sap. 18. v. 16.

vel ſignificat a vi Divina vel intelligendi, vel providendi, quæ bene appellatur Miſericordia & Veritas, nihil negligi, ne ea quidem, quæ ſunt leviſſima, & quæ huc illuc quovis tenui vento poſſunt jactari, ceu ſunt nubes. Alii apud Segnerium (1) pro eodem errore uſurpant illud Pſalmi, (2) *Cælum cæli domino, terram autem dedit filiis hominum*: Sed apage nefandam interpretationem, per quam verba propoſita ad exprimendam a nobis laudem Dei, de qua ibi ſermo erat, convertuntur in argumentum illum negligendi.

314. Tertio opponuntur illi, qui in Deo immediatam quidem curam rerum majoris momenti agnoverunt, quia illo dignam: nullam vero levium, vel ad ſummum mediatam dumtaxat, quia alia illum dedeceret. Ac nullam quidem de rebus parvi momenti curam Deo conceſſerunt Stoici, qui referente Tullio dicebant, (3) *minora Dii negligunt, neque agellos ſingulorum, nec viticulas perſequuntur: nec ſi uredo aut grando quidpiam nocuit, id Jovi animadvertendum fuit*. Similiter Plutarchus Euripidem inducit docentem juxta interpretationem Xylandri, (4) *Deum res magnas curare, exiguas fortunæ dimiſſas ſinere*. S. etiam Auguſtinus meminit fuiſſe, qui totam terram inter minima habentes ad Dei providentiam noluerunt ſpectare, (5) *Audiendi*, inquit, *non ſunt, qui putaverunt ſublimes quidem Mundi partes Divina Providentia gubernari: hanc autem imam partem caſibus potius & fortuitis motibus agitari*. In illis autem, qui mediatam tantummodo curam de levibus Deo reliquerunt, inter antiquiores occurrit Auctor libri de Mundo ad Alexandrum, ſive Ariſtoteles ſit, ſive alius, qui virtutem quamdam creatam conſtituit, cui horum immediata gubernatio commiſſa ſit, negans (6) *ſe illis aſſentiri, qui eam poteſtatem per omnia pertendentem, & ventitantem, ad ea quoque, quæ nec adire ipſam honeſtum eſt, nec dictu ſpecioſum, ſua illic opera efficere contendunt, reſque terrenas adminiſtrare*. Inter minus antiquos Merindolus apud Petrum Papi accuſat Ficinum, alioſque illum ſequ-

(1) Segn. Incredulo par. 1. cap. 19. num. 3. pag. 39.
(2) Pſal. 113. v. 16.
(3) Tull. de Nat. Deor. lib. 3. num. 85. pag. 347.
(4) Plu. de Cohib. ira, circa finem pag. 291.
(5) S. Aug. de Gen. ad lit. lib. 5. cap. 21. num. 42. col. 155.
(6) Ari. de Mundo cap. 7.

ſequutos, de ſimili opinione. Hi, inquit (1), *aliam Deo inferiorem formam agnoſcunt per ſublunaria diffuſam, quæ mundi materiæ infuſa, ceu vitalis ſpiritus ſeminum plenus per ſemina artificioſe ſingula diſponit. Quoniam indignum putant cum his rebus inferioribus implicari, & feliciſſimam mentem non ita negotioſam eſſe debere, a cujus felicitate perenne illud rerum ſublunarium producendarum, & regendarum negotium plurimum detrahere imaginantur*. Inter recentiores habetur Radulphus Cudvvorthus, qui peculiari diſſertatione conatus eſt ſuadere indignum eſſe Majeſtati Divinæ, ſingulos hujus Univerſi effectus curare, ſed ſolum illi tribuit, quod præſit naturæ cuidam procreatrici, quam arbitratur conſtitutam eſſe in hoc Univerſo, (2) *tamquam miniſtrum, quo Divina Providentia utitur in ea muneris ſui parte adminiſtranda, quæ ad materiæ diſpoſitionem, temperationem, & gubernationem pertinet, emendans ſolum cum ipſi placuerit, quæ illa aliquando peccaverit*. Huc pertinet Rabbi Maimonides, qui in ſuo libro *Doctor Perplexorum* (3) juxta verſionem Joannis Buxtorfii Junioris factam anno 1629, agnoſcit Divinam Providentiam circa homines, motus authoritate eorum, quæ in Scriptura narrantur de antiquis Patriarchis, ut Abraham, Iſaac, & Jacob: negat vero circa alia omnia terreſtria ut bruta & plantas, quaſi vero vetus Teſtamentum frequenter non dicat hæc quoque facere Verbum Dei, & ab ejus nutu pendere. Contrario modo alii omnia terreſtria inanimata & irrationalia Dei Providentiæ ſubjiciunt: at hominem, ejuſque operationes ab illa eximunt, quia liber creatus eſt, quaſi vero cum iis, quæ in notione Providentiæ vidimus contineri, repugnaret ea, quæ importat notio creatæ libertatis a neceſſitate.

315. Quarto Malebranchius nolens potius quam volens negavit Providentiam Divinam circa ſingula tam in ordine Naturæ quam in ordine Gratiæ. Statuit enim ipſe, & integro libro, quem de Natura & Gratia inſcripſit, expoſuit, Deum in nullo ordine agere volendo in particulari ſingula, quæ accidunt, ſed ſolum volendo illa per voluntatem generalem, quæ ſcilicet termina-

(1) Pap. Sacra Authorum Critica tr. 2. §. 2. pag. 1481.
(2) Cud. de Nat. Genitrice poſt cap. 3. ſyſt. Intell. §. 5. pag. 155.
(3) Maim. cap. 17. par. 3.

minatur ad res ſingulas, quatenus ſunt juxta leges generales, quas ipſe ſibi ſtatuit in rerum creatione conſervatione & gubernatione ſervandas, niſi forte exceptis caſibus, in quibus miraculoſe quid operetur. Porro hæ leges generales pro ordine naturæ triplicis generis per ipſum ſunt. Primo ſunt illæ corporum, & has ſtatuit duas, motum per lineam rectam, & communicationem motus inter illa ſe collidentia pro ratione illorum maſſæ. Secundo ſunt leges Unionis animæ cum corpore, ex quibus præcipua eſt hæc, quod voluntas noſtra volens movere aliquam partem corporis aptam ad motum, Deus ſtatim illam moveat. Tertio ſunt leges, quas Deus ſibi ſtatuit ſervandas reſpectu intellectus & voluntatis creaturæ: Ac reſpectu quidem intellectus hanc docet intervenire legem, quod Deus ad deſideria animæ det intellectui ipſius hanc potius ideam, quam aliam: reſpectu autem voluntatis eſt, quod Deus fecerit illam inclinatam actu ad bonum generale, & ſolum reliquerit illam liberam ad ſe convertendam quodammodo, vel determinandam ad bonum particulare, cujus ipſe idem Deus dederit ideam juxta deſideria animæ ipſius ex dictis nuper. Loca, in quibus ſtatuit Malebranchius has leges, affert Arnaldus (1). Pro ordine tandem Gratiæ leges iſtæ ſunt unius tantum generis, nimirum quod Deus det gratiam ſuam, ſive operetur in nobis bonum & ſalutem noſtram juxta deſideria animæ Chriſti Domini eo modo, quo juxta deſideria animæ noſtræ operatur in nobis motus corporis noſtri. In qua ſententia planum eſt Deum non habere Providentiam ſingularum rerum. Qui diſtinctius retulerint, & impugnaverint varia circa Providentiam Dei errantium deliramenta, numerantur multi a Jo. Chriſtophoro Wolfio (2).

SECTIO II.

Argumenta pro propoſitione.

316. PRimo probatur propoſitio contra omnes, ſed maxime contra tres primas Adverſariorum claſſes. Deus res omnes

(1) Arn. Sur. le Nouveau Syſt. de la Nat. & Grac. lib. 1. cha. 9. pag. 174.

(2) Wolf. Manichæiſ. ſec. 3. num. 42. pag. 518.

omnes & ſingulas creavit: ergo eas etiam moderatur. Probatur conſequentia. Ideo Deus res omnes & ſingulas non moderaretur, & quidem immediate, vel quia Deus non eſſet ubique præſens: ſed Deus eſt immenſus, ut demonſtratur, ubi agitur de attributis Divinis, adeoque cum omnibus & in omnibus creaturis ſemper eſt, quod Hebraicum nomen Emmanuel ipſi impoſitum exprimit. Vel quia hoc dedeceret Deum: ſed *quis*, inquit S. Ambroſius (1) *deſerat, aut deſtituat, quod ipſe condendum putavit? Si injuria eſt regere, nonne major injuria eſt feciſſe; cum aliquid non feciſſe nulla injuſtitia ſit, non curare quod feceris, ſumma inclementia*. Vel quia ab hac cura defatigaretur: ſed Deus eſt impaſſibilis, utpote immutabilis. Vel quia non haberet omnia perſpecta: Sed ipſe eſt omnituens, cum juxta S. Dionyſium, ſive Auctorem libri *de Divinis Nominibus*, (2) *Deitas idem ſit, atque omnium conſpicax providentia*, cui conſonat Damaſcenus, qui, referente S. Thoma in expoſitione hujus libri & loci, quam illi vindicat Bernardus de Rubeis (3), *dicit, nomen theos, quod in Græco a theaſte, ideſt conſiderando omnia dicitur*. Vel quia nollet ex defectu Benevolentiæ: ſed ipſe eſt infinite bonus, & ad creandum omnia & ſingula adductus a Bonitate ſua, quod quoniam inferius oſtendam, non reticebo hic ea, quæ de Deo ſcripta ſunt, (4) *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti*, quod complectitur omnes ſine ulla exceptione creaturas. Et pro ſingulis hominibus eſt illud, (5) *Numquid oblivisci poteſt mulier infantem ſuum? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te*: ergo ſicuti Deus omnia & ſingula creavit, ita omnia etiam & ſingula moderatur. Similis argumentatio habetur etiam apud Platonem (6), Tullium (7), & recentius apud Pictetum (8),

II. Cum Leſſio (9) ſic arguitur. Mundus & creaturæ ſingulæ ipſum componentes ſubſiſtunt continuo cum eo ordine & harmonia, quæ ipſum reddunt admirabilem ex confeſſione etiam impio-

(1) S. Amb. de Offic. cap. 13.
(2) Dion. cap. 11. num. juxta verſion Corderii 2. pag. 866.
(3) Rub. de Scriptis S. Tho. Diſſ. 8. cap. 3. num. 2. pag. 93.
(4) Sap. 10. v. 25.
(5) Joa. 49. v. 15.
(6) Pla. de Legi. lib. 10. circ. med. pag. 154.
(7) Tul. de Nat. De. lib. 2. §. 77. pag. 311.
(8) Pic. Cont. l' indiffer. des Relig. ch. 4. pag. 38.
(9) Leſſ. de Prov. num. 105. pag. 653.

impiorum, ſpectatum quantum ad ſumma rerum capita, ut revolutionem cælorum, ſplendorem aſtrorum, conſtitutionem animalium, & ſimilia: ergo Deus ſingulis providet. Conſequentia probatur I. quia creaturarum continua ſubſiſtentia idem eſt, ac illarum conſervatio, quæ tota eſt a Deo, & ſine qua eſſe nequeunt creaturæ, ut ubi agitur de rerum conſervatione demonſtratur. Quod ſi in notione ſubſiſtentiæ creaturarum includamus etiam earum operationes, & de argumentis meminerimus, quibus evincitur, Deum phyſice & immediate ad ſingulas concurrere, nihil jam addi poteſt ad illius conſequentiæ evidentiam. II. quia, ſi ſtulte diceretur nullum eſſe, qui actu præſit familiæ, exercitui, regno, bene ordinatis, ſtultius id dicetur de tota hac rerum pulcherrima machina, ex infinitis quodammodo diverſis partibus, quæ continuis motibus agitantur, compoſita:

III. Sic arguitur. Habentur in Sacris Scripturis vaticinia rerum futurarum, quæ ſuo tempore in hac noſtra terra reipſa evenerunt: Multa de mutationibus regnorum: Multa de quibuſdam eventibus a libertate humana pendentibus: ergo Deus eſt omnium proviſor. Hoc argumentum pro dignitate exponit Leonardus Leſſius (1), & brevius Hugo Grotius (2), cui Clericus adjecit notationes vaticiniorum, de quibus ille meminerat.

317. IV. Non eſt diſſimulandum argumentum ex authoritate Philoſophorum ethnicorum, quod poteſt mentes incredulorum vehementer commovere. Plato (3), ut perſuadeat Dei providentiam extendi etiam ad minima, adhibet exempla deducta a bonis & expertis medicis, qui æque leves ac graves morbos curant: a patribus familias, quibus domeſtica quæque ſunt cordi: a gubernatoribus prudentibus, qui nihil quod ad civitatem pertinet, a ſe rejiciunt: a belli ducibus, qui ita omnia curant, ut vita ſint & anima exercitus. His ſimilia & multo plura habemus in duobus *de Providentia* libris a Plotino conſcriptis, quos S. Auguſtinus (4) laudavit, & Marſilius Ficinus copioſis commentariis illuſtravit (5). Ariſtoteles apud Lipſium inquit, (6) *Quod in*

(1) Le. Ibi. num. 126. & ſeq. pag. 658.
(2) Gro. de Rel. Chriſ. lib. 1. §. 17. pag. 73.
(3) Pla. de Leg. lib. 10.
(4) S. Aug. de Civit. lib. 10. cap. 14. col. 250.
(5) Fic. Oper. tom. 2. pag. 637.
(6) Lip. de Conſt. lib. 1. cap. 13.

in navi gubernator, in terra auriga, in choro præcentor, in urbe lex, in exercitu imperator, id in orbe Deus eſt, hoc tantum diſcrimine, quod illis quidem laborioſum eſt ſuum regimen, anxium & exercitum: Deo autem ſine labore & dolore, ſejunctumque ab omni corporis niſu. Tullius (1) partes Mundi ab initio a Deo conſtitutas continue adminiſtrari, & ſingulis conſulere demonſtrat. Seneca, (2) *nihil*, inquit, *Deo clauſum eſt; intereſt animis noſtris, & cogitationibus intervenit*: & alibi (3) *Quis credat ſine cuſtode tantum opus ſtare*. Hæc ſatis ex multis, quæ poſſunt congeri.

Hoc argumentum ſi urgere quis velit ex Patribus, & Theologis, quos ſaltem ut doctos homines, & probos habebunt Adverſarii, occurunt ſtatim multi, qui ex profeſſo Divinam Providentiam agnoverunt & prædicarunt. Inter Theologos videri poteſt Sanctus Thomas, qui tum in ſumma Theologiæ (4), tum in aliis ſuis ſcriptis copioſe illam propugnavit. Hunc cum nominaverim, jam innumeros citavi, qui commentaria in ipſum, vel in Magiſtrum Sententiarum ad diſtinctionem trigeſimam nonam libri primi ſcripſerunt. Inter Patres legantur, tum Chryſoſtomus in tribus libris ad Stagirium directis (5), & in homilia nona ad populum (6), & in ſex de Fato & Providentia ſermonibus (7), qui tamen inter dubia ejuſdem opera recenſentur: tum Theodoretus in libro ſexto de Curatione Infidelium, & in decem de Providentia ſermonibus (8): tum Cyrillus Hieroſolymitanus in Catecheſi octava (9): tum Paulinus Epiſcopus Nolanus in epiſtola juxta editionem Veronenſem decima ſexta ad Jovium ſcripta, qua non fato ac fortunæ, quibus multa Jovius tribuebat, ſed Divinæ Providentiæ omnia ſubjacere oſtendit: tum Salvianus in octo de Providentia libris, qui ſunt pars præcipua ipſius operum, quorum novam editionem cum concordantiis, quales habentur de Bibliis, protulit Demetrius Barbulius Piſauri anno 1729, tamquam præludium earum, quas in alios Pa-

(1) Tull. de Leg. lib. 2.
(2) Sen. epiſ. 54.
(3) Id. de Provi. cap. 1.
(4) S. Tho. 1. pa. qu. 22.
(5) Chry. ad Stag. Oper. tom. 1. ex Montfauc. pag. 154.
(6) Id. Oper. to. 2. pag. 56.
(7) Id. Ibid. pag. 751.
(8) The. pag. 1096. & 1145. ex edit 1608.
(9) Cyr. pag. 121. Edit. Toutte.

Digitized by Google

Patres meditabatur: tum Nemeſius in libro Philoſophiæ octavo, cujus in hac re tractanda rationem laudavit, & ſequutus eſt Petavius (1). Extant etiam in operibus S. Syneſii ab eodem Petavio magna ex parte e Græco in Latinum converſis, duo libri cum titulo *de Providentia*, ſed quoniam de illa minus aperte loquuntur, in horum numero non ponam. Omitto alios, qui multa obiter de eadem dixerunt, ut Cyrillum Alexandrinum (2), & Auguſtinum non ſolum loco ſupra (§. 314.) citato, ſed in aliis etiam (3), præcipue in duobus libris *de Ordine*, qui quantum pertineat ad Providentiam, declarat definitio ordinis, quam ipſe ſic ſtatuit, (4) *Ordo eſt, per quem aguntur omnia, quæ Deus conſtituit*. Qui per ſingula ordinatim ſæcula illos diſponeret, completum ex traditione argumentum proponeret.

317. Contra illos determinate, qui providentiam Deo concedunt de magnis, non vero de parvis, & minimis, imprimis occurrunt aperta Scripturæ teſtimonia in contrarium, quorum aliqua mox afferam, dicens contra Malebranchium. Deinde cum Picteto (5) ſic arguo. Omne, quod eſt extra Deum, reſpectu ipſius eſt pluſquam minimum; Nam nihil creatum & finitum habet ullam proportionem cum Deo ente increato & infinito: ergo ſi Deus non debet habere providentiam, niſi de illis, quæ extra ſe dicuntur magna, de nullis debet habere. Atqui ne per hos quidem adverſarios dici poteſt, Deum de nullis extra ſe habere providentiam: ergo neque poteſt dici habere ſolum de illis, quæ extra ſe dicuntur magna. Qui vero inter minima computant totam terram, ut a rebus humanis Dei providentiam prorſus removeant, refelluntur cum Segnerio (6), & Clarkio (7), quia quantumvis magnam concipiant amplitudinem univerſi, ita ut ſit ipſius infiniteſimum tota terra, nihilominus homines, qui hic ſumus præditi vi intellectiva, ſumus inter creaturas perfectiores. Igitur non ſumus quid minimum in genere creaturarum exiſtentium, omiſſis iis, quæ nos docet Fides de excellentia naturæ huma-

(1) Pet. de Deo. lib. 8. pag. 317.

(2) Cyr. Alex. lib. 5. cont. Julian.

(3) Aug. de lib. arb. lib. 3. num. 5. col. 611.

Id. de Civit. lib. 5. cap. 11. col. 126.

(4) Id. de Ord. lib. 1. num. 28. col. 326.

(5) Pict. Indiffer. def religi. cha. 55. pag. 67.

(6) Seg. Incred. par. 1. cap. 19. num. 14. pag. 41.

(7) Clar. A diſcou. of relig. Introd. pag. 20.

humanæ propter elevationem ad ipſam Divinam Beatitatem.

318. Contra Malebranchium determinate, I. ſic arguitur. Deum non velle ſingula extra ſe in particulari, repugnat Scripturæ, Traditioni, Senſui communi omnium in quacunque linea Scriptorum, & Rationi: ergo Deus habet providentiam de ſingulis, & in particulari ſingula vult modo, quo illi deceat, alia ſcilicet intentive, alia permiſſive. Totum antecedens luculente demonſtrat Arnaldus, qui videri maxime poteſt in libro primo ſuarum animadverſionum contra hoc novum Malebranchii ſyſtema de Natura & Gratia (1). Et quod pertinet ad primam ejus partem, ea manifeſta fiet ex Scripturis, quæ abundanter citantur ab Indice ad finem Bibliorum in Vulgata Editione collocari ſolito ad titulum, *Deus omnia regit & gubernat pro ſua voluntate*. Quibus addo hæc duo, quæ citata ibidem non video, alterum eſt, (2) *puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus*: Alterum vero, quod de Divina Sapientia poſt longum de illa ſermonem concluditur ſic, (3) *Attingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Sine particulari tamen mentione omitti non poteſt ſermo ille Chriſti Domini factus ad diſcipulos in monte, in quo ſuadet non debere eſſe ſollicitos ne de neceſſariis quidem ad vitam, quia (4) cum ipſe det eſcam volatilibus Cæli, & veſtiat fœnum ipſum agri, multo magis ea nobis largietur, quibus ſcit nos indigere, & alia vice profeſſus eſt, Deo curæ eſſe ipſos ad unum capillos capitis noſtri, (5) *Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt.*

II. Juxta Malebranchii doctrinam, quam alibi (6) etiam repetit, Providentia conſiſtit in his duobus, 1. in electione talium legum generalium, quæ connexæ eſſent cum paucioribus inordinationibus, cum liber eſſet ad eligendas, quæ cum pluribus connecterentur. 2. in eo quod Deus per miracula aliquando impediat aliquas inordinationes neceſſario conſequuturas ex illis legibus. Atqui primum importat tribuenda eſſe Deo opera aliqua inordinata: ſecundum vero fere omnes eventus non eſſe ex Voluntate Dei illos determinate volente: quorum utrunque

 eſt

(1) Arn. lib. 1. cha. 11. & ſuiv. a pag. 204.
(2) Sap. 6. 8.
(3) Sap. 8. 1.
(4) Matt. 6. v. 26.
(5) Matt. 10. v. 30.
(6) Mal. Med. Medit. Chret. 7.

eſt contra omnem Philoſophiam & Religionem, quæ hæc tamquam repugnantia ideæ Dei execratur: ergo.

SECTIO III.

Objectiones ex parte Dei.

319. PRimo objicit Epicurus apud Tullium. (1) Deus eſt beatiſſimus: ergo *nihil agit, nullis occupationibus eſt implicatus, nulla opera molitur; Nam ſi Mundum regat, ſi gubernet, ſi curſus aſtrorum, mutationes temporum, rerum viciſſitudines, ordineſque conſervet, terras & maria contemplans, hominum commoda vitamque tueatur, næ ille eſt implicatus moleſtis negotiis, & operoſis.*

Reſp. conc. antecedens & nego conſequam cum adjunctis rationibus, quæ involvunt plures ſuppoſitiones falſas. Altera eſt Beatitatem excludere omnem actionem, cum potius (2) *utatur,* inquit Tullius, *ſuis bonis oportet, & fruatur, qui beatus futurus eſt.* Altera eſt Deo laborandum eſſe, ſi Mundum gubernet, quod in mentem venire nequit niſi illi, qui vel aliud quid præter Deum, ut materiam, faciat ens a ſe; Nam ſi, ut demonſtratur, totus Mundus ſit a Deo dependens in eſſe & conſervari, ſicuti nullus illi labor in creando fuit, ita intelligitur ne eſſe quidem poſſe in gubernando: vel minus concipiat hujuſmodi terminos Creator & Creatura, & dum ſibi immenſum quid comparate ad ſe ipſum videt eſſe totam terram, & multo magis totam rerum univerſitatem, credat non poſſe dici quid parvum etiam comparate ad Deum. Stultiſſima enim vero cogitatio, a qua avertere poteſt illud, quod ſcriptum eſt, (3) *Tamquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani, quæ deſcendit in Terram.* Bene Seneca apud Danielem Bartoli (4) hos comparat formicis, quibus parva area videtur continere plures provincias diviſas inter ſe per totidem maria, quot ſunt diſperſæ per ipſam exiguæ lacunæ. Tertia eſt poſſe

(1) Tul. de Nat.Deor. lib.1. num.51. pag.181.

(2) Id. Ibid. num. 103. pag. 291.

(3) Sap. 11.

(4) Bart Ricrcat. delSavi.lib.2.cap.6. §. Torniancene pag. 365.

poſſe optimam & præſtantiſſimam naturam conſiſtere ſine bonitatis perfectione, & gratia, quod, ut ſæpe habetur apud Tullium, (1) *tollit id quod illi maxime proprium eſt. Quod enim eſt melius, aut quid præſtantius bonitate & beneficentia?*

320. II. Objicit idem. Ideo Providentia tribuenda eſt Deo, quia dari debet locus pietati & Religioni: Sed illa etiam ſublata reſtat locus pietati & Religioni propter eximiam naturam Dei: ergo.

Reſp. permitto maj. Nititur enim in ea demonſtratio quidem aliqua Providentiæ, moralis tamen tantummodo, quæ non eſt potior demonſtrationibus a priori jam allatis, & proinde nequit abſolute concedi, utpote inadæquata propoſitio: ſed *nego min.* (2) *An quicquam*, inquit Tullius, *eximium poteſt eſſe in ea natura, quæ nihil nec actura ſit, neque agat, neque egerit? Quæ porro pietas ei debetur, a quo nihil acceperis? aut quid omnino, cujus nullum meritum ſit, ei deberi poteſt?*

III. Objicitur. Non eſt majeſtatis Principis implicare ſe in negotiis minimis: ergo neque eſt majeſtatis Dei moderari etiam res minimas.

Reſp. permitto antecedens, & nego conſeqam. Diſparitas eſt, quia limitata eſt principis terreni præſentia, potentia, & ſapientia, quæ dotes, ſi occupentur in parvis, deficiant in magnis neceſſe eſt. At Dei infinita eſt tum præſentia, tum potentia, tum ſapientia. Rurſus Princeps non eſt cauſa effectrix & conſervatrix omnium, quæ ſuo dominio ſubſunt; At Deus eſt talis cauſa. Quare ſicuti Solem cauſam univerſalem illuminationis non dicimus humiliorem fieri, quia humilia etiam loca illuſtrat, ita ne ſuſpicari quidem debemus Deum derogare ſuæ magnitudini, quia de minimis etiam curat. Tandem reſpectu principis terreni dantur revera magna & minima, & ea præcipue inter magna reputantur, quæ ipſi magis utilia ſunt, utpote fontes ſuæ potentiæ & opum: At reſpectu Dei nihil extra ipſum cum ſit magnum, & nihil utile, de nullis extra ſe, ſi exemplum valeret, Deus haberet providentiam ex dictis (§. 317.). Bene Moshemius contra Cudvvorthi ſimilem objectio-

(1) Tul. Ibi. num. 121. pag. 154. Et ib. 2. num. 76. pag. 311.

(2) Tull. de Nat. Deor. lib. 1. num. 116. pag. 293.

ctionem dicit, (1) *Num hominis eſt ratione utentis ea, quæ in hominibus infirmitatis, calamitatis, vitiorum nonnunquam teſtimonia ſunt, regulæ inſtar adſciſcere, ex qua Dei gloria & majeſtas metienda ſit?*

Antecedens permittitur, non vero conceditur, quia ſi, dum dicitur Principi non convenire, implicare ſe in negotiis minimis, intelligatur illum non debere eſſe ſollicitum de minimis ſeu bonis ſeu malis, etiamſi probe illi nota ſint, falſum dici noverant etiam Ethnici Philoſophi, ut Cotta, qui apud Tullium Stoicis ſimile quid objicientibus reponit, (2) *Quod eſt ſimile? Reges enim ſi ſcientes prætermittant, magna culpa eſt: At Deo ne excuſatio quidem eſt inſcientiæ.* Quin immo rogat Leſſius, (3) *Quis ſit Principum, qui non curet quomodo ſubditi in ſua præſentia & conſpectu ſe gerant, quid dicant, quid agant, an leges ſervent an violent, honorem an contumeliam ingerant:* & erit, qui putet Deum in cujus præſentia omnia geruntur, dictis factis & cogitatis hominum non tangi?

321. Inſtant I. Longe major eſt diſtantia inter homines & Deum, ac inter muſcas, formicas, inſecta, & Regem: (4) *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei.* Sed ex eo quod inter inſecta & Regem tanta detur diſtantia, Rex laudabiliter non curat illorum inſectorum motus & operationes: ergo ex eo, quod tanto major, quin immo infinita diſtantia detur inter Deum & homines, Deus laudabiliter poteſt non curare homines, eorumque operationes.

Reſp. con. maj. & diſt. min. Non curat Rex laudabiliter inſecta illa præciſe ex ratione allata, *nego min.* non curat ex ea ratione, prout præſupponit has alias præterea, ſcilicet Regem non creaſſe illa, nec leges illis dediſſe, nec ipſum eſſe niſi limitatæ intelligentiæ & virtutis, *conc. min. & nego conſeqam.* Diſtinctio continet evidentem diſparilitatem inter Regem illum non curantem inſecta, & Deum curantem homines, & omnes creaturas quaſcunque.

In-

(1) Moſ. in notis ad Cudv. de Natura genitri. §. 4. pag. 154.

(2) Tull. de Nat. Deor. lib. 3. num. 50. pag. 348.

(3) Leſſ. de Provid. lib. 1. an. 174. pag. 676.

(4) Iſa. cap. 40. v. 17.

Inſtant II. Apoſtolus negat Deum habere curam de bobus, (1) *Numquid de bobus cura eſt Deo?* adeoque a pari negat hoc de quibuſvis jumentis, & a fortiori de inſectis.

Reſp. diſt. aſſumptum, negat de bobus illam curam, quam habet de nobis, quos dirigit etiam in vitam æternam, *concedo*: negat omnem curam etiam, quæ pertinet ad illorum conſervationem, *nego*. Neque enim diſcipulus contradicit Magiſtro ſuo, Chriſto Domino, cujus ſunt illa, (2) *Reſpicite volatilia Cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter Cœleſtis paſcit illa.*

Inſtant III. S. Hieronymus dicit, (3) *Abſurdum eſt ad hoc Dei deducere majeſtatem, ut ſciat per momenta ſingula, quot naſcantur culices, quotve moriantur: quanti piſces in aqua natent, & qui de minoribus majorum prædæ cedere debeant.*

Reſp. Cum Auctore notæ, quæ in hunc locum habetur in editione Veronenſi, ſeu Vallarſii, operum hujus S. Doctoris: *Nemo hunc Hieronymi locum aut erroris non arguit, aut non nititur ſaniorem in ſenſum interpretari. Nobis univerſum contextum attendentibus ſuiſmet verbis purgari S. Doctorem poſſe ab erroris ſuſpicione perſuaſum eſt; neque enim ſimpliciter Dei providentiam ad minima quæque deduci negat, ſed eamdem rationabilium, quam irrationabilium providentiam eſſe*, quæ ſunt verba ipſius S. Doctoris, quæ paulo poſt ſubjiciuntur. Addo ex Magiſtro ſententiarum aliam explicationem, quam eruit ex iiſdem objectis verbis, ſcilicet non eſſe Deo tribuendam providentiam, quæ (4) *per diverſa temporum momenta cognoſcat, ſicut per varia momenta quædam deficiunt, quædam incipiunt*. Aliam rurſus non omittam, quam Eſtius cum aliis tribuit, hæc a S. Hieronymo (5) *ex aliorum opinione ſcribi, quod ſibi in commentariis eſſe non infrequens, ipſe fatetur*. Eſt tandem alia, quæ Boucatio (6) viſa eſt non improbabilis, quod nolit S. Doctor, demonſtrari Providentiam apud puſillos per vermes & culices, & viliores creaturas.

322. IV. Objicitur. Si Providentia Dei ſe extendit ad ſingula,

(1) I. Ad Corinth.
(2) Matt. 6.
(3) S. Hie. in Habac. cap. 1. Oper. tom. 6. col. 60.
(4) Mag. lib. 1. diſt. 35.
(5) Eſt. in 1. diſt. 39. §. 10. ad 4. pag. 122.
(6) Bouc. de Volunt. Dei. Diſſ. 2. art. 1. pag. 56.

gula, impius eſt, qui in cauſis civilibus recurrit ad teſtes, rationes, & methodum conſuetam judiciorum, ſed debet recurrere ad ſortes; Nam Deus curans ſingula non ſuffragabitur alteri non habenti jus. Impii ſimiliter ſunt, qui in cauſis criminalibus alias vias tenent, quam Duellum; Nam ob eamdem cauſam debent pro certo habere Deum, qui juſtus eſt, & habet de ſingulis providentiam, non poſſe favere parti iniquæ. Atqui homines non ſunt impii agentes per ſolitas judiciorum methodos ſuas lites civiles, & criminales, nec recurrentes ad ſortes & duellum: ergo Providentia Dei non ſe extendit ad ſingula.

Reſp. nego maj. Nam imprimis Divina Providentia ſe extendit ad ſingula, modo tamen non aperto, ut ſupponit objectio dici ab illis, qui Catholice illam venerantur, ſed occulto & nobis inſcrutabili; Nam debet relinqui locus Fidei. Rurſus certum eſt imperari apertiſſime in Scripturis, ut ſequamur vias illas in judiciis, & abſtineamus a duello. Hæc igitur duo non ſunt, neque poſſunt eſſe connexa, Deus habet de ſingulis Providentiam: ergo Deus favebit mihi in ſortibus, & duello, quia pro me ſtat jus. Malebranchius hanc objectionem antiquam, tamquam novam ſententiæ ſuæ demonſtrationem, quam hic tandem pluſquam aperte agnovit excludere Providentiam Dei ad ſingula, renovavit ſimul cum aliis, quæ videri poſſunt radicitus evulſæ ab Arnaldo (1), ad quem confidenter eas direxit in ſua reſponſione ad ipſius librum de veris & falſis ideis, eumdem provocans ad ipſarum vim ſi fieri poſſet convellendam. Omitto alias objectiones ductas ex iis, quæ afferuntur contra Dei immenſitatem, ac cognitionem etiam eorum, quæ nobis libera ſunt, quia hæc ibi diſſolvuntur, ubi in particulari de hujuſmodi attributis agitur.

SECTIO IV.

Objectiones ex parte Mundi.

323. PRimo Objicitur. In Univerſo hoc rerum creatarum ſyſtemate tum phyſico, tum morali multa ſunt, quæ abhor-

(1) Arn. Sur le nouve. Syſt. lib. 1. cha. 25. & 26. pag. 483.

abhorrent a Sapientia, Sanctitate, Juſtitia, & Bonitate Dei: ergo ſi Deo tribuatur rerum omnium & ſingularum gubernatio ſequitur, Deum accuſandum vel ignorantiæ, vel injuſtitiæ, vel malevolentiæ, vel impotentiæ: ergo.

Reſp. nego antecedens, pro quo ſuadendo arguitur ab Adverſariis tum ex malis metaphyſicis, tum ex phyſicis, tum ex moralibus, quæ ſunt in hac terra: præſertim ex miſeriis, quæ bonos, & felicitate, quæ malos plerunque in hac vita comitantur. Sed his ſupra (§. 155.) jam ſatis reſponſum eſt, quibus iterum meminero vitam præſentem datam eſſe ad comparandam felicitatem ſempiternam. Hac habita præ oculis providentia, reſpiciente ſtatum noſtrum futurum, quam dicunt ſupernaturalem, ceſſat, inquit Suarez (1), admiratio in hac re, quæ aliter inter myſteria occulta Divinæ Sapientiæ computabitur. Ceteris ejuſdem generis argumentis cum alibi (2) ſatisfecerim, hic tantum moneam contra ſimiles objectiones, quæ diverſis modis, qua generalibus, qua particularibus, proponi poſſunt, valere hanc generalem reſponſionem, neminem niſi temere poſſe accuſare artificem alicujus ſyſtematis, tamquam in eo condendo peccaverit, niſi illud comprehendat, quod certe in nullum hominum cadit.

Syſtema enim Univerſi incomprehenſibile nobis eſſe cum Hooke (3) oſtenditur.

I. Quia certi ſumus nullius nos ſubſtantiæ, quæ Univerſum componunt, ullam habere ideam adæquatam, ne illius quidem materiæ & ſpiritus, quibus nos ipſi conſtamus: ergo ſicuti ſine cognitione, quæ pertingat naturam rerum, quæ aliquod ſyſtema componunt, non poteſt inſtitui bona ipſius adminiſtratio; bona enim non eſt, quæ non ſit attemperata rerum naturis, ita ne judicare quidem de hac ipſa poſſumus adminiſtratione.

II. Quia ſyſtema Univerſi eſt opus Sapientiæ Divinæ, quæ infinita eſt, cujus proinde proprium eſt ſuperare omnem ſagacitatem creatam. Quare ſicuti artificium humanum juxta regulas artis accurate elaboratum laudatur ab iis, qui illud cognoſcant,

(1) Sua. de Deo lib. 3. cap. 10. num. 14. pag. 157.

(2) De Malo. præſertim §. 74. pag. 226.

(3) Hook. Princ. Relig. nat. & Rev. tom. 1. par. 1, art. 2. pag. 340.

nec ceſſat eſſe perfectum, etſi quis rudis & inſipiens temere cenſeat in aliquibus peccare, ita ſyſtema Univerſi, quam Sapiens Sanctum, Bonum, Juſtum ſit, intelligit, qui majorem habeat nobis mortalibus intelligentiam. Qui illud vituperent in aliqua ſui parte, comparat S. Auguſtinus homini, qui (1) *tam minutum cernens, ut nihil ultra unius teſſellæ modulum acies ejus valeat ambire, vituperat vermiculati pavimenti artificem, velut ordinationis & compoſitionis ignarum, eo quod emblemata in unius pulchritudinis faciem congruentia ſimul cerni colluſtrarique non poſſint*. Bene etiam Pictetus (2) fabricam Univerſi aſſimilat libro doctiſſime ſcripto, & ſingulas ejus partes, atque phænomena characteribus librum illum componentibus. Atque ſicuti characteres non jam ſeparatim conſiderati, ſed prout inter ſe connexi ſunt, ſenſum ſuum, qui admiretur, præſeferunt, ita phænomena Mundi, non ſeorſim ſed conjunctim inſpecta, produnt Divinum Authorem. At mutuam hanc connexionem certe in hac vita naturaliter videre ſatis non poſſumus, ſed expectandum eſt, dum illa in altera nobis reveletur, ubi certe in admirationem rapiemur Divinæ in omnibus Sapientiæ & Juſtitiæ.

III. Quia Mundus eſt machina, cujus paucæ illæ partes, quas poſſumus apprehendere, manifeſtant mutuam inter ſe connexionem, & jure credere poſſumus, ab ejus Authore connexas etiam eſſe inter ſe ipſius partes omnes per eam æternitatem, quam tempus labendo perpetuo explicabit. Quare ut de hoc ſyſtemate judicare poſſemus, opus eſſet cognitione complectente omnia tempora, omnia entia, omnes eventus, quæ ſolius Dei propria eſt. Profecto unuſquiſque conſcius ſibi eſt non ſolum infinitam hanc cognitionem in ſe non eſſe, ſed ne illam quidem, quæ ad ſuimet ſtatum pertinet; Nam certi quidem ſumus ex Fide Catholica, non prius partem nos fuiſſe hujus Mundi, quam geniti fuimus: Sepoſita autem revelatione ne hoc quidem ſciremus, cum extiterint ex primariis Philoſophis, qui ſtatuerunt nos olim meliori in ſtatu vixiſſe, & huc detruſos eſſe in pœnam peccatorum, quæ in præcedenti ſtatu admiſimus. Certi rurſus ſumus a Fide, nos ſemel natos, ſemel etiam morituros, ſed quantum

(1) S. Aug. de Ord. lib. 1. num. 2. col. 316.

(2) Pic. Indiff. des relig. cha. 4. pag. 46.

tum ad corpus, non vero quantum ad animam, quæ non ſolum immortalis eſt, ſed capax beatitatis, vel calamitatis ſempiternæ, prout in hac vita officia nobis præſcripta in Deum & proximos & nos ipſos fuerint a nobis impleta vel neglecta. Proinde qui Divinam Providentiam conſideret, prout complectitur præſentis vitæ tempus, & æternitatem futuræ, ſtatim intelliget temerarios prorſus eſſe, qui de illa judicant reſpicientes ſolum quædam phænomena, quæ ad tempus referuntur, & conducentiam ad finem aliquem expetibilem non manifeſtant. Sed etiamſi hæc ſolum ſibi quis objiciat, nihilominus qui conſcius eſt imbecillitatis mentis ſuæ, ea pariter ad optimum finem credet a Deo proviſore directa eſſe ſapientiſſime, quandoquidem alia multa ſic diſpoſita eſſe intuetur. Atque ut exemplo nuper allato inſiſtam, quoniam ſyſtema hujus Mundi comparari poteſt pluribus unius ejuſdemque auctoris libris, quorum aliqui ſcripti ſunt lingua vulgo nota, alii ea, quæ paucis ſolum eruditis cognita eſt, quemadmodum, ſi illos, quos intelligimus, legentes admiramur tamquam ſapienter expoſitos, credimus etiam alios, quos legere non poſſumus eſſe ſapienter cogitatos: ita cum in multis hujus Mundi phænomenis fateamur, Deum ſe prodere ſapientiſſimum, niſi prorſus iniqui erga Deum ſimus, credamus oportet, talem revera eſſe in iis etiam, quorum utilitatem, & finem nondum intelligimus.

IV. Quia ſi Mundus hic non eſſet incomprehenſibilis, minus eſſet nobis accomodatus, qui conſcii ſumus & habere mentem ſatis limitatam in cognoſcendo, ut proinde admiremur magis, quæ minus intelligimus: & habere libertatem indifferentiæ ad vitam in virtute vel vitiis traducendam, quæ non haberet amplius locum, ſi virtutem ſemper felicitas, & vitium miſeria comitaretur: & habere deſtinationem ad Beatitudinem ſupernaturalem, quæ reſpondeat meritis, quæ ab ipſa Fide ſuccum quodammodo trahunt ad ſui augmentum.

324. II. Objic. Is eſt rerum in Mundo curſus, ut qui aſtutius res novit ad ſuam fingere utilitatem: qui pecuniarum vim magnam & nervum belli conquirere & cumulare: qui numeroſiore milite, majori copia apparatus, annonæ, armorum ſeſe inſtruere

ſciverit, ille hoc ipſo & bellis & fortuna potior ſit: ergo Deus non curat res humanas atque terreſtres.

Reſp. diſt. antec. Eo modo ſe habent res hujus Mundi, quando Deus ſic velit, aut permittat ex ſibi notis rationibus, *conc. antec.* ſecus *nego antec. & conſeqam*. Conditionem propoſitam neceſſariam eſſe ad veritatem antecedentis evidens eſt, & ſuadetur etiam, quia conatus omnes creaturarum irriti ſunt, niſi Deus cœptis adſpiret. Nonne vita hominum, & affectiones animæ ipſorum ab ipſo omnino dependent? Nonne peſtis aut fames invadens regionem aut exercitum, mors ducum in medio prælii, animi militum improviſo pavore correpti ſæpius quævis conſilia diſturbarunt, & diſſiparunt?

III. Objicitur. Si omnia eſſent ex Divina Providentia, non acciderent quotidie tot phænomena, quorum nulla utilitas: Sed hæc accidunt, ut cum pluvia decidit ſupra arenas, aut ſupra vias, aut ſupra mare, dum interea non cadit ſupra ſata: ergo.

Reſp. conc. maj. & nego minorem, quam exempla adducta non concludunt, 1. quia male infertur nullam eſſe utilitatem in aliquibus effectibus ex eo, quod illam nos non cognoſcamus. 2. quia determinate loquendo de exemplo pluviæ objecto, perperam ſupponitur, illam unice deſtinatam eſſe in alimentum plantarum & ſeminum. Nam pluvia utiliter cadit etiam in vias, quia aliter nimis arefactæ rimas facerent, & paulatim diſſolverentur, vel pulvere redundarent cum incommodo viatorum. Cadunt etiam in loca non ſata, quia fontes debent ali & conſervari. Cadunt ſupra mare, quia vel ſalſedinem temperare debent, vel alio modo utiles eſſe ad incolarum piſcium, & aliarum rerum, quæ in mari ſint, conſervationem. Cadunt denique tum in hæc, tum in alia loca, quæ illis non indigent, & etiam illis noceant, quia cum Deus velit credi a nobis ipſius Providentiam ad meritum noſtrum, neceſſe eſt ut illam nobis nolit eſſe evidentem; Nam Fides non eſt de evidentibus. Hæ utilitates manifeſtæ ſunt, aliæ multæ eſſe poſſunt nobis incognitæ. Videri poteſt S. Auguſtinus (1) ſimili modo retundens antiquam hanc objectionem ex pluvia deſumptam. Malebranchius novam quam-

(4) S.Aug. in Pſal.148. num. 10. col. 1675.

quamdam explicationem huic aliiſque ſimilibus objectionibus dedit juxta ſuum ſyſtema (§. 315.), in quo negat Deum habere in his & ſimilibus voluntatem ullam particularem. Sed hæc explicatio eſt abſurda, & contraria S. Scripturæ, ex qua habemus, (1) *quod ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum faciunt verbum ejus, nec illud prætereunt*. Ejuſdem falſitatem pluribus oppugnat Arnaldus (2) in ſuis contra hoc Malebranchii commentum reflexionibus.

325. IV. Objicitur. Si Deus omnibus & ſingulis provideret, non deſtrueret ex improviſo id, quod jam perfecit, vel pene perfecit, ut cum jam jam maturam meſſem ſubita tempeſtate proſternit, aut malignis vaporibus corrumpit, vel terræmotu, inundatione, peſtilentia, incendio florentibus civitatibus horribilem infert vaſtitatem. Nam ſi homo, qui domum, vel aliud opus evertat, cum primum conſtruxit, oſtendit vel levitatem animi vel ignorantiam: ergo etiam Deus ſimiliter accuſaretur, ſi illi tribueretur ſimilis deſtructio rerum poſt illarum jam perfectam conſtructionem.

Reſp. Cum Arnaldo (3) impugnante ſimile argumentum propoſitum a Malebranchio, *nego maj. & probationem*, cujus retorſio patefacit ipſius falſitatem, & eſt hujuſmodi. Si homo prudens & ſciens poteſt cum laude ex juſtis rationibus deſtruere id, quod antea conſtruxit, & nolle jam, quod antea voluit: ergo a fortiori Deus ſapientiſſimus id poteſt. Da hominem educatum in ſylvis cum Brutis, qui urbem primo ingrediatur, in qua quia videt hic everti domum, & deinde iterum eamdem ædificari, hodie in pratis ſtudioſe paſci gregem, cras vero eumdem mactari, hominem paulo ante incomptum, mox magnifice habitu magiſtratus indutum, cenſeat ſe inter leves & ſtultos homines verſari, nonne ſtultus ipſe idem eſt, qui ita cenſeat? quo certe modo non faceret, ſiquas vident alii cives rationes, ipſe quoque videret. Ita pariter minus ſanæ mentis eſt quicunque ignarus rationum Providentiæ, audet ex iis, quæ videt, quicquam minus illi conveniens inferre. De multis quidem innoteſcit nobis

(1) Eccli. cap. 39.

(2) Arn. lib. 1. ſur le ſyſt. cha. 2. num. 4. pag. 64.

(3) Arn. Sur le nouv. Syſt. lib. 1. cha. 2. num. 2. pag. 48.

bis aliqua ſaltem ratio illarum deſtructionis, ut cum lupus devorat ovem, & ovis herbas, quia ſcilicet una ex his creaturis eſt a Deo propter aliam, & ut ajunt corruptio unius eſt generatio alterius, utraque intenta a Creatore & Conſervatore Mundi ad ipſius pulchritudinem, cui hæ quoque viciſſitudines conferunt. De multis autem ignoramus in particulari, quænam ſit hæc ratio, ſed in genere novimus, ut bene exponit S. Auguſtinus (1), Deum omnia moderari tam ſapienter, ut ſi nobis repræſentaretur tota harmonia ipſius gubernationis, non minus admiraremur hæc omnia, quam qui Muſicis delectatur, admiretur aptam diſpoſitionem variarum notarum, ſeu tonorum, quorum alii aliis diſſimiles neceſſe eſt ſint. Quod vero pertinet ad vaſtitatem aliquorum locorum per inundationes, peſtilentias, & ſimilia tantum abeſt, ut ex his inferatur abeſſe Dei Providentiam, quin potius novum in iis argumentum pro illa habeatur, ut notat Pictetus (2); Nam obſervantur ea procedere uſque ad certos terminos, & non ultra, quos niſi Divina Providentia ſtatueret, attenta illorum indole non haberent, & brevi totam terram deſtruerent.

PRO-

(1) S. Aug. epiſ. nunc. 166. ad Hieron. num. 13. col. 585.

(2) Pic. cont. l' Indiffe. des Relig. cha. 4. pag. 52.

PROPOSITIO IX.

Finis creationis Mundi per modum cauſſæ vel realiter, vel per modum noſtrum cogitandi diſtinctæ a Deo, ſive ut ajunt Finis cujus, *per quem motus fuerit Deus ad hanc creationem nullus eſſe poteſt: per modum vero rationis, qua modo noſtro intelligendi illam voluit, ſive* Finis quia, *eſt Divina Bonitas: finis autem per modum termini, ad quem ordinata eſt Mundi creatio, ſive* finis cui, *ſi ſermo ſit de fine cui omnium ultimo, eſt Gloria Dei: ſi autem ſermo ſit de fine cui non ultimo, ſed immediato, totius quidem terræ cum omnibus, quæ in illa ſunt brutis animalibus, & aliis ſpecie diverſis corporibus, non vero aliorum corporum cæleſtium, eſt homo: ſingularum vero partium Mundi immediatus finis cui eſt ille, ad quem deſtinatæ immediate fuerunt a ſuo Creatore, qui in multis clare ſe manifeſtat.*

326. PRopoſitio præſefert hoc nomen finis adhiberi in multiplici ſenſu. Et primo pro motivo acquirendi aliquod bonum, & definitur a Polmanno, (1) *id, cujus obtinendi gratia eligitur medium*: Hinc dicitur *finis cujus*: aliter & communius cauſa dicitur finalis, quia revera participat rationem cauſæ, quæ importat influxum in exiſtentiam alterius; Nam ut ait Suarez, (2) etſi hic finis ſit ultimus in exequutione, eſt tamen primus in intentione, in qua, hoc eſt in mente, habet eſſe reale, & vere & realiter movet agens ad agendum: immo in moralibus ita hic finis habet rationem cauſſæ, ut ei conveniat eodem Suarez obſervante (3) primatum ſupra ipſas cauſſas phyſicas, quæ ex illo ſumunt quaſi primam rationem producendi. In quo ſenſu Socrates apud Platonem (2) dixit, ſolum finem nomen cauſſæ mereri. Rurſus finis uſurpatur pro ea ratione aliquid volendi, quæ nomen finis habet, quatenus eſt aliquod bonum per ſe appetibile, ſed præſcindit ab eo, quod hoc bonum poſſideatur vel deſi-

(1) Polm. Breviar. theolog. 1. 2. num. num. 3. pag. 245.
7. pag. 81. (3) Id. Ibid. num. 8. pag. 246.
(2) Suar. Metaph. diſp. 12. ſec. 3. (4) Plat. Phædo.

deſideretur : atque hunc equidem dico *finem quia*. Præterea finis uſurpatur pro ſubjecto, cui volumus aliquod ſive bonum ſive malum: atque hic dicitur *finis cui*. Hunc ipſa propoſitio palam facit dividi in finem ultimum & non ultimum, quæ tamen diviſio non eſt ita propria *finis cui*, ut non cadat etiam in alia finis membra. Præterea finis dicitur etiam id, quod alicui volumus: atque hic appellatur *finis qui*. Tandem finis dicitur poſſeſſio boni, quod intendebatur, atque hic audit *finis quo*. Partes ſex, quibus conſtat propoſitio, ſingillatim jam declaro, & oſtendo.

SECTIO I.

Finis creationis Mundi per modum cauſæ a Deo, vel realiter vel per modum noſtrum cogitandi diſtinctæ, nullus eſſe poteſt.

ARTICULUS I.

De iis qui huic propoſitioni adverſantur.

327. Sunt primo aliqui, qui bonitatem objectivam creaturarum, & quidem omnium poſſibilium optimam ſtatuunt motivum, quod Deum determinavit ad rerum creationem, contra quos ſuperius dictum eſt.

Secundo eſt Malebranchius, qui in ſuo tractatu *de Natura & Gratia* (1), & in ſuis Dialogis Metaphyſicis (2), docet Deum motum eſſe ad creandum hunc Mundum ex honore, quo ipſe affici ex tali creatione potuit, non quidem ſumendo creationem Mundi dumtaxat, ut eſt congeries creaturarum, ſed ut complectitur Unionem Verbi Divini cum natura humana: de qua bonitate Mundi objectiva Deus ſibi complacuit, quemadmodum artifex de idea operis alicujus a ſe excogitati ſibi complacet, & intrinſecus gratulatur. Sic ipſe idem compendioſe ſe explicat: (3) *Invenit Deus in bonitate, quam includit idea hujus Mundi moti-*

(1) Mal. diſc. 1. num. 1. & 3. pag. 2. pag. 347.
(2) Id. Entr. 9. ſur la Metaphy. 2. (3) Id. Ibi. pag. 361.

motivum creandi illum, quia hæc bonitas ipſi bonorifica eſt, & exprimit perfectiones ſuas, quas gloriæ ſibi ducit, & quas gaudet ſe habere. Alias ſimiles expreſſiones ex illo erutas dabit Arnaldus (1), qui copioſe illum de hac doctrina redarguit. Hooke (2) tamen affirmat calumniam in hoc impingi Malebranchio. Et certe poſſunt ex iiſdem etiam Dialogis Metaphyſicis proferri talia (3), quæ oſtendunt, Malebranchium non obſcure docuiſſe tum primam, tum ſecundam hujus propoſitionis partem, ſcilicet quærendam non eſſe extra Deum rationem, quare Deus Mundum creaverit, & quando quis aliquam vellet proferre, dicendum quod omnia Deus creaverit ratione ſuæ Bonitatis, de qua ipſe neceſſario gaudet, quod gaudium ipſe modo vocat Gloriam Dei per quemdam hujus nominis abuſum; Nam ut ait S. Thomas, (4) *proprie per nomen gloriæ deſignatur, quod bonum alicujus deveniat in multorum notitiam & approbationem*: modo vero vocat Gloriam primam, ut illam diſtinguat ab illa, quæ conſiſtit in laudibus creaturarum. Sed quoniam hæc non faciunt, ut ea etiam ſuperius memorata ille non dixerit, & quidem fuſe & ex profeſſo, ideo concluditur illum ſibi non cohærere.

III. Sunt illi, qui cum dicant finem creationis apud Deum fuiſſe ſuammet Gloriam, aſſumpti ſunt ab aliquibus loqui de fine non per modum termini, ſed per modum cauſſæ moventis, in qua ſuppoſitione illos vehementer poſt Guillelmum Kingium (5) impugnat Bayles tomo ſecundo Reſponſionum ad quæſtiones hominis ex Provincia apud Trevoltianos (6).

IV. Eſt ipſe Kingius jure, ex hac cauſa impugnatus a Jo. Chriſtophoro Wolfio (6), qui putat Deum prævia per noſtrum modum cogitandi cognitione ſolius poſſibilitatis Mundi, motum fuiſſe ad illum creandum, ut eſſet aliquid extra ſe, in quo ſibi placeret, non quidem quia Mundum creabilem viderit eſſe ſibi bonum, quod eſt impoſſibile reſpectu Dei ſibi ſufficientiſſimi, & de ſe beatiſſimi, neque quod viderit illum eſſe bonum in ſe;

 Nam

(1) Arn. Reflex. ſur le ſyſtem. de la Nat. lib. 2. cha. 2. & ſeq.

(2) Hoo. Princ. Relig. tom. 1. par. 1. ſec. 3. art. 3. pag. 386.

(3) Mal. Entr. 9. ſur la Metaphy- pag. 342.

(4) S.Th. 2. 2. qu. 132. art. 10. pag. 316.

(5) King. de Origine mali.

(6) Memoir. de Trev. ann. 1706. art. 57. pag. 768.

(7) Wolf. Manich. ſec. 3. num. 30. pag. 451.

Nam tenet nihil creabile eſſe bonum aut malum ante Divinam electionem, & per eam ſolum fieri bonum, per contrariam vero determinationem fieri malum: ſed quia vidit, accedente ſua determinatione extrahendi Mundum a ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum exiſtentiæ, illum fore bonum.

ARTICULUS II.

Argumenta pro poſita theſi.

328. Arguitur primo pro utraque ipſius parte, ſcilicet nullum potuiſſe eſſe in Deo finem creationis per modum cauſæ vel realiter vel per rationem noſtram ab ipſo diſtinctæ. Si Deus habere potuiſſet vel realiter vel per modum noſtrum cogitandi finem creationis Mundi per modum cauſæ, jam non repugnaret dicere Deum vel realiter vel per modum noſtrum cogitandi caruiſſe aliquo bono; nam notio finis per modum cauſæ importat carentiam alicujus boni, quod appetitur: Sed hoc omnino repugnat; Deus enim eſt in ſe omne bonum, & ne cogitari quidem poteſt ſine contradictione ut carens aliquo bono: ergo.

Pro prima autem parte ſic etiam I. arguitur. Impoſſibile eſt Deum non eſſe ens independens ab omni re ſibi extrinſeca: ergo impoſſibile eſt Deum habuiſſe pro fine creationis Mundi per modum cauſæ, aliquid a ſe realiter diſtinctum. Conſequentia eſt legitima, ſiquidem ſi Deus motus & determinatus eſſet ad creationem Mundi ab aliquo ſibi extrinſeco, jam ab illo aliquo modo dependeret. II. Ante Mundi creationem nihil extra Deum realiter extitit: ergo nihil in Deum per modum ullius cauſæ agere ullo modo potuit. III. Siquid Deo extrinſecum movere illum potuiſſet ad Mundi creationem, eſſet bonitas objectiva ipſius Mundi, ſive abſoluta ipſius poſſibilitas: Sed hoc non poteſt dici; Nam repugnat bonitatem rei extra Deum poſſibilis eſſe finem ejus, qui eſt omnium finis, præter alias rationes ſupra (§. 173.) una cum hac expoſitas: ergo,

IV. Probatur authoritate S. Auguſtini. Ille Manichæis interro-

terrogantibus : (1) *Quid placuit Deo facere Cœlum & Terram? Cauſas*, inquit, *voluntatis Dei ſcire quærunt, cum voluntas Dei omnium, quæ ſunt, ipſa ſit cauſa : ſi enim habet cauſam Voluntas Dei, eſt aliquid quod antecedat Voluntatem Dei, quod nefas eſt credere. Qui ergo dicit, quare fecit Deus Cœlum & Terram? Reſpondendum eſt ei, quia voluit; Voluntas enim Dei cauſa eſt Cœli & Terræ, & ideo major eſt Voluntas Dei quam Cœlum & Terra; Qui autem dicit, quare voluit facere Cœlum & Terram? majus aliquid quærit, quam eſt Voluntas Dei, nihil autem majus inveniri poteſt*. Huc etiam pertinet alter locus Auguſtini (2), ubi negat quærendam eſſe cauſſam, quare voluerit Deus Mundum facere, quia hoc eſſet quærere cauſam efficientem Voluntatis Dei. In cujus rationis veritate intelligenda invenitur non exigua difficultas, ut notat Suarez (3), propterea quod videatur plane Auguſtinus confundere cauſam finalem cum efficiente. Nam qui quærit quare Deus voluerit creare Mundum, non quærit cauſam efficientem, ſed finalem. At equidem dicam Auguſtinum in ſubjecta materia fateri revera, cauſam finalem creationis Mundi fore eamdem cum cauſa efficiente, quia actus voluntatis in Deo non diſtinguuntur ab ipſa voluntate: Si igitur admittatur actus Voluntatis creandi in Deo habere cauſam finalem, quatenus hujus vi ille actus extiterit, jam admittitur voluntas ipſa Dei habere cauſam, quæ non erit niſi cauſa illam efficiens.

V. Probatur authoritate S. Thomæ. Ille loquens de cauſſa finali Voluntatis Dei, ſic ſtatuit, (4) *Nullo modo Voluntas Dei cauſſam habet*: & alibi (5) expreſſe excludit omnia objecta creata a ratione cauſæ Divinæ voluntatis. Idemque (6) *Scholaſtici omnes uno ore fatentur*, inquit Vaſquez, quibus recentiores aliqui ut Arnaldus (7), Hooke (8), Kingius (9), & alii ſe

(1) S. Aug. de Gen. cont. Manich. cap. 2. pag. 316.

(2) Id. quæ. 83. qu. 28. pag. 211.

(3) Suar. Metaph. diſp. 12. ſec. 3. num. 5. pag. 246.

(4) S. Th. 1. p. qu. 19. art. 5. o.

(5) Id. lib. 1. cont. Gent. cap. 86.

(6) Vaſq. in 1. par. diſp. 82. cap. 1. num. 1. pag. 321.

(7) Arn. Reflex. ſur le Syſtem. de la Natur. lib. 2. cha. 2. & 3.

(8) Hoo. Princ. Relig. tomo 1. par. 1. ſec. 3. art. 3. pag. 385.

(9) King. de Origine Mali. cap. 1. ſec. 3. pag. 34.

adjungunt, falſo tamen, ut patet, ſibi & paucis aliis hujus veritatis notionem tribuentes.

329. Objicitur. Vera eſt hæc propoſitio: Ideo Deus creavit quaſcunque creaturas, quia ſunt bonæ; Nam ſi non eſſent bonæ, non potuiſſent ab eo creari; Voluntas enim libera non eſt niſi ad id, quod cognoſcitur ſub ratione boni: ſed ideo Deum creaſſe quaſcunque creaturas, quia ſunt bonæ, eſt bonitatem creaturarum eſſe cauſam finalem illarum creationis: ergo.

Reſp. diſt. maj. Ideo Deus res creavit, quia ſunt bonæ, *To* quia ſignificante conditionem ſine qua non creaſſet illas, *conc. maj.* quam ratio adjuncta in argumento plane demonſtrat: *To* quia ſignificante rationem motivam, *nego maj. & min.*

330. Contra illos, qui Gloriam ſtatuunt fuiſſe Deo hoc motivum creandi Mundum militant hæc etiam particularia argumenta. I. Impium eſt negare Deum eſſe ſibi per ſe ſolum ſufficientiſſimum & perfectiſſimum: ſed dicere Deum creaſſe Mundum ex fine Gloriæ, quæ a creaturis ſibi proveniret, eſt negare Deum ſibi eſſe per ſe ſolum ſufficientiſſimum: ergo.

II. Impium pariter eſt tribuere Deo affectionem operandi propter aucupandam creaturarum gloriam, quam Deus punit tamquam culpam, ut accidit Davidi & Ezechiæ (1), & Chriſtus vehementer reprehendit (2) in hypocritis, & vulgus ipſum ita contemnit, ut Tullius narrans de Demoſthene in ſimilem vanitatem aliquando ipſo judice incidiſſe, illum contemnat dicens, (3) *apud alios loqui videlicet didicerat, non multum ipſe ſecum*: & Philo dicit quod, (4) *qui dando captant laudem aut honorem, ſpecioſo donationis nomine venditionem pertexunt.*

331. Contra Kingium determinate ſic arguitur.

I. Non ſalvatur Deum eſſe ſibi ſufficientiſſimum, ſemel quod operetur ex fine alicujus complacentiæ ab extrinſeco in ſe provenientis, ſive ex fine acquirendi ſibi aliquod felicitatis genus, quod ante determinationem creandi Mundum, vel ipſam creationem non habuerit: ſed hoc importat ejus opinio: ergo.

II. Bonitas rerum in ſtatu poſſibilitatis reducitur ad abſolutam

(1) Reg. lib. 4. cap. 20.
(2) Mat. 6. v. 1.
(3) Tull. Tuſc. lib. 5. num. 103. pagin. 661.
(4) Phil. lib. de Cherubim.

Digitized by Google

lutam illarum poſſibilitatem, ex dictis ſupra (§. 173.h) : ſed abſoluta rerum poſſibilitas non dependet a libera Divinæ Voluntatis electione ex dictis alibi (1) : ergo neque bonitas rerum in ſtatu poſſibilitatis dependet a libera Voluntatis Divinæ electione : ergo falſa eſt opinio Kingii ſupponens dependere a libera electione Dei, quod bonæ ſint res mere poſſibiles.

III. Abſurdum eſt dicere rem abſolute poſſibilem eſſe bonam, quia Deus determinat illius exiſtentiam : ergo opinio Kingii, quæ id dicit, eſt abſurda. Antecedens probatur, quia recepta Philoſophia docet ens, quo nomine venit ens poſſibile, converti cum bono. Quare ſicuti in priori ad determinationem aliquid creandi eſt cognitio de illius poſſibilitate abſoluta, ita eſt etiam cognitio de ejus bonitate.

332. I. Objicitur. Si Deus in rerum creatione non habuit pro fine bonitatem objectivam creaturarum, æque bonæ fuiſſent creaturæ confuſim poſitæ, ac modo ſint ordinatim diſpoſitæ : ſed hoc non poteſt dici : ergo neque dici poteſt, quod Deus in rerum creatione non habuerit pro fine bonitatem objectivam creaturarum.

Reſp. nego maj. Ex eo quod Deus non habuerit ullum finem operandi a ſe diſtinctum, non ſequitur, ne habuiſſe quidem ullum finem operis ſui. Hunc enim vero habuit, quia hic non repugnat Deo, quin immo oppoſitum repugnaret. Nam Deus infinite intelligens & perfectiſſimus neceſſe eſt ut nihil cæco modo operetur. At finis per modum cauſæ moventis & determinantis Deum ad operandum, eſt quid Deo indignum, nec in illum proinde cadit. Hanc diſtinctionem inter finem operandi, & finem operis non advertit Malebranche, qui multus eſt in promovendo hoc æquivoco in citato dialogo, quemadmodum etiam Optimiſtæ paſſim faciunt.

II. Objicitur. Concilium Tridentinum loquens (2) de cauſis gratiæ juſtificantis docet cauſam ipſius finalem eſſe gloriam Dei & Chriſti : ergo non repugnat Deum habere pro cauſa finali in ſuis operibus ad extra gloriam ſuam.

Reſp. diſt. antecedens, & ibi Concilium dicendum eſt ex rationibus jam dictis ſumere cauſam finalem pro fine cui ultimo, ut in-

(1) Diſſ. de Pulchro num. 24. pag. 322. (2) Trid. ſeſſ. 6. cap. 7.

Digitized by Google

ut inferius dicam, *conc. antec.* pro vera cauſa motiva & determinante, *nego antec.* Et eadem diſtinctione excipio conſequens. Quod finis etiam cui ſubſtineat denominationem cauſæ finalis non eſt mirum; Nam prout eſt finis aliquis præcedit in intentione exequutionem rei ipſius, & habet aptitudinem ad movendum ad ejuſdem rei effectionem, vel ſaltem non retrahit ab illa: cum hoc autem ſtare poteſt, quod reipſa nec moveat nec determinet.

SECTIO II.

Finis creationis Mundi per modum rationis, qua Deus modo noſtro intelligendi illam voluit, eſt Divina Bonitas.

333. PRobatur primo, per noſtrum dumtaxat modum intelligendi dici poſſe Deum habuiſſe pro *fine quia* creationis Mundi ſuam bonitatem, quia cum revera eodem actu velit Deus ſuam bonitatem & omnia creata, non poteſt ſua bonitas eſſe ſecundum rem ratio volendi objecta creata: ſed ſolum ſecundum morem, qui jam invaluit apud Authores, ut ordine rationis dicatur prius volitum a Deo id, quod neceſſario intelligitur jam volitum, quoties dicitur, Deum aliquid velle, ut fuſius explicat Vaſquez de hac ipſa re agens (1). Probatur nunc quod hic *finis quia* creationis Mundi ſit Divina Bonitas. I. *Finis quia* creationis Mundi, quem Deus modo noſtro intelligendi ſequi potuit, debet eſſe bonum dignum, quod a Deo gratia ſui ametur; Nam ratio boni per ſe amabilis pertinet ad notionem finis, & ratio boni digni, quod a Deo gratia ſui ametur, pertinet ad dignitatem Dei: ſed tale bonum eſt ſola Bonitas divina; Ipſa enim eſt bonum, quod Deo non ſolum honeſtum eſt, ſed etiam neceſſarium velle gratia ſui: neque hoc de ulla bonitate creata dici poteſt; *Nullam enim*, inquit Vaſquez (2), *diligeret Deus creaturam, niſi prius ſecundum rationem diligeret ſeipſum, eatenuſque placent ipſi creaturæ, quatenus ſunt aliquid ipſi-*

(1) Vaſq. in 1, par. diſ. 82. cap. 2. (2) Id. Ibi. cap. 2. num. 9. pag. 323. & ſeq.

ipſius per participationem: ergo ſola Bonitas Divina eſt modo noſtro intelligendi *finis quia* creationis Mundi.

II, Probatur authoritate S. Auguſtini, qui ad illud Geneſeos, (1) *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas*, dicit (2) *quoniam egenus amor ita diligit, ut rebus, quas diligit ſubjiciatur, propterea Spiritus Dei, in quo ejus ſancta benevolentia dilectioque intelligitur, ſuperferri dictus eſt, ne facienda opera ſua per indigentiæ neceſſitatem potius, quam per abundantiam beneficentiæ Deus amare putaretur*. Apertius alibi: (3) *De creatura ſi quærimus quis fecerit? Deus eſt. Si per quid? Dixit fiat, & facta ſunt. Si quare fecerit? Quia bona eſt; nec enim Author eſt excellentior Deo, nec ars efficacior Dei verbo, nec cauſſa melior, quam ut bonum crearetur a Deo bono*: ergo Deus juxta S. Auguſtinum omnia extra ſe fecit ex ſancta benevolentia, & ex ſua Bonitate.

III. Probatur authoritate S. Thomæ: (4) *Primo*, inquit, *agenti, qui eſt agens tantum, non convenit agere propter acquiſitionem alicujus finis, ſed intendit ſolum communicare ſuam perfectionem, quæ eſt ejus bonitas... Sic ergo divina bonitas eſt finis rerum omnium*. Et alibi expreſſius: (5) *Finis Divinæ Voluntatis, non poteſt eſſe niſi ejus bonitas: Non autem agit propter hunc finem producendum in eſſe, nec propter ejus meliorationem, cum bonitas ejus ſit æterna & immutabilis: nec etiam agit propter hunc finem acquirendum ſibi; ipſe enim eſt ſua bonitas. Reſtat igitur, quod agat propter finem, in quantum effectum producit ad participationem finis*. Quam doctrinam multis aliis in locis (6) repetit. Quare ubi alibi dicit, (7) *Voluntati cauſa volendi eſt finis: finis autem Divinæ Voluntatis eſt ſua Bonitas. Ipſa igitur eſt Deo cauſa volendi*, nomen hoc cauſſæ uſurpat pro ratione, quam per noſtrum intelligendi modum ſequutus eſt in creatione Mun-

(1) Gen. 1.
(2) S. Aug. de Gene. ad lit. lib. 1. cap. 7. num 13. col. 121.
(3) Id. de Civit. lib. 11. cap. 21. col. 288.
(4) S. Tho. 1. p. qu. 44. ar. 4. pag. 156.
(5) S. Tho. con. Gen. lib. 2. cap. 35. pag. 391.
(6) Id. 1. p. qu. 19. art. 1. ad 3.
Id. Ibid. ar. 2. ad 2. & 3.
Id. Ibid. art. 5. o.
Id. lib. 2. cont. Gent. cap. 32. n. 7.
Id. 1. p. qu. 22. art. 4. o.
Id., de Volunt. Dei art. 4. o. pag. 344.
(7) S. Thom. cont. Gent. lib. 1. cap. 87.

Mundi. Confirmationem non omittam ex Platone, qui in Timæo quærens de cauſſis Mundi dicit, ut habet Ficinus in ejus compendio, (1) *Efficientem eſſe Divinam Potentiam, & Intelligentiam, atque Voluntatem: exemplarem vero, ideas Intelligentia Divina conceptas: finalem denique, bonum*: quam ultimam cauſam ab aliis non diſtingui niſi per rationem luculenter declarat, quippe omnes hujuſmodi cauſſas, ut ipſe Ficinus advertit, (2) *ob abſolutam ſimplicitatem nominat ipſum unum: ob exuberantem vero beneficentiam, per quam & tamquam principium producendo efficit omnia, & tamquam finis eadem perficit reducendo, nominat ipſum bonum*. Hanc doctrinam credo habuit præ oculis Philo, dictus Plato Hebræus, ubi juxta eumdem Ficinum dicit, (3) *Siquis cauſſam, quare univerſum hoc creatum ſit, velit exquirere, non errabit, ſi exiſtimabit, quod quidam ex veteribus protulit, bonum eſſe creatorem univerſi, & bonitatis ſuæ gratia* ſubſtantias ſingulas feciſſe. Hæc in mentem revocant illud Apoſtoli, (4) *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*. Ubi Segnerio interprete (5) *ex ipſo* ſignificat cauſſam efficientem, Potentiam Divinam: *per ipſum*, cauſſam exemplarem, Sapientiam Divinam: *in ipſo*, cauſſam per modum finis, Bonitatem Divinam.

SECTIO III.

Deus in creatione Mundi habuit pro fine cui omnium ultimo ſuam Gloriam.

334. QUoniam Mundus non eſt a ſe, ne eſt quidem propter ſe: ergo eſt propter aliud ſibi extrinſecum, quod habet rationem finis cui, quem Creator ſapientiſſimus intendit. Hujuſmodi finis requiri poteſt in ſingulis Univerſi partibus, & in omnibus ſimul ſumptis, quemadmodum in machina aliqua compoſita, ut horologio, inquiri poteſt finis hujus vel illius organi, & finis totius horologii: ac cum finis totius horologii ſit eſſe

(1) Fic. in Plat. Tim. cap. 2. pag. 456.
(2) Id. Ibi. cap. 8. pag. 458.
(3) Id. Ibi. cap. 12. pag. 453.
(4) Ad Rom. 11. v. 36.
(5) Segn. Manna. 31. Decemb. pag. 555.

eſſe menſuram temporis, idem etiam erit aliquo modo finis ſingularum partium, ſed ultimus; Nam finis illarum immediatus alius evidenter eſt, ut temperare vim elaſterii, reddere motum determinato modo celerem, & uniformem, & ſimilia. Eadem ratione totius Mundi machina, & ſingulæ etiam ipſius partes habent quemdam finem ultimum cui, quem ſtatuo eſſe Gloriam Dei. Hoc autem nomine intelligo cognitionem Divinarum perfectionum, ex qua creaturæ intellectuales in Dei laudem erumpunt, quæ eſt notio propria hujus nominis juxta S.Thomam (1), quam advertere opus fuit, poſtquam ſub eodem nomine res diverſiſſimas aliqui ſignificarunt. Omiſſo enim ſenſu illo Malebranchii proprio, ſupra (§. 327.) allato, gloriam Dei diſtinguunt aliqui in intrinſecam Deo, & ipſi extrinſecam, atque hanc in formalem & objectivam. Nomine autem gloriæ intrinſecæ ſignificant cognitionem Divinam, qua Deus ſeipſum infinite perfectum comprehendit, & amorem, quo ſe ut infinitum bonum amat: nomen vero gloriæ extrinſecæ formalis habet notionem, quam dixi propriam nominis gloriæ: nomine tandem gloriæ objectivæ veniunt perfectiones Divinæ, quas cognoſcunt creaturæ intellectuales, & ex hac cognitione ad earum laudes excitantur.

Opponuntur huic propoſitioni, qui finem principaliorem creationis ſtatuerunt eſſe utilitatem noſtram. Hos confutatos jam a S. Bonaventura (2) recentius ſequuti ſunt Bayles, qui ſtatuit,(3) *Deum non creaſſe Univerſum niſi ut benefaceret illis creaturis, quæ felicitatis eſſent capaces*: Et Anglus Anonymus apud Trevoltianos (4), qui credens gloriam nullam redundare in Deum ex æterna ullius creaturæ rationalis damnatione, dicit illas creatas eſſe ad finem felicitatis, ita ut nulla poſſit eſſe æternum miſera in Inferno, ſicuti habet Dogma Catholicum apertis Scripturæ teſtimoniis innitens, contra quem errorem alibi (5) dixi.

335. I. Suadetur ex S. Scriptura, in qua de creatione ratio-

(1) S. Tho. 2. 2. qu. 132. ar. 1. &
(2) S.Bon. in 2. Diſt.18. art 2. qu.1.
(3) Bay.tom.2.reſp. ad quæſt. provin.
(4) Mem. de Trev. an.1735. art.116. pag. 2402. Ibid. an.1745. art. 55. pag. 1020.
(5) Diſſ. de Malo, §. 96. pag.249.

nalium dicitur: (1) *Omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum. Cunctas* (2) *gentes creavit in laudem & nomen & gloriam ſuam*. De malorum vindicatione habemus, (3) *Dicit Dominus Deus, ecce ego ad te Sidon, & glorificabor in medio tui*, per peſtilentiam, & cædem, quæ ſe immiſſurum prædicit: (4) *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum*, quatenus ſi in impietate ex hac vita decedat, confitebitur tandem, & oſtendet in pœna ſibi inflicta Divinam eſſe ipſius ſanctitatem & juſtitiam. Eumdem eſſe finem creationis Cælorum & Stellarum apparet in illis, (5) *Cæli enarrant gloriam Dei*, Stellæ (6) *luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.* Huc pertinet illud comprehendens omnem creaturam (7) *Ego ſum* A. *&* Ω., *principium & finis, dicit Dominus Deus*. Chriſtus ipſe docens nos orare, illud primum omnium peti voluit, *Sanctificetur nomen tuum*, cujus ſenſus eſt, non quidem fiat ſanctum nomen tuum; Nam eſſentialiter Deus eſt ſanctus ſecundum omnia & ſingula ſua attributa,quæ ſunt totidem ipſius nomina, ſed ſenſus eſt, cognoſcatur ab omnibus ut Sanctum, quodvis nomen tuum, ut laudetur, manifeſtetur, magnificetur, glorificetur quodvis nomen tuum, ut explicat Paulus Segneri (8). Et Apoſtolus conſonat docens eſſe omnia propter Deum, etiam paſſionem Chriſti; Dicit enim de Deo Patre, (9) *Decebat eum, propter quem omnia ... authorem ſalutis per paſſionem conſumare*. Idem alibi nihil excipiens jubet, (10) *Omnia in gloriam Dei facite:*& ubi gratulatur converſis ad pœnitentiam; (11) *Habetis*, inquit, *fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam*, quæ importat claram Dei cognitionem cum ejuſdem jucundiſſima laude, in quibus habetur ipſamet notio Gloriæ Dei. Huc pertinet illud Concilii Tridentini, quod juſtificationem noſtram ordinatam eſſe ad Gloriam Dei exprimit, dicens, (12) *Noſtræ juſtificationis cauſa finalis eſt gloria Dei ac Chriſti, ac vita æterna*. Ex quo teſtimonio peti poteſt argumentum

(1) Iſai. 43. v. 7.
(2) Deut. cap. 26. 2. 19.
(3) Ezech. 28. v. 22.
(4) Prov. 16. v. 4.
(5) Pſal. 18.
(6) Baruch. . 3. 35.
(7) Apoc. 1. v. 8.
(8) Segn.Manna.10. Ottobr.pag. 117.
(9) Ad Hebr. 2. 10.
(10) I. Ad Cor. 10. v. 31.
(11) Ad Rom. 6. v. 22.
(12) Trid. ſeſſ. 6. cap. 7.

Digitized by Google

tum contra ſententiam docentem Chriſtum non venturum, ſi Adam non peccaſſet; Hoc enim idem eſt, ac dicere Gloriam Dei & Chriſti ordinatam eſſe ad noſtram juſtificationem, quod directe contradicit Concilio. Platelius, qui hoc argumentum dicit ſibi non adverſari, quia Concilium intendit ſignificare (1) Juſtificationem noſtram ordinatam eſſe ad Gloriam Dei & Chriſti accidentalem, cum quo non pugnat, quod Gloria Dei & Chriſti quaſi eſſentialis ſit ordinata ad juſtificationem noſtram, videtur mihi ſatis importune reſpondere. Sed de hoc alii viderint.

336. II. Suadetur ratione. Finis ultimus cui creationis eſt ille, quo creatura rationalis utens ratione quodammodo trahitur, & impellitur: ſed creatura rationalis utens ratione quodammodo trahitur ad cognoſcendas & approbandas Divinas perfectiones: ergo finis ultimus cui creationis eſt, ut creatura cognoſcat & approbet Divinas perfectiones: ſed cognoſcere & approbare Divinas perfectiones idem eſt,ac Gloria Dei ex nuper dictis: ergo finis ultimus creationis eſt Gloria Dei.

III. Cum Joanne Gisberto (2) ſic arguitur. Deus ſemel quod aliquid creaverit, nequit illud non creare propter ſuam gloriam tamquam finem ultimum cui. Probatur hoc, quia neceſſitas in Deo omnia referendi ad ſe & ad gloriam ſuam eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; Nam ſicuti imperfectio eſt aliquid ordinare ad finem ignobiliorem, cum poſſit ordinari ad nobiliorem: ita perfectio eſt ordinare ad finem, quo nullus nobilior eſſe poteſt: ergo finis cui ultimus creationis Mundi eſt Gloria Dei.

IV. Ille dicendus eſt finis ultimus cui creationis Mundi, qui melius reſpondeat fini quia: ſed fini quia creationis, qui ex dictis eſt Dei bonitas, optime reſpondet cognitio, quæ excitetur in creaturis de hac bonitate, adeoque de omni Divina perfectione, cum omnia in Deo ſint quid ſimpliciſſimum: ergo finis ultimus cui creationis eſt hæc cognitio Divinæ perfectionis excita in creaturis: ergo eſt gloria Dei; nam cum ea cognitione neceſſario connectitur illius laus. Hinc S. Ignatius Loyola Divino edoctus magiſterio ea verba, *Ad majorem Dei gloriam*, quaſi

(1) Plat. De Incarn. num. 84 pag. 44. cap. 3. art. 2. Inſtabis, Fundamentum
(2) Gisb. Antiprobab. par. 1. qu. 2. pag. 257.

Digitized by Google

quaſi ſignum quoddam extulit, quod qui præ oculis habeat in omnibus ſuis operationibus, is nihil omnino peraget, quod non ſit ex omni parte perfectum.

337. Contra Baylem, alioſque cenſentes finem creationis Mundi eſſe felicitatem creaturæ rationalis, ſic primo arguitur. Ipſamet felicitas creaturæ rationalis, prout eſt affectio ipſius, eſt quid creatum, ergo eſt quid ordinatum ad aliquid ab ipſa diſtinctum, quod aliud nequit eſſe niſi Gloria Dei.

Rurſus magis conveniens eſt perfectioni Voluntatis Divinæ ultimo ordinaſſe creaturas rationales ad eum finem, a quo nulla poſſet unquam, velit nolit, deficere: ſed a felicitate deficit omnis creatura rationalis, quæ illam expreſſe recuſat, nolens per abuſum ſuæ libertatis adimplere conditiones ad illius conſequutionem requiſitas: a Gloria vero Dei, utpote quæ eſt notitia & approbatio perfectionis Dei, nulla unquam deficiet, ne ea quidem, quæ volens damnetur: ergo ad Gloriam Dei, non ad ſui felicitatem ultimo ordinatæ ſunt omnes creaturæ rationales.

338. I. Objicitur. Si Deus in hypotheſi creationis alicujus neceſſitatur ad habendum pro fine cui ultimo Gloriam ſui, jam neceſſitatur ad creandas creaturas rationales, ſemel quod creaverit materiales; Nam hujuſmodi Gloria nequit haberi ſine creaturis intelligentibus. Rurſus neceſſitatur ad creandas creaturas intelligentes vel ſimul cum creaturis materialibus, vel ante creaturas materiales; Nam aliter exiſteret creatio aliqua, quin Deus gloriam ullam aſſequeretur deficientibus creaturis intelligentibus: Atqui abſurdum eſt dicere Deum neceſſitari ad creandas creaturas intelligentes, ſemel quod creaverit materiales, & ad eas creandas vel ſimul cum materialibus, vel ante materiales: ergo abſurdum eſt dicere Deum in hypotheſi creationis alicujus neceſſitari ad habendum pro fine cui ultimo Gloriam ſui.

Reſp. conc. maj. & nego min. Illationes enim prædictæ admittuntur reipſa a pleriſque Theologis tamquam legitimæ, & nullo modo repugnantes Divinæ Majeſtati. Non dixi admitti illas ab omnibus Theologis, quia invenio Cardinalem Pallavicinum, qui eas non concedit abſolute, ſed uno quidem in loco cum hac prudenti limitatione, (1) ſi nihil obſtet: utrum autem ali-

(1) Pall. de Bono lib. 3. cap. 34. pagin. 218.

aliquid ſit, quod obſtet, dicit nolle ſe, inquirere. Alibi vero dicit, (1) *probabile eſſe Deum non potuiſſe creare tantum res inanimes*.

339. II. Objicitur. Datur inter Deum & hominem vera amicitia, ut Theologi communiter, inter quos Platelius ſuadent ex illis Scripturæ, (2) *Participes facti ſunt amicitiæ Dei. Nimis* (3) *honorati ſunt amici tui Deus. Vos* (4) *autem dixi amicos*. Ergo Deus habuit pro fine cui ultimo in rerum creatione felicitatem illorum ſaltem, quos amicos dixit, non ſuam gloriam. Probatur conſequentia. Ille amat alterum amore amicitiæ, qui vult alteri bonum unice propter illum, non propter ſe: ergo ſiquem Deus amat amore amicitiæ, finis cui ultimus in ipſius creatione eſt illius felicitas, non ſua Gloria.

Reſp. conc. ant. & nego conſeqm. Ad probationem *diſt. ant.* Ille amat alterum amore amicitiæ, qui vult alteri bonum unice propter illum, non propter ſe, ita ut excludat hujus amoris ordinationem ad ſui commodum, *conc. ant.*, ita ut excludat hujus amoris ordinationem ad Deum, *nego antec.*, *& conſeqm.* Doctrina, quæ continetur in diſtinctione, quam ſit legitima, declarat amor amicitiæ, quo unus homo alterum proſequatur, qui ſi ſit (5) *honeſtus & bene ordinatus*, *non poteſt*, dicam cum Platelio, *ita ſiſtere in homine amato, quin ſaltem virtualiter & implicite*, *ulterius tendat in Deum*, *ut finem ultimum*. Igitur ordinationem ad Deum nullus amicitiæ amor excludit, ſed illam ſolum, quæ reſpicit commodum amantis: hanc autem amor Dei in nos reipſa penitus excludit, quippe hanc gloriam ſuam quærit Deus propter bonum & utilitatem noſtram, non propter ſuam, utpote qui eſſentialiter beatiſſimus eſt. Atque hoc ipſum ſignificant illa S. Thomæ verba, (6) *Deus ſuam gloriam non quærit propter ſe*, *ſed propter nos*: in quibus nequis illis abutatur, advertit jam Cajetanus, quod *To propter nos denotat terminum utilitatis*, non finem ultimum cui abſolute & ſimpliciter.

340. III. Objicitur. Hominem habere pro fine cui ultimo in be-

(1) Id. de Incarn. cap. 1. num. 12. pagin. 154.
(2) I. Sap. 7.
(3) Pſal. 138.
(4) Ioan. 15.
(5) Plat. Cur. Theol. par. 3. num. 150. pag. 235.
(6) S. Th. 2. 2. qu. 132. art. 1. ad 1. pag. 317.

in benefaciendo cognoſci & approbari ab aliis, non eſt quid laudabile, & eſt certe animi minus benevoli: ergo a pari Deum habere pro fine cui ultimo in creatione Mundi Gloriam ſuam, ſeu cognoſci & approbari a nobis & a creaturis quibuſvis rationalibus non eſt quid laudabile, & ſaltem eſt quid minus beneficum: ſed hoc tribui Deo non poteſt: ergo tribui Deo non poteſt, quod habeat pro fine cui ultimo in Mundi creatione Gloriam ſuam.

Reſp. conc. antecedens & nego conſeqam, & cadunt reliqua. Diſcrimen quod fuſe & eloquenter perſequitur Benedictus Rogacci (1) eſt, quia hominem cognoſcere & amare alium hominem, non eſt formalis felicitas cognoſcentis & amantis, & rurſus eſt quid utile ipſi eidem, qui cognoſcitur & amatur. Quare homo, qui benefacit intendens gloriam ſuam, non ſolum habet pro fine cui ultimo beneficii commodum & utilitatem ſuam, ſed etiam hanc habet pro fine, propter quem movetur ad conferendum beneficium. At Deum cognoſci tandem clare & amari a creatura rationali eſt formalis felicitas creaturæ; Nam ad plenam ipſius beatitudinem pertinet viſio ſeu cognitio intuitiva Dei, ejuſque amor, & rurſus eſt aliquid ſoli creaturæ utile, *nobis quippe expedit Deum noſſe, non illi*, inquit citato loco S. Thomas, cujus beatitudini nihil additur a creaturæ cognitione, cum ipſe ſit ſibi ſufficientiſſimus. Quare iſthæc gloria nullo modo eſt Deo motivum nos creandi, ſed eſt terminus omni ex parte benevolus, & Deo dignus.

SECTIO IV.

Deus in conſtructione hujus terræ & omnium brutorum animalium ipſius habuit homines pro fine cui immediato.

341. HÆc pars commune habet ſuffragium omnium, qui melius philoſophantur, in quibus primum locum obtinent, qui ita rationem conſulunt, ut Revelationem etiam Divinam, ſiqua habetur, ſicuti hic haberi apertiſſimam infra oſtendam,

(1) Rog. Uno ne ceſſ. par. 1. cap. 25. num. 5. & ſeq. pag. 615.

dam, non ſolum non negligunt advertere, ſed per eam jure ſtatuunt rem hanc eſſe extra controverſiam. Qui per ſolam Philoſophiam olim idem aſſequuti ſunt, fuerunt Stoici, quibus, ut ait Tullius,(1) *placet, quæ in terris gignuntur, ad uſum hominum omnia creari*. Ex iis autem, qui diverſa ſentiunt, eſt Theodoretus, qui negavit, (2) *univerſa animalia propter hominem creata eſſe*, in his nominans *cete grandia & feras terreſtres*, quibus hominem dixit non dominari, non advertens ſcriptum eſſe, (3) *omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt*, & ignorans S. Baſilium jam olim admiratum fuiſſe, (4) *hominum in capiendis balænis ſolertiam & ingenioſum valde artificium* quibus argumentis, aliis omiſſis, quæ promovet cum Pererio Suarez (5), pluſquam ſatis ille confutatur. Epicureos univerſalius & vehementius nobis contradicentes Sfortia Pallavicinus jam impugnavit (6). Sed recentius alii extiterunt, qui apertius declamant contra libertatem,qua homo utitur quibuſvis rebus terreſtribus,quorum clamores retundit Pluche (7). Ad hos maxime pertinent illi, qui vehementer invehuntur in homines, quod ſibi dominium brutorum uſurpent, ut ipſis vitam etiam adimant pro libito ſuo, & quidem non iis ſolum, quæ aliquo modo noxia aut moleſta ſunt, ſed iis etiam, quæ procul ab urbibus in ſilvis latitant, aut in mediis aquis vivunt, & conſtituunt in ipſis perquirendis, occidendis, & tandem devorandis, ſolatii cujuſdam & voluptatis genus: quos Adverſarii, ut Voltaire, & Pope apud Jo Baptiſtam Roberti in alias citato Anonymo libro (8) appellant crudelitatis & iniquitatis portentum, iterum deſcribentes exaggeratas Carteſianorum loquutiones, quibus aggrediuntur, qui contra ſe tuentur, bruta non eſſe mera automata, deſumpta vel ex poeticis Ovidii dictis (9),

Heu quantum ſcelus eſt in viſcere viſcera condi,
Congeſtoque avidum pingueſcere corpore corpus,

Alter

(1) Tull. de Offi. lib. 1. cap. 7. pagin. 264.
(2) The. in Gen. qu. 20. ſub finem pag. 7.
(3) Gen. 9. v. 2.
(4) Baſi. Hexaem. hom. 10.
(5) Sua. Oper. 6. dier. lib. 3. cap. 17. num. 13. pag. 196.
(6) Pall. del Bene lib. 2. cap. 11. & ſeq. pag. 357.
(7) Plu. ſpett. dela Nat. Tom. 5. Entr. 3. Gouvern. de l'Hom. §. Une mauvaiſe Philoſophie.
(8) Rob. de libri di Metafi. pag. 52.
(9) Ovid. Metamor. lib. 15.

Digitized by Google

Alteriuſque animantem animantis vivere leto :

vel ex Plutarcho, qui hæc affluenter congeſſit in duobus illis ſermonibus, qui inſcribuntur, *De Eſu carnium*, ſcilicet condemnando juxta Dogmata Pythagoricorum. Quandoquidem autem norunt hi reſponderi ſibi, cibum ex animalium carnibus neceſſarium eſſe ad meliorem hominum valetudinem, & generis humani conſervationem, illi non ſolum contendunt id falſum eſſe, ſed ex oppoſito conantur ſuadere vitam humanam diuturniorem fore & ſaniorem, ſi ſolis frugibus, herbis, & lacte ſponte nobis a gregibus oblato ſuſtentaretur, eamque feliciorem etiam fore ſublata penitus carnium comeſtione, cauſa per ipſos præcipua pravarum animi & corporum affectionum. Hujuſmodi victus ratio, quam ipſi conſulunt, dum interea menſas fortaſſe quam poſſunt lautas & exquiſitas inſtruunt, & jejunia Catholicæ Eccleſiæ negligunt vel condemnant, vulgo vocatur Victus Pythagoricus, quia a multis creditur eſſe juxta mentem Pythagoræ, qui, ut ad illum efficacius homines induceret, volunt commentum fuiſſe opinionem illam de tranſmigratione animarum ex uno in aliud corpus etiam ferinum, & proinde vetuiſſe vim ullam in bruta exerceri, ne cognatum aliquem quis interficeret, ſi forte illius anima in illud bruti corpus conceſſiſſet. Verum intercedit nuper Antonius Cocchi, qui plane ſuadet, (1) Pythagoram docuiſſe quidem ita ad ſanum corporis habitum conferre uſum frequentem vegetabilium, ut ſine illo diutius conſervari non poſſit contra illos, qui hoc non advertebant, vel contrarium videbantur opinari, in quibus fuit propius noſtris temporibus Caſtor Durante, qui præſcripſit (2) parcum herbarum uſum, utpote cibi parum ſalubris: nunquam vero abhorruiſſe ab occiſione animalium, & a moderato carnium eſu, quo ipſum revera uſum fuiſſe & publice & privatim veterum teſtimoniis oſtendit. Confirmat hanc tanti philoſophi defenſionem, primo quidem celebris Hecatombe, quam paſſim interpretes Euclidis ad propoſitionem 47 primi elementi commemorant, ipſum pro illius inventione Muſis immolaſſe: ſecundo vero teſtimonium S. Auguſtini, qui dicit, de opinione tranſmigrationis animæ pecorum in homines, aut hominum in pecora, quæ quibuſdam veteribus philoſophis tribuitur,

(1) Coc. Diſcorſi Toſcani. Diſc. 8. (2) Dur. Teſ. della San. §. Erbe. pag. 82.

tur, (1) *eorum poſteri erubuerunt, nec eos hoc ſenſiſſe, ſed non recte intellectos eſſe dixerunt*: volunt autem illos docuiſſe ſolum, (2) *in hac vita perverſitate morum ac turpitudine homines pecorum ſimiles fieri, ac ſic quodammodo in pecora commutari*, cui interpretationi recipiendæ proclivem ſe profitetur. Quibus poſitis reſtat, ut nomen victus pythagorici retineatur, ſed in ſenſu Pythagoræ, qui vel non excludebat eſum carnium, ſed commendabat illum vegetabilium, vel ſi carnes excludebat, præſcribebat ſolum præſens remedium ad recuperandam in multis caſibus male jam affectam valetudinem.

342. Probatur jam hæc pars primo ex Scriptura, in qua habemus, (3) *Terram dedit filiis hominum*, & alibi diſtinctius, (4) *Conſtituiſti eum* (hominem) *ſuper opera manuum tuarum: Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*: ubi ſermo eſt de operibus Divinis cum limitatione ad terram, quemadmodum oſtendunt, quæ immediate ſequuntur, *oves & boves univerſas, inſuper & pecora campi, volucres Cæli, & piſces maris*. Ipſa narratio creationis hujus terræ, ejuſque diſpoſitionis propoſita nobis in Geneſi ſatis aperte ſignificat homini deſtinatam terram fuiſſe, ipſumque illius dominum conſtitutum; Nam tunc demum ille creatus dicitur ſupra terram, poſtquam hæc inſtructa fuit omnibus, quæ ipſi neceſſaria & utilia eſſent ad commodam & jucundam vitam ducendam: exſiccata magna ipſius parte per ſeceſſionem aquarum in certum locum: accenſis opportunis luminaribus, quæ dici & nocti præeſſent: diſpoſitis ubique magnificis ornamentis, quot ſunt diverſa plantarum, animalium, aliorumque corporum genera: congregata perenni annona ſupra totam aridæ ſuperficiem, quæ diverſi generis fructus ſucceſſive produceret, & expedita immenſa famulorum turba in brutis animalibus, quorum ſingulis ſua aſſignata fuerunt loca, & officia. Quid plura? Scriptum eſt, (5) Hominem factum eſſe ad imaginem & ſimilitudinem Dei, ſubjungendo ſtatim, *& præſit piſcibus maris, & volatilibus Cæli & beſtiis, univerſæque terræ*, eique dictum, (6) *Replete terram, & ſubjicite eam*: quemadmodum reipſa experimur contingetinge-

Ccc

(1) S. Aug. de Gen. ad lit. lib. 7. nu. 13. col. 215.
(2) Id. Ibid. num. 15.
(3) Pſal. 113.
(4) Pſal. 8.
(5) Gen. 1. 26.
(6) Ibi. v. 28.

tingere relate ad quemvis etiam hominem ſingularem, quoties ille cum aliis ſocietatem conſervet, ad quam colendam natus eſt; Hac enim via ſinguli potiri, & frui poſſunt iis etiam, quæ in locis ſolum remotiſſimis reperiuntur. Facto autem jam homine additur, (1) *Complevit Deus opus ſuum*, quaſi finem jam conſequutus fuerit, propter quem terram creavit. Confirmatur hoc argumentum ex (2) *celebri* inquit Petavius, *& magnorum authorum approbatione firmata ſententia*, quos in medium adducit, imaginem, ad quam ſcriptum eſt factum eſſe hominem, *in imperio dominatuque ſitam eſſe, quem in animantes ac terrarum orbem univerſum conſtituit humano generi Deus*.

343. Ex ratione arguitur ſic. Illa creatura poteſt eſſe finis cui immediatus conſtructionis terræ, quæ poteſt hanc non ſolum aliquo modo cognoſcere, ut in ſe bonam, ſed etiam ut ſibi bonam experiri: ſed ſoli homines poſſunt conſtructionem hujus terræ non ſolum aliquo modo cognoſcere ut in ſe bonam, ſed etiam ut ſibi bonam experiri: ergo ſoli homines ſunt finis cui immediatus conſtructionis terræ. Major probatur, quia tunc quis dicitur benevolus & beneficus, quando confert bonum alteri, qui poſſit illud ut ſibi datum agnoſcere, illoque uti ac frui, ſicuti contrario modo non denominatur malevolus, nec maleficus, qui rem inanimem deſtruat. Ita nemo dicit agricolam eſſe frugiferis plantis benevolum, quia illas a noxiis herbis liberat, & maleficus ſpinis & ſarmentis, quia hæc igni comburit. Ad minoris declarationem pertinet reminiſci tot creaturarum diverſa genera, quæ in tria quaſi regna animale, vegetabile, & minerale diſtribui vulgo ſolent, de quibus aliqua ſuperius delibavi, quæ ad noſtrum uſum conceſſa ſunt nobis cum ea liberalitate, quæ non tantum abunde ſufficit neceſſaria & commoda ad vitam: ſed etiam teſtatur & prædicat Divinam Magnificentiam, cujus umbra quædam eſt illud, quod de Alexandro Magno celebratur, quod dixerit Perillo cuidam, viro nobili ſed pauperi, cum poſtulato ſubſidio ad filias ſuas dotandas, recuſaſſet ex modeſtia ſua auri talenta quinquaginta ſibi oblata dicens, ſibi pluſquam ſatis fore decem, ſi tibi magnum quid ſunt quinquaginta, mihi parum eſt dare decem.

(1) Ibi. 2. 2. pag. 159.
(2) Petav. de Opif. lib. 2. cap. 3. nu. 1.

decem. Hoc pacto etſi homini, dum viveret in hac terra, ad domos ſibi conſtruendas ſatis eſſent ſilices, & unum aut aliud genus fructuum aut animalium ad victum, aqua ad potum, pelles ad veſtitum, hoc tamen non ſatis erat ad magnitudinem Creatoris. Quare pro ſingulis hujuſmodi neceſſitatibus tot ac tanta providit, ut ſemper locus nobis eſſet electioni & varietati.

344. III. Homo ſibi vindicat uſum univerſæ terræ & omnium, quæ in ea ſunt animantium; Ille enim quævis corpora movet, & pro libito de illorum ſitu diſponit, montes cum vult ſolo æquat, fluvios inhibet, ſiccat freta, ex una terræ parte merces in aliam deportat; feras omnes ſibi ſubjicit, illarum motiones moderatur, & brutorum omnium vita etiam, prout placet, utitur: ergo homo eſt finis cui immediatus conſtructionis univerſæ terræ.

IV. Sublato per cogitationem noſtram homine e terra, jam in omnibus, quæ in ipſa remaneant, non apparet niſi inutilitas & ſuperfluitas: illo autem reſtituto terræ, omnia jam utilia & opportune diſpoſita cognoſcuntur, ea etiam, quæ hunc ordinem ac relationem ad hominem minus produnt: ergo homo eſt hujus terræ finis: Antecedens declaratur, quia ſublato e terra genere humano, cui bono tam magnificum ſuperficiei terreſtris ornamentum per diverſi generis pulcherrimas plantas & arbores? Cur diverſa rerum genera & ſpecies ita diſtributa ſunt, ut alia aliis ſint frequentiora? Cur ubique ſaxa, ſed non ubique marmora? Homo quidem poteſt in horum cognitione & contemplatione oblectari, iiſdem uti innumeris diverſis modis, & in iis agnoſcere eam inter ſe rationem quantitatis, quæ ſuis commodis inſerviret, & propterea nullibi non eſſe ſaxa, quia quivis indiget domo: large datum eſſe ferrum, quia inſtrumentum eſt univerſale ad vitæ humanæ ſuſtentandæ exercitia, parce vero aurum, quia in ejus raritate conſiſtit pars magna ſui in nos meriti. At nihil horum dici poteſt de brutis. Hæc vim cognoſcendi manifeſtant, ſed eam, quæ limitata ſit ad obſequendum homini, ejuſque commodis inſerviendum. Tolle hunc a brutis finem immediatum creationis, quanta jam ſuperflua ſunt, & etiam noxia in illorum organizatione & inſtinctu. Nonne fruſtra eſt in canibus indoles illa docilis, fidelis, & quaſi benevola, dum

 nullus

nullus eſt dominus, cui ſerviant? Quænam eſt utilitas tanti in jumentis roboris cum tanta manſuetudine, dum nulli ſunt agricolæ, qui aratro ſolum proſcindant, nulli artifices, qui urbes ædificent? Quid ſibi volunt ungues in illis tam ſolidi? Numquid ad paſcendum per prata illis indigent, & non potius huic uſui nocent? Quis ab ovibus auferat nimium lanæ pondus, quo non ablato, ſquallore obruentur? Quis boves lactarias, & capellas a tanta lactis copia, qua ſub veſperam gravantur, liberabit? Cum nemo ſit, qui hæc officia præſtet, jam in excidium ipſorum gregum convertitur, quod nobis tantopere prodeſt. Sed quis greges quærat, ubi nullus eſt paſtor, qui hæc ſtupida animalia ab aliorum inſidiis, & violentia defendat? niſi forte quis melius dicat, nullas jam fore beſtias ad aliarum venationem comparatas, ubi nulla amplius reſtat præda, perditis reliquis omnibus manſuetis.

345. V. Pro illa determinate parte, quæ affirmat Deum in creatione brutorum animalium habuiſſe homines pro fine cui immediato, ſic etiam arguitur. Dato homines non eſſe finem cui immediatum creationis brutorum animalium, jam dandum eſt non poſſe niſi per injuriam cogi noſtris commodis & deliciis inſervire, nec poſſe niſi per crudelitatem a nobis pro libito occidi, & multo minus poſſe nos illis veſci. Atqui his datis ſequitur rerum omnium perturbatio, & ipſorum animalium & totius humani generis deſtructio; Nam ita jam redundant campi pecoribus, ut non ſolum nobis non relinquantur ſegetes, ſed ne ipſis quidem paſcendis ſufficiant. Quod ſi illorum numerus credatur imminui a lupis, leonibus, & aliis beſtiis ſylveſtribus, creſcet jam harum numerus ita, ut genus omne cicurum,& nos ipſos tandem devorent. Numquid ſaltem reſtabunt piſces & aves? At cum pro immenſa horum fœcunditate neceſſario debeant turmatim vivere, turmatim etiam intereant & putreſcant neceſſe erit ex defectu ſufficientis cibi ad tantam multitudinem alendam, & ſpatii & elementi ad illam continendam. Quare corrupta tandem atmoſphæra habebitur per generalem peſtem excidium totius terræ, ejuſque commutatio in horridum omnium viventium ſepulcrum.

Eſt tandem pro brutis in noſtrum uſum, & etiam cibum crea-

creatis Divinum illud teſtimonium, (1) *Omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia*. Quod ſi habuiſſent præ oculis illi, qui præcepto, (2) *non occides*, utpote generaliter expreſſo, voluerunt prohibitam eſſe cædem cujuſvis etiam bruti, nunquam incidiſſent in hoc, ut S. Auguſtinus contra iſtos dixit (3), deliramentum. Porro etſi largitio brutorum etiam in cibum legatur facta Noe, & filiis ejus finito jam diluvio, non proinde ſequitur, eſum animalium ante diluvium fuiſſe vel illicitum vel inuſitatum; Nam ut obſervat Pererius (4), illa verba vel ſunt exordium prohibitionis, quæ immediate adjungitur, edendi carnem cum ſanguine, vel ſignificant tunc incœpiſſe indigentiam eſus carnium propter infirmitatem valetudinis humanæ, & propter malignitatem terræ, & invalidam ad bene alendum hominem vim eorum, quæ humi naſcuntur. Quibus poſitis ulterius contra eam conſequentiam, quam aliqui a Suarez (5), Cornelio a Lapide (6), & Natali Alexandro (7) impugnati deduxerunt, ſic arguitur. Eſus carnium nunquam homini prohibitus fuit nec lege poſitiva, quæ nullibi habetur, nec lege naturali: quippe ratio naturalis ſuadet habere hominem propter naturæ ſuæ intellectualis excellentiam dominium omnium animalium, & horum carnes eſſe cibum ſibi convenientiſſimum, poſtquam amiſſo ſtatu innocentiæ expulſus a paradiſo terreſtri contraxit naturæ corporeæ infirmitatem, & caruit tot circumſtantiis, & privilegiis, vi quorum tunc ſibi conveniens non fuiſſet eſus carnium, quia eſſet contra temperantiam, ut ſuadet Suarez (8). Tandem quod Abel laudetur, propterea quod ex gregibus ovium, quarum paſtor erat, pinguiores obtulerit Deo, planum facit illarum uſum non ſtetiſſe in ſola lana, & lacte, ſed etiam in carne, quandoquidem ſi nemo hanc comediſſet, perinde fuiſſet illi & fratri ſuo pingues ac macilentas ſacrificare.

346. I. Objicitur. Angeli ſunt perfectiores natura hominibus:

(1) Gen. 9. v. 2.
(2) Exo. 20. v. 13.
(3) S. Aug. de Civit. lib. 2. cap. 20. col. 20.
(4) Per. in Gen. lib. 14. Utrum ante diluvium eſus carnium pag. 241.
(5) Sua. Oper. 6. dier. lib. 5. cap. 6. num. 26. pag. 285.
(6) A Lap. in Gen. cap. 9. v. 3. pag. 88.
(7) Alex. Hiſt. Eccl. Æt. 1. Diſſ. 6. pag. 81.
(8) Sua. ubi ſupra num. 14. pag. 283.

Digitized by Google

bus: ergo verius dici poteſt terram creatam eſſe in gratiam Angelorum.

Reſp. Cum Leſſio (1), & Pallavicino (2), poſt Nemeſium (3), *conc. antec.*, *& nego conſeqm*; Nam in ejus creaturæ intelligentis gratiam terra debet dici creata, quæ plus utilitatis ex illa decerpere poteſt. Certum autem eſt Angelos non poſſe aliam utilitatem ex illa trahere, quam contemplationis de ipſius compoſitione: at homo ex terra præter hanc, aliam etiam haurit, quam dicam applicationis, reſpondentem conſtitutioni ſuæ, quæ etiam corporea eſt, adeoque non ſolum uti poteſt, ſed etiam debet hac terra, ut ſubſiſtat. Meminiſſe igitur de Angelis in hac re, eſt provocare ad novum teſtimonium de ordinatione hujus terræ ad hominem, tamquam finem cui immediatum. Poſtquam enim illi cognoſcunt terram inſtructam elementis, productionibus, omnibus denique, quæ hominibus quidem uſui eſſe poſſunt, non vero ſibi, utpote naturæ ſpiritualis, jam ita profitentur terram eſſe propter homines, ut ſi hi non eſſent, dicerent illam fruſtra eſſe ſic conſtructam, quemadmodum Iſaias jam argumentatus eſt, (4) *Ipſe Deus formans terram, & faciens eam, ipſe plaſtes ejus: non in vanum creavit eam, ut habitaretur, creavit eam.*

347. II. Objicitur. Ex eo, quod homo utatur univerſa terra, non infertur, illum eſſe finem cui immediatum ipſius creationis. Probatur aſſumptum illo apologo Cardinalis Pallavicini, in quo ſic pulices argumentantur (5). Nos tum ad procreationem, tum ad victum utimur multis animantibus, & homine ipſo, qui utitur univerſa terra: ergo nos ſumus finis cui immediatus creationis omnium animantium, & hominis ipſius, & univerſæ terræ: Tam igitur inepta eſt prædicta illatio, quam eſt ridicula hæc pulicum argumentatio.

Reſp. diſt. aſſumptum. Ex eo quod homo utatur utcunque univerſa terra, illud non infertur, *concedo*, ut ſuadet apologus: ex eo, quod homo utatur univerſa terra, & brutis ipſis, quæ in ea ſunt, eo modo, quo illum videmus uti, & quo fingi nequit dicturos pulices ſe uti, nec ulla bruta poſſunt imitari, non bene illud infer-

(1) Leſ. de Immort. ani. num. 29. pag. 633.

(2) Pall. del Bene. lib. 3. cap. 19. pag. 375.

(3) Nem. Phil. lib. 1. cap. 4. pag. 482.

(4) Iſai. 45.

(5) Pall. del Bene. ubi ſupra.

infertur, *nego aſſumptum*. Hanc interea objectionem ſatis ſerio Michael Montagne, & Pope apud citatum Roberti urgent ad arguendos erroris & contradictionis, quotquot propter homines bruta arbitrantur fuiſſe creata. Hæc, inquiunt, ſi loquerentur, nonne jure dicerent, homo ſollicitus continuo eſt de noſtro cibo, potu, & deliciis, ipſe nos ducit nos per prata, defendit ab hoſtibus, providet de tecto, ſudat ipſe nobis, laborat, angitur: ergo ſibi contradicit homo, qui nos in ejus gratiam naſci credit, cum ille serius nobis naſcatur. At reſpondetur his brutorum cauſidicis, *conc. antecedens*, & *nego conſeqm*, quæ quam male cum illo connectatur, ipſi iidem agnoſcent, ſe nel quod advertant ſimile antecedens inſtitui poſſe pro lino & braſſica & plantis omnibus utilibus, quin tamen velint, credo, ſimilem conſequentiam. Cura igitur brutorum ſicut & plantarum, quam ſuſtinemus, infert ſolum in illa habere nos partim ſolatium quoddam, partim pœnam peccati originalis, adeoque exercitium virtutis.

348. Inſtabunt ex dictis ſupra. Saltem non ita bruta creata ſunt pro nobis, ut liceat illa occidere, & devorare, quod injuſtum, crudele, & pluſquam ferinum eſt relate ad oves & boves, poſtquam ab his opem in Agricultura, ab illis lac & lanam decerpſimus. Quid enim magis iniquum, quam deſtruere rem perfectiorem in uſum imperfectioris, ſcilicet brutorum vitam & animam in uſum corporis? Quid crudelius, quam torquere innoxia? Quid immanius, quam accepta ab illis beneficia ſecuri malleo jugulatione laniatu, & tandem epulo ex illorum carnibus inſtructo compenſare? Vincit hoc luporum immanitatem, qui ſi cætera animalia mactant & devorant, ſaltem nulla unquam ex illis beneficia receperunt.

Reſp. nego aſſumptum, pro quo nullas eſſe adductas rationes plane demonſtratur. Occiduntur enim bruta ad uſum etiam cibi noſtri ſine ulla imprimis injuſtitia, quia a Deo omnium creatore conditos non eſſe intelligimus dominos brutorum, ut poſſimus de illorum opera & vita in uſus noſtros diſponere. Homo enim prout vivus eſt, perfectior eſt animis brutorum, quippe anima rationalis, qualis eſt in homine, toto genere perfectior eſt anima irrationali, quæ eſt anima brutorum: idemque brutorum carnibus veſcitur non ad reparandum corpus, prout præciſe corpus eſt,

eſt, ſed ut eſt quaſi domicilium animæ, quod dum conſervat, animam a dolore & moleſtia liberat.

Rurſus occiduntur ſine ulla crudelitate, quia etſi certi ſimus illa pati in hac occiſione, quando non velimus ea habere pro meris automatis, certi etiam ſumus pati tamquam bruta, hoc eſt tantum quantum poſtulat ea machinæ illorum præſens alteratio, quam ſtatim vel brevi ſequitur mors. Nam anima illorum incapax eſt prævisionis & ſollicitudinis circa futurum, nec ullius reflexionis ſupra id quod operetur, nec ſupra id quod ſunt. Quare vita dum illis ineſt, pertinet ad illorum felicitatem, nec, cum iis ſubtrahitur, reddit illa miſera, quippe ex improviſo carent bono vitæ, quin illa, quid ſit hoc bonum, cognoſcant, aut de hac privatione unquam cogitaverint. (1) *Beſtia*, ſic jam olim S.Bonaventura, *non eſt capax miſeriæ; ſolum enim ille eſt miſer, qui vel ſcit ſe miſerum, vel ſcire debet, cum malum habet*.

Tandem occiduntur bruta ſine ulla ingrati animi aut immanitatis reprehenſione; Hæc enim non habet locum, quoties beſtiæ nulla in nos conferant proprie talia beneficia, quemadmodum ex ipſa beneficii notione demonſtratur, quæ requirit, ut qui dat alteri aliquid boni, id faciat cognoſcens bonum ſe largiri, & libere largiatur. Proinde ex defectu utriuſque conditionis, nec res inanimes etſi nobis maxime utiles, ut campi & plantæ: nec boves aut oves, aut alia irrationalia animalia benefica nobis ſunt. Et tantum abeſt, ut in illis ſit bona voluntas nos juvandi, ut vi debeant aſtringi ad opus, & omne id, quo nobis proſunt, præſtandum.

349. III. Objicitur a G.Lamy in ſuo opuſculo gallico, *Explicatio mechanica animæ ſenſitivæ*, Pariſiis edito anno 1678, & poſt illum ab Auctore A.D. tractatus pariter gallici, *de Anima brutorum* (2): Saltem homo poſtquam peccavit, non eſt amplius dominus brutorum: ergo injuſte & crudeliter diſponit de illorum vita.

Reſp. nego antecedens. Dominium traditum homini innocenti (3) *Dominamini univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram*, ſive ut idem alibi deſcribitur, (4) *Dedit illi poteſtatem eorum*

(1) S. Bon. in 2. ſent. diſt. 19. art. 1. qu. 1. ad 2. pag. 263.
(2) A. D. cha. 1. pag. 75.
(3) Gen. 1. v. 8.
(4) Eccli. 17. v. 3.

eorum, quæ ſunt ſuper terram, poſuit timorem illius ſuper omnem carnem, & dominatus eſt beſtiarum & volatilium, non ſolum nullibi legitur ablatum illi fuiſſe poſt peccatum: quin immo per eadem fere verba declaratur confirmatum Noe, & filiis ejus poſt diluvium, (1) *Terror noſter ac tremor, ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cæli cum univerſis, quæ moventur ſuper terram, & omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia*. Rationem etiam affert Suarez (2) poſt Pererium, cur homini etiam poſt peccatum conveniat dominium brutorum, quia ſcilicet (3) *hoc ipſi debetur propter naturæ rationalis excellentiam, quam non perdidit homo poſt peccatum .... Ille enim peccando non amittit imaginem Dei in animo ejus naturaliter expreſſam, propter quam potiſſimum cunctis animalibus dominari dicitur*. Quam rationem quot jam ex Patribus attulerint, docebit Petavius, de illis mentionem faciens (4), qui hominem dicunt eſſe ad imaginem Dei, quia habet prærogativam liberi arbitrii, quæ eſt facultas rationis & voluntatis. Eamdem expreſſit S. Auguſtinus dicens, (5) *juſtiſſima ordinatione Creatoris vita & mors animalium irrationalium noſtris uſibus ſubditur*; Juſtiſſimæ enim ordinationis nomine intelligit ordinem a Deo conſtitutum, ut (6) *imperfectiora cedant in uſum perfectorum*, quemadmodum in hac ipſa re dicit S. Thomas, & alii paſſim, qui ipſum commentariis illuſtrarunt. Quibus de cauſſis eſt ſine controverſia apud Theologos, dominium quidem convenire homini etiam poſt peccatum ſupra bruta, ut de ipſa eorum vita libere poſſit diſponere: Sed cum ante peccatum eſſet hoc dominium tranquillum, & facilis uſus etiam in ordine ad feras, quæ tunc, ex ſententia S. Thomæ, (7) *per ſe ipſæ homini obedivissent, ſicut nunc quædam domeſtica ei obediunt*, evaſit poſt peccatum difficile & cumulatum anxietate; quippe homo peccator non amplius invenit bruta morigera, ſed renitentia, & plena ipſius terrore: & in hoc ſolum ſenſu dici poteſt hominem poſt peccatum

Ddd non

(1) Gen. 9. v. 2.

(2) Suar. Oper. 6. dier. lib. 5. cap. 16. num. 8. pag. 154.

(3) Per. in Geneſ. lib. 4. De Imperio hominis in animalia pag. 175.

(4) Pet. de Opific. lib. 2. cap. 4. nu. 4. pag. 163.

(5) S. Aug. de Civit. lib. 1. cap. 20. col. 20.

(6) S. Tho. 1. pa. qu. 96. art. 1. O.

(7) Id. ibi. ad 4.

non habere dominium plenum brutorum, quemadmodum dicunt aliqui.

Quod Lamyus occurrat (1) dicens, male inferri dominium in bruta ex conceſſa facultate utendi in cibum illorum carnibus, non urget; Optima enim revera concluditur eſſe ea illatio, quia nulla eſſet ea facultas, ſi homo non haberet jus diſponendi de illorum vita. Quoniam autem ea ab ipſo negatur, jam planum facit habere ſe particularem quamdam notionem dominii, vel fortaſſe confundere illam dominii ſpeciem, quæ dicitur juriſdictionis cum illa, quæ proprietatis appellatur. Prima reſpicit entia rationalia, utpote quæ definitur jus gubernandi, ſcilicet imperandi & judicandi ſubditos intelligentes. Qui agnoſcunt in quibuſdam brutis animam capacem cognitionis ſenſibilium, memoriæ, ac experientiæ, dicunt hominem habere de illis quoddam quaſi juriſdictionis dominium, quia iis aliquo modo imperat, eaque homini obediunt. Hinc S. Thomas dixit, (2) *hominis gubernationi alia animalia ſubdi*, & quæ ſunt (3) *domeſtica ei obedire*. Secunda dominii ſpecies reſpicit ea, quæ ſunt mere corporea vel irrationalia, & eſt facultas diſponendi de re tamquam ſua in proprium commodum, ut cum communi definitur a Platelio (4). Sed quoniam ille non profert, quid intelligat nomine dominii, non divinabo, ſed juxta communem ejuſdem acceptionem dicam, illationem eſſe neceſſariam. Illud ſolum addam Carteſianum, qui bruta credens eſſe meras machinas negat, licitum eſſe iis pro libito uti, vel minus ſibi cohærere, vel cogi negare licitum nobis eſſe etiam uſum liberum plantarum.

Confirmatur I. hoc dominium per illud, (5) *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves & boves & pecora, volucres & piſces*, quæ dicta ſunt de homine, prout nunc naſcitur peccator: Et quando Apoſtolus (6) ea verba interpretatus eſt de Chriſto, aſſignavit eorumdem ſenſum allegoricum, ſed non excluſit literalem, ut facit idem Lamyus contra communem Interpretum animadverſionem, ut videre eſt apud Bellarminum (7). Confirmatur ſecun-

(1) Lam. Repouſe auſr. Galattheau. pag. 274.
(2) S. Tho. ubi ſupra ar. 1. O.
(3) Id. Ibid. ad 4.
(4) Plat. de Juſtit. num. 320. pag. 307.
(5) Pſal. 8.
(6) Ad Hebr. 2.
I. ad Corin. 15.
(7) Bellar. in Pſal. 8. v. 7. pag. 41.

ſecundo ex tot illis legibus, quæ in utroque Jure reperiuntur de dominio animalium, quod homini vel ſtatuitur, vel ſupponitur convenire: & ex illa differentia, quam Theologi, ut Platelius, (1) ſtatuunt inter dominium proprietatis hominis in hominem, & dominium proprietatis hominis in bruta, & alia bona, quorum ſecundum dumtaxat vocant plenum, quia poteſt hæc etiam deſtruere: & ex tot illis tractatibus,quos de eadem re tamquam certa tot tantique Jureconſulti & Theologi perſcripſerunt, inter quos ſunt Grotius, & Puſendorfius, ubi agunt de Venatione, & Caſtropalaus (2), complectentes diverſas controverſias, quæ pro diverſis circumſtantiis ſolent intervenire, quorum omnium perfectam ignorantiam Adverſarius hac ſua objectione profitetur.

350. IV. Objicitur. Illud Geneſeos, *omne quod vivit, erit vobis in cibum*, probat dumtaxat eſum carnium conceſſum fuiſſe expreſſe, non vero imperatum; Sic enim communiter Patres & Theologi interpretantur, & loquuntur, advertentes cum Suarez (3), Bedam uſum fuiſſe verbo imperandi, loco concedendi: & laudabiles propterea eſſe illos, qui ſemper vel certo tempore ad ſalutarem corporis afflictationem a carnibus abſtinent: ergo ex illo teſtimonio non infertur, eſum carnium conferre ad bonam valetudinem magis, quam abſtinentiam ab illis. Quod confirmatur ex longæva vita hominum ante diluvium, cujus cauſa partialis ex multis, quas non ſemel numerat Pererius (4), erat etiam ſobrietas, & continentia in victu & potu.

Reſp. conc. antec., & nego conſeqm. Cum multæ ſint rationes, propter quas abſtinentia a carnibus non ſolum in Eccleſia Catholica, ſed apud omnes gentes, & omni tempore commendata fuit, illa neutiquam eſt, quod valetudini proſit, & vitam producat. Hæc obtinentur felicius per temperantiam, quæ eſum carnium admittit, cui poteſt ex parte tribui, ſi placet, longa hominum ante diluvium vita, non vero abſtinentiæ a carnibus, quæ ex dictis (§. 345.) falſo ſupponitur fuiſſe tunc in uſu communi.

 SECTIO

(1) Plat. de Juris nat. num 544. pag. 321.

(2) Caſt. de Juſti. in gen. pun. 12. & ſeq. pag 42.

(3) Sua. Oper. 6. dier. lib. 5. cap. 6. num. 26. pag. 281.

(4) Per. in Gen. lib. 7. De Longitudine vitæ ante diluv. qu. 3. pag. 558. Id. Comm. in Dani. lib. 1. ad cap. 1. v. 8., pag. 38.

SECTIO V.

Homines non fuerunt finis cui immediatus, ſaltem unicus, creationis aliarum a terra longe ſejunctarum partium Mundi.

351. HÆc pars habet Adverſarios Philoſophos, qui admittentes influxum phyſicum corporum cæleſtium in omnes & ſingulas terræ viciſſitudines, determinant hunc eſſe finem illorum creationis. Philoſophis adjunxerunt ſe agmine facto Aſtrologi omnium temporum, ex quibus tamen illos, qui Cælos propter phyſicum influxum etiam in animas noſtras, & operationes dixerunt eſſe, jamdiu non ſolum vera Theologia, Divinæ Fidei documentis innixa, ſed melior etiam Philoſophia vel expugnavit, vel diſſipavit, ut planum feci alibi (1). Quare ſoli reſtant Aſtrologi, qui dicunt Cælos & Cæleſtia corpora creata eſſe non quidem in cauſas, ſed in ſigna eorum omnium, quæ hic in terra ſucceſſive accidant, etiam dependentia a libero cujuſque hominis arbitrio, quæ proinde poterit quis prænunciare, qui ſibi ex obſervationibus, quaſi Dictionarium quoddam condiderit de ſignificatione ſingularum mutationum in motibus ſiderum, & mutuis inter ſe combinationibus. Deus enim infinite intelligens, novit ab æterno quæcunque eventura erant etiam ex parte hominum, idemque infinite potens ita diſponere potuit motus illos, & illorum diverſas inter ſe collocationes, diſtantias & figuras, quas inter ſe ſucceſſive varias obtinerent, ut eſſent quaſi totidem verba ſignificantia hujuſmodi terreſtres & humanas viciſſitudines. Simili modo ſuam ipſi opinionem concludentes, toti ſunt in conquirendis hujuſmodi verbis, & intelligendo illorum ſenſu, ex quorum magna collectione conſtat illa Ars, quam vocant Aſtrologiam. Nec defuerunt docti etiam homines, ut ait S. Auguſtinus (2), qui horum opinioni ſuffragari crediderunt quædam Scripturæ loca. In his poſt Auguſtinum eſt Julius Sirenus: ante illum Plotinus, Origenis condiſcipulus, & ipſe Origenes,

(1) Diſſ. de Cau. Eſſic. num. 360. pagin. 110.

(2) S Aug. de Civit. Dei lib. 5. cap. 1. col. 115.

nes, ſi credimus Euſebio (1), qui ejuſdem concepta verba in Geneſim deſcribit, quæ Suarez (2) dicit non inveniri in iis, quæ ſuper Geneſim ex Origine extant. Horum argumenta penitus evertunt Pererius (3), & Jo Baptiſta Nocetus in ſuo de Aſtrologia opuſculo, quod anno 1663 oppoſuit, credo, auctoribus ephemeridum ſui temporis, qui multas in iis miſcebant prædictiones futurorum, quæ omnino ab humana libertate dependent, utentes loquutionibus ethnicam impietatem redolentibus, dum Saturno, Jovi, Mercurio, cæteriſque ſideribus tribuebant pacem aut bellum, divitias aut paupertatem, matrimonia aut funera, alioſque influxus in hominum aut mulierum mores, non ſecus ac noſtris etiam temporibus faciunt hujuſmodi anniverſarii libelli, miſera ignorantis vulgi occupatio.

352. Pro eadem opinione nobis contraria, quin tamen deſcendant ad Aſtrologicas nugas, citantur Ariſtoteles, Tullius, Seneca, & Plinius in Præfatione ad librum ſeptimum ſuæ hiſtoriæ, quanta autem cum veritate alii viderint. Novi equidem horum aliquos non dicere, creata omnia eſſe ſolius hominis gratia, ſed hominum & Deorum. Ita Tullius (4) mundum dicit, factum in gratiam hominum & Deorum: idemque alibi laudat Chryſippum, qui dixerit (5) *cætera nata eſſe hominum cauſa & Deorum.* Citantur rurſus tamquam nobis oppoſiti multi SS. Patres, & omnis generis Auctores. Profertur illud S. Auguſtini (6) *Omnia quæ facta ſunt, in uſum hominum facta ſunt*, cui conſonant illa, quæ in ſermone eidem S. Doctori attributo ſic habent, (7) *Homo cara & amica poſſeſſio Dei, homo cujus cauſa firmatum eſt Cælum, & extenſum mare, fundata eſt terra: propter quem ſol oritur & occidit, Luna creſcit & deficit, aſtra micantia ſurgunt*, &c. Similia producuntur ex Origene (8), Philone (9), Gregorio (10), & Lactantio (11), quorum teſtimonia collegit Trombellius (12) diſſer-

(1) Euſeb. Præp. Evang lib. 6. cap. 9.
(2) Sua. Oper. 6. dier. lib. 2. cap. 9. num. 4. pag. 121.
(3) Per. in Geneſ. lib. 2. Diſp. adverſus aſtrologos cap. 4. pag. 185.
(4) Tull. de Nat. Deo. lib. 2.
(5) Id. de Fin. lib. 3. num. 20. juxta Olivet. pag. 200.
(6) S. Aug. lib. 83. qu. 30. col. 9.
(7) Id. Serm. 225. de Tempore.
(8) Orig. cont. Celſ. lib. 4. num. 20.
(9) Phi. de Mund. Opific.
(10) Greg. Ma. Hom. 29. in Evang.
(11) Lact. de Ira Dei cap. 13. pag. 714. Id. de Divin. præmio cap. 5.
(12) Trom. tom. 2. par. 1. diſſ. 1. in epiſt. Hilarii.

diſſertatione, quam edens opuſcula quædam veterum Patrum nunquam antea edita, de hac re concinnavit. Quibus addam illud S. Eucherii (1) *Cernis ut cuncta ornamenta Cæli, Dei verbum, mandatumque infatigabili obſervatione conſervent? Nunquid nos, quorum iſta uſibus fabricata ſunt, præceptum Dei ſurda aure tranſibimus?* Et illud Andreæ Hieroſolymitani, (2) *Propter hominem Deus Cælum condidit, terram firmavit, aera expandit, dilatavit maria, omnem denique quæ oculis ſubjecta eſt, molem & fabricam ſuſpiciendam effecit.* Alios etiam pro eadem opinione Authores citat Jo. Chriſtophorus Wolfius (3), quibus addo Leonardum Leſſium (4), & Hugonem Grotium (5), qui ait *Aſtrorum curſus, ut Philoſophorum potiſſimi agnoſcunt, & experientia ſatis demonſtrat, ordinati ſunt ad uſum hominum*: & tot illos, qui vel docuerunt, vel crediderunt ab Angelis moveri Cælum, & ſingula corpora cæleſtia in gratiam hominum: & illos tandem, qui propterea dicunt hominem vocari Microcoſmum, quia omnes ejus partes etſi tam inter ſe diverſæ, & ad diverſas inter ſe diſtantias poſitæ neceſſariæ ſunt ad percolandos, attenuandos, & aptandos humores omnes ad ejus vitam neceſſarios, quemadmodum omnia corpora cæleſtia neceſſaria ſunt ad præparandas opportunas influentias ad conſervationem noſtræ telluris.

353. Probatur jam hæc pars. Vera Philoſophia certa jam eſt de magnitudine, & multitudine nobis innumerabili corporum cæleſtium: Sed hæc non poſſunt dici creata eſſe in gratiam ſolius hominis: ergo. Minor ſuadetur I., quia propter illorum diſtantiam, oculis nudis pleraque ne videntur quidem. II. quia repugnat ratio illa, qua innituntur, qui id concludunt, ſcilicet ea ſaltem, quæ viſibilia nobis ſunt, poſſe ex Divino conſilio iis, qui advertant eorum diverſas combinationes, eſſe ſigna terrenarum viciſſitudinum; Imprimis enim unum idemque ſignum conſtans ex tali ſiderum inter ſe collocatione non poteſt contradictoria, aut contraria, aut diſparata ſimul ſignificare, quod dici deberet, ſemel quod dicantur ſignificare etiam actiones humanas; Quoties enim accidit, ut ſimul in uno loco congregati ſint, qui toto

(1) Euch. Parænef. ad Valeri.
(2) And. Ser. de Salutat. Angeli.
(3) Wol. Manichæ. ſec. 3. num. 37. pag. 18.
(4) Leſſ. de Provi. num. 62. pag. 641.
(5) Grot. de Verit. Rel. lib. 1. §. 11. pag. 492.

toto Cælo diverſa ineunt conſilia. Deinde, ut arguit Daniel Bartoli (1), repugnat cogitare Deum ſtatuiſſe in Cæleſtibus hujuſmodi ſigna, quæ ſemel cognita hominibus plerunque nocerent, & ſibi gloriam adimerent: Quod hujuſmodi cognitio plerunque noceret, ſuaderi facile poſſet producendo ex hiſtoriis ingentes perturbationes in ordine civili naturali & morali, quæ ex hac credulitate provenerunt. Brevi dicam, quod quotquot via hac crediderunt mala ſibi prænunciari, jam hoc inſuper malum ſibi compararunt, ut continuo timore hujus prævisi mali angerentur, ſi juxta Aſtrologiæ placita illud inevitabile cenſuerunt, vel ſi ab hujuſmodi placitis ex hac parte receſſerunt, in immania facinora, & ipſa parricidia, ut illa impedirent, effrœnes irruerunt: Sin autem bona crediderunt ſibi prædici, jam magno ipſorum & reipublicæ damno vel inertes, vel incauti, vel temerarii, vel ſceleſti evaſerunt. Quod rurſus eadem ex ſideribus præſumpta cognitio futurorum gloriam Deo adimat, ſuadetur, quia ubi determinatos ſiderum motus & occurſus, quos conſtantes videmus, connexos credamus cum determinatis eventibus, qui nos tangant, quinam locus reſtat ſperandi alia via quicquam boni, aut timendi aliquid mali? Quidnam evadit Dogma Divinæ Providentiæ, niſi nomen ſine re? Nonne aditus ad totam Fataliſmi perverſitatem aperitur ampliſſimus? Teſtis eſt Tiberius, de quo dicitur fuiſſe circa Deum & Religionem negligentior, quippe addictus mathematicæ, perſuaſioniſque plenus, cuncta fato agi. III. contra eamdem opinionem eſt illud Scripturæ, (2) *Multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo ſcire poteſt nuncio*: cui conſonant toties repetitæ deteſtationes hariolorum, quorum exercitium inter peccata recenſetur (3), & illorum irriſiones, qui his auſcultarunt, (6) *Salvent te Augures Cæli, qui contemplabantur ſidera, & ſupputabant menſes, ut ex eis annuntiarent ventura tibi.* Quare jam communis opinio eſt, ſidera quidem errantia poſſe eſſe totidem quaſi terras habitatas ab aliis creaturis ſpecie diverſis a nobis, pro quibus immediate creatæ ſint, ſicuti pro nobis tellus noſtra creata eſt: Sidera vero inerran-

(1) Bart. Ricr. del Sav. lib. 2. cap. 14.
§. Conceduto pag. 505.
(2) Eccle. 8. 7.

(3) I. Reg. 15. 23.
IV. Reg. 21. 6.
(4) Joan. 47.

errantia eſſe totidem ſoles pertinentes ad alia ſyſtemata Planetaria, ut ſupra (§. 15.) jam dixi.

354. Quod pertinet ad Patres, qui objecti ſunt: Imprimis ad S. Auguſtinum dico, eo Adverſarios manifeſte abuti tamquam ſibi favente. Ipſius enim verba non ex toto allata ſunt, ſed omiſſa, quæ ad intelligendum ſenſum, in quo illa ibi dicuntur, omitti ſincere non poſſunt. Integer igitur textus hic eſt, *Omnia ergo quæ facta ſunt, in uſum hominum facta ſunt, quia omnibus utitur judicando ratio, quæ homini data eſt*. Jam vero ſi juxta S. Doctorem in eo conſiſtit, omnia facta eſſe ad uſum hominum, quod ratio ipſius poſſit uti quidem omnibus, ſed judicando, hoc eſt, ut idem explicat, referendo omnia ad Deum intelligendum, jam Auguſtinus dicit, poſſe nos uti corporibus etiam cæleſtibus, ſed quatenus dumtaxat per hæc poſſumus aſcendere ad majorem ſemper cognitionem Dei, & infinitæ ejus perfectionis, in quo non habetur alius uſus, niſi ille, quem haurire poſſunt ab hac noſtra terra Angeli, & alii, ſiqui ſunt aliorum corporum cæleſtium habitatores rationales, qui certe non dicuntur eſſe unicus finis cui immediatus creationis terræ. Hæc & non alia eſt ibi mens Auguſtini in ſuperioribus plane expoſita, quare verba citata habent notam concluſionis, in quibus docet hominem uti *omnibus & ſenſis & non ſenſis*, quoties omnia ad Deum referat, ſicuti Deus ipſe jubet.

Quod pertinet ad alios Patres, dico primo aliquos ex illis, dum dicunt hominis cauſſa omnia facta eſſe, intelligi poſſe de omnibus, quæ ſunt in terra eo modo, quo illud quod ſcriptum eſt de homine, (1) *Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*, ſtatim explicatur, & limitatur, *oves & boves univerſas: inſuper & pecora campi: volucres Cæli, & piſces maris*. Alios vero, quorum verba interpretationem hanc non patiuntur, neque aliam, quæ nobis non adverſetur, dicendum eſt loquutos eſſe convenienter ad eas cognitiones, quas tunc ſatis imperfecta Aſtronomia præſtabat, quæ nec Saturni, nec Jovis ſatellites cognoſcebat, nec de ea magnitudine ac numero ſtellarum cogitabat, quemadmodum jam cogitandum eſſe in comperto eſt. Limitabantur igitur cognitiones ipſorum ad cor-

(1) Pſal. 8. v. 8. & 9.

Digitized by Google

corpora hæc terreſtria, & ad ea, quæ ſupra nos nudis oculis videmus, ex quibus jure colligebant omnia materialia propter hominem facta eſſe, cum nullam creaturam inter illas, quæ materia etiam conſtent, homini parem cognoſcerent, aut ſuſpicarentur eſſe. Dico ſecundo cum Jo. Clerico (1), & Pluche (2) doctrinam Patrum, quod hominis cauſa effecta ſint omnia, quæ cernimus oculis, & quæ in iis, & etiam extra illa congruenter arguimus eſſe, ſumi debere dumtaxat in ſenſu poſitivo relate ad nos, non vero in ſenſu, qui excludit a ratione finis cui immediati etſi non ultimi alias creaturas rationales, quas Deo placuerit in ſingulis etiam corporibus cæleſtibus incolas conſtituere. Et ratio eſt, quia in hypotheſi quod adſint in corporibus cæleſtibus aliæ creaturæ rationales, quæ immediate ſint finis cui creationis illorum, adhuc verum eſt etiam hominis cauſa illa facta eſſe, non ſolum quia hæc rationem noſtram exercent, & ad Dei majorem cognitionem deducunt, ſed etiam quia tota rerum creatarum congeries, cum invicem connexa ſit aliquo modo, quem Nevutoniani dicent eſſe per leges Attractionis, jam omnia ad nos & noſtram etiam terram ſpectent neceſſe eſt.

Quod pertinet ad illos, qui Angelorum miniſterio Cælos circumduci dixerunt, poſtquam demonſtratum eſt, hujuſmodi motus eſſe neceſſarios effectus virium centripetarum, & projectionis, illorum opinio jam evanuit.

Quod tandem pertinet ad nomen Microcoſmi, illud attributum eſt homini, non quia in Mundo, quem dicemus magnum, adſit circulatio quædam per diverſa ejus corpora & Planetas, & quaſi præparatio ad influentias in hanc noſtram terram, quas vera Philoſophia nullas ex alibi (3) dictis eſſe oſtendit, ſed vel quia, ut ſupra (§. 113.) dixi, componitur homo ex corpore & ſpiritu, ſicuti mundus totus conſtat ex naturis corporeis & ſpiritualibus: vel quia in ſe complectitur quatuor rerum omnium genera, utpote qui habet a Deo, ut loquar cum S. Auguſtino, (4) *eſſentiam etiam cum lapidibus, vitam ſeminalem etiam cum arboribus, vitam ſenſualem etiam cum pecoribus, vitam intelle-*

(1) Cler. in notis ad §. 11. lib. 1. Grotii de Verit. Relig pag. 18.

(2) Pluc. Spectac. de la Nat tom. 4. par. 2. Entr. 6. §. La grande objection. pag. 498.

(3) Diſſ. de cauſſ. Efficien.

(4) S. Aug. de Civi. lib. 5. cap. 11. col. 126.

Qualem cum ſolis Angelis: vel quia, ut alii cum Aldrovando (1) dicunt, videas ſpeciem Cæli in ejus cerebro, ſicuti S. Auguſtinus (2) jam dixit, Angelorum in mente, Solis in fronte, Stellarum in oculis, Planetarum in ſenſibus, Fluminum in venis, Lapidum in oſſibus, & alias aliarum rerum, maxime hujus terræ magis a nobis cognitæ, ſimilitudines, quas diſtinctius proponunt Pererius (3), Petrus Papi (4) & elegantiſſime Joannes Ciampoli (5): vel quia, ut brevi dicam, homo eſt opus, quod præſefert, & ipſis etiam oculis ſubjicit ſapientiam artificis Divini æque, ac totus mundus nobis adſpectabilis. Propter quam cauſſam cenſuit Segnerius (6), poſt S. Gregorium Nazianzenum (7) hominem dicendum potius eſſe megacoſmum incluſum in microcoſmo, quam microcoſmum, ſicuti illum primus appellavit Democritus juxta Nicetam in ſcholiis ad citatum Nazianzeni locum.

355. Objicitur. Luna creata eſt in gratiam ſolius hominis; Nam creata eſt in gratiam ſolius terræ, quæ non dubitatur eſſe propter ſolum hominem: ergo etiam Sol creatus eſt propter ſolum hominem. Similiter Stellæ omnes creatæ ſunt propter ſolum hominem. Probatur conſequentia, quia in Geneſi (8) habemus Deum feciſſe Solem & Stellas eadem die quarta, qua fecit Lunam.

Reſp. tranſeat antec., & nego conſeq., quam non ſuadet adducta obſervatio; Nam ſicuti ex eo quod Luna condita ſit eadem die, qua Sol & Stellæ, quæ lucent propria ſibi luce, nemo inferet illam propria luce lucere, ita ne inferre quidem poteſt Solem & Stellas condita eſſe propter ſolum hominem, quia ſunt condita eadem die, qua condita eſt Luna, quæ eſt propter hominem.

Inſtat Cadonicus (9): In Geneſi habetur (10) *Fiant luminaria .... ut luceant in firmamento Cæli*, & paulo infra (11) *Fecit Deus*

(1) Ald. Monſtrorum hiſt. cap. 1. pag. 4.
(2) S. Aug. de Gen. ad lit. lib. 7. numer. 20. col. 217.
(3) Per in Dan. lib. 4. ad cap. 3. v. 74. pag. 248.
(4) Pap. Sacra critica. pag. 30.
(5) Ciam. Profe. Diſc. 1. cap. 8. p. 24.
(6) Segn. Incredulo. par. 1. cap. 15. num. 1. pag. 30.
(7) Naz. Orat. 2. in paſch. pag. 443.
(8) Gen. 1. v. 16.
(9) Cad. Confu. di Derham. §. 24. pag. 303.
(10) Gen. 1. v. 15.
(11) Gen. 1. v. 17.

Deus duo luminaria magna.... & Stellas, & poſuit eas in firmamento Cæli, ut lucerent ſuper terram: Sed hæc ſignificant Stellas omnes creatas unice eſſe ad hunc finem, ut luceant in gratiam terræ, adeoque hominis: ergo

Reſp. conc. mai. & nego min. Nam imprimis Scriptura dicens *ut luceant* exprimit quemdam finem, ſed non dicit hunc fuiſſe unicum finem creationis Stellarum. Deinde quod Scriptura uno in loco dicit lucere ſuper terram, paulo ante dixit lucere in firmamento cæli: ſicuti igitur ex eo, quod dicatur aliquid creatum ut luceat in firmamento, non ſequitur illud creatum eſſe in gratiam ſolius hominis, ita ne hoc quidem ſequitur ex eo, quod dicatur creatum ut luceat ſuper terram, præſertim cum Stellas lucere ſuper terram proprie ſignificet, illas lucere procul a terra, quod de omnibus verum eſt, etiam de iis, quas nemo hominum videt ſine teleſcopiis, & de aliis, quas ultra vias teleſcopii conjicimus exiſtere.

SECTIO VI.

Deus in creatione ſingularum partium hujus mundi habuit pro fine cui immediato illum, qui in multis illarum eſt evidens.

356. HÆC pars habet contra ſe primo Epicureos, qui volunt vel a neceſſitate natum eſſe uſum rerum, vel ab illarum arbitraria applicatione ab hominibus facta ad certos uſus. Ex horum mente Lucretius habet (1).

.... Nil ideo natum eſt in corpore, ut uti
Poſſemus, ſed quod natum eſt, id procreat uſum.

Et poſt multa generaliter concludit,

Quare etiam atque etiam procul eſt, ut credere poſſis
Utilitatis ob officium potuiſſe creari.

Hunc imitatus eſt Spinoſa irridens illos, qui credant *oculos ad videndum, dentes ad maſticandum, herbas & animantia ad alimentum, Solem ad illuminandum*, & generaliter *omnes cauſas finales, nihil niſi humana eſſe figmenta* pronunciat. Cum eo & ſibi ſimi-

(1) Lucr. li. 4. v. 821.

ſimilibus, etſi Clarkius hæc referens (1), diſputandum amplius non eſſe cenſeat, utpote hominibus, qui nulli cedere evidentiæ, vel demonſtrationi ſtatuerunt, nihilominus juvabit propoſitum declarare.

Secundo eſt contra Carteſium, qui negat evidentem eſſe finem immediatum ullius rei creatæ, ac proinde (2) *totum*, inquit, *illud cauſarum genus, quod a fine peti ſolet in rebus phyſicis nullum uſum habere exiſtimo; Non enim abſque temeritate me puto poſſe inveſtigare fines Dei*. Quibus ſimilia deinde dixit in ſuis Principiis (3). Cui cum Gaſſendus objeciſſet, (4) *temeritatis eſſe fines illos Dei inveſtigare, quos ipſe occultos voluit, non vero quos in propatulo poſuit, ac ſunt aliunde hujuſmodi, ut laus magna ad ipſum Deum referatur*, repoſuit, (5) *fingi non poſſe aliquos Dei fines magis quam alios in propatulo eſſe*. Carteſium ſequuti ſunt Petrus Poiretus (6), & Stephanus Chauvinus (7).

357. I. Itaque arguitur a Sapientia Creatoris, quam impie negant, qui negant ſingula condita eſſe ad certos proprioſque ſingulis fines. Plato, qui præter mundum ſenſibilem admiſit mundum intelligibilem, judice S. Auguſtino, ſic (8) *nuncupavit ipſam rationem ſempiternam, atque incommutabilem, qua fecit Deus mundum: quam qui eſſe negat, ſequitur at dicat, irrationabiliter Deum feciſſe, quod fecit; aut cum faceret, vel antequam faceret, neſciſſe quid faceret*. Huc pertinet illa Theologorum doctrina, qua cum S. Thoma docent, Deum ex objectis creatis, (9) *velle hoc propter hoc*, ſcilicet velle unum ordinatum ad aliud, tamquam *finem cui: ſed non propter hoc velle hoc*, ſcilicet non velle unum, quia aliud eſt ipſi ratio volendi, ſive eſt *finis cujus*.

Rurſus a poſteriori ſic arguitur. Singulas mundi partes habere immediatum finem, cui deſtinatæ ſint a ſuo Creatore, in multis clare apparet, ſi illis in alia ratione diſtantiæ numeri menſuræ inter ſe poſitis, vel aliter constructis, nulla vel minor

ſit

(1) Cla. A demonſt. of God, prop. 9. coroll. 3. pag. 75.

(2) Cart. Medit. 4.

(3) Id. Princ. par. 1. num. 28.

(4) Gaſſ. Objec. quintæ ad medit. 4.

(5) Cart. Reſp. ad object. quintas. Objec. in Medit. 4.

(6) Poir. Cogit. rationales, li. 3. c. 15. num. 8. & ſeq.

(7) Chau. Lexic. Philoſ. art. Finis.

(8) S. Aug. Retr. li. 1. cap. 3. num. 2. col. 6.

(9) S. Tho. 1. pa. qu. 19. art. 5. o.

ſit illarum utilitas, & iis prorſus ſublatis non poſſit alio modo obtineri, quod per ipſas præſtatur: Atqui ita eſt: ergo. Minor declarari ſingillatim poteſt in partibus tum grandioribus, tum minutioribus. Pro grandioribus obſervemus primo Solem. Si illum, qui corpus eſt totum lucidum & ignitum, fingas tolli, vel alio in loco, ac eſt, collocari, jam deficit quodammodo anima toti ſyſtemati Planetario, & illud omnino diſſolvitur. Supponamus illius maſſam augeri vel imminui ceteris immutatis, jam dignitas magni Eleemoſynarii Divini, quam in illo fuſe prædicat Daniel Bartolus (1) in exercitium tortoris, & everſoris noſtri commutabitur. Fac annuam periodum ſuam compleat tempore duplo breviori vel longiori, deerunt nobis ſegetes, & alia neceſsaria ad vitam, quæ nunc habemus, utpote quæ determinata hac temporum viciſſitudine indigent ad ſui productionem & maturitatem. Sunt etiam, qui in ejus motu per viam ad Æquatorem inclinatam ſub angulo graduum circiter 23, dicant melius conſultum eſse bono telluris, quam per illam, quæ Æquatori ſemper congrueret: (2) *Obliquitatem ejus*, dixit jam Plinius, *intellexiſſe, eſt rerum fores aperuiſſe*. Quod ſuadere conantur etiam Nievventitius (3), & Woodvvardus (4), & hujus opinionis rationes aliquas ſubtiliſſime expoſitas ab Joanne Keillio adprobat Cheyne (5), & innuit Beniaminus Martin (6). Alias dabit Alauze in Commentariis Trevoltianis (7), qui eamdem, ut unice veram propugnat contra Burnetum (8), & deinde Pluchem (9), qui conjiciunt obliquitatem Eclipticæ fuiſſe primo inductam a Deo, quando diluvio aquarum voluit generis humani malitiam vindicare, & aliam telluris faciem præparare hominibus poſt diluvium naſcituris, quæ illos cogeret eſse magis religioſos & minus deſides, ac vitioſos. Atque ante hoc tempus credunt ſolis motum fuiſse conſtanter per Æquatorem, arbitrantes

(1) Bart. Ricr. del Savio li. 1. ca.10. pag. 143.

(2) Plin. lib. 2. cap.8.

(3) Nievv. The. Religious Phil. Contem.24. ſe. 11. pag.756.

(4) Vvood. Geograf. par.6. pag.215.

(5) Che. Princ. Filoſ. cap. 5. §. 26. pag. 158.

(6) Mart. Gramm. delle Scienze not. 9. ad cap.1. par.4. pag.199.

(7) Memoi. de Trev. ann. 1746. art. 24. pag.444. & art. 43.

(8) Burn. Theoria Terræ. lib.2.

(9) Plu. ſpettac. de la Natur. Tom.3. Uſage du ſpettac. §. Ici, mon cher. Id. Ibid. Tom. 8. par. 1. Certit. de l' Hiſtoir. ſain. num.15. pag.81.

tes majora commoda telluri hac ratione obveniſſe, quia in hac hypotheſi habetur per totam terram æqualis toto anno aeris temperies, quæ nullum locum permittit duabus illis exitialibus tempeſtatibus, triſti hyemi, & fervidæ æſtati, quæ terram quidem ſuis ornamentis, vegetatione plantarum, & fructuum abundantia privant: homines autem, & animalia affligunt frequentibus morbis, qui mortem accelerant: totam denique atmoſphæram perturbant procellis turbinibus & aliis meteoris, quæ excidium perſæpe totis regionibus inferunt, vel minantur. Nec quicquam timendum eſſe dicunt, aut pro zona torrida, aut pro frigidis, quippe ſuperabundans roris quantitas, quæ ſingulis noctibus decideret, & continuus affluxus aeris frigidioris, qui a partibus polaribus veniret, caviſſet nimiam telluris ſub Æquatore poſitæ aduſtionem, & nimiam contra frigedinem illius, quæ ſub polis jacet.

358. Qui ſic exiſtimant, arguunt I. Ex eo, quod cum Geneſis mentionem faciat (1) de Iride tamquam primo viſa poſt diluvium, ſequitur nullas ante illud fuiſſe pluvias, Nam Iris eſt effectus neceſſarius pluviæ, quæ alicubi decidat, dum Sol non admodum elevatus ſupra Horizontem ex adverſa parte liber ſit a nubibus. Hæc fuit jam opinio Gloſſæ interlinearis, & Albini, ſeu Alchvvini, celebris magiſtri Caroli Magni Imperatoris (2), quam Cornelius a Lapide (3) rejicit tamquam incredibilem. Urgent hoc argumentum ex iis, quæ ſuperius (4) leguntur: *Fecit Deus omnem herbam regionis, priuſquam germinaret; non enim pluerat Deus ſuper terram, & homo non erat, qui operaretur terram, ſed fons aſcendebat e terra irrigans univerſam ſuperficiem terræ*. Sed reponit Alauze (5), ibi ſermonem eſſe de primis herbis a Deo tertia die ſubito creatis in ſtatu perfecto, non de illis, quæ deinceps uſque ad diluvium germinarunt, quod tam male ex illis verbis infertur, quam male quis ex iiſdem inferret, homines ante diluvium non operatos fuiſſe terram. II. arguunt ex eo, quod temporum diverſitas primo enuncietur poſt dilu-

(1) Gen. cap. 9.
(2) Alc. in Geneſ. Interr. 135. p. 18.
(3) A Lap. in Gen. 2. v. 6. §. ſecundo. pag. 63.
Id. in Gen. 9. v. 13. §. Nota ſecundo. pag. 126.
(4) Gen. 2. v. 4.
(5) Ala. Memoi. de Trev. ann. 1746. art. 43. pag. 800.

diluvium, quando ait Dominus, (1) *cunctis diebus terræ ſementis & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hyems non requieſcent*. Quod confirmant ex pervulgata apud Ethnicos opinione veris perpetui ſub aureo Saturni ſæculo, juxta quam dixit Ovidius (2),

Juppiter antiqui contraxit tempora veris,
Perque hyemes æſtuſque, & inæquales autumnos,
Et breve Ver, ſpatiis exegit quattuor annum.
Tunc primum ſiccis aer fervoribus uſtus
Canduit, & ventis glacies aſtricta pependit.

III. Arguunt ex ſpatio vitæ humanæ tantopere poſt diluvium imminuto: quod argumentum qui negant, neceſſe eſt dicant, homines ante diluvium tanto longius vixiſſe ſolum per miraculum, vel illorum annos fuiſse paullo longiores noſtris menſibus, ut aliqui jam dixerunt confutati a S.Auguſtino invictis argumentis, quæ refert Natalis Alexander (3). IV. adducunt illud S.Petri, (4) *Tunc Mundus aqua inundatus periit: Cæli autem, qui nunc ſunt & terra eodem verbo repoſiti ſunt*; Profecto enim nova prorſus facies terræ & Cæli conſequitur, facta illa immutatione, nec idem eſt amplius Cæli aſpectus, ac erat antea.

359. Obſervemus jam Lunam. Illa per noctem lucem ad nos reflectit longe quidem majorem illa, quæ ad nos amandetur ab omnibus aſtris ſimul ſumptis, ſed eam tamen, quæ horridiores dumtaxat noctis tenebras arceat, non vero rerum terrenarum compagem ne collecta quidem per lentes commoveat, earumque torporem diſcutiat, qui neceſſarius eſt ad promovendum hominum & animalium ſomnum, & relaxationem vegetabilium, quæ ſunt ad horum conſervationem omnino requiſita. Illa breviori ſua periodo, & quatuor diverſis in ſingulis periodis phaſibus, diſtinguit nobis annum in plura ſegmenta, quibus omnes gentes uſæ ſunt ad ordinandas diverſas vitæ civilis functiones. Atque cum verſatur in primo ſuo quadrante, ſtatim atque Sol occidit, illa ſeſe exhibet conſpicuam ſupra horizontem in auxilium illorum, qui diurnos labores producant neceſse eſt: cum vero eſt in ultimo, auroram ipſam per plures horas prævertit, offerens ſe quo-

(1) Gen. 8. v. 22.
(2) Ovid. metam. lib. I.
(3) Alex. Hiſt. Eccl. Ætas I. Diſſ. 10. pag. 100.
(4) 2. Pet. 3. v. 6.

Digitized by Google

quodammodo ducem ad iter vel opus aliquod mature ſuſcipiendum. Illa ſuiſmet defectibus plures perficit præclariſſimas diſciplinas, Aſtronomiam, Geographiam, Chronologiam, & Nauticam; per obſervationes enim illorum determinantur diverſæ locorum longitudines, tam neceſſariæ cognitu navigantibus. Illa demum continua agitatione commovet maria regulari aquarum fluxu & refluxu, quo earum corruptio impeditur; ſtagnante enim aqua illud, etſi minus quidem brevi, quam accidat aquis non ſalſis, ſed aliquando tandem corrumperetur. Hinc piſces immenſa animalium vis morerentur, aer inficeretur, & actum eſset de vita omnium viventium. Hujuſmodi beneficia, quæ per Lunam recipimus, ſi illius moles minueretur, vel ad majorem à terra diſtantiam fuiſſet collocata, minora etiam eſsent: quod ſi illa vel nobis propior eſset, vel in ea diſtantia, in qua eſt, majorem molem habuiſset, in maleficia etiam converterentur; Aucta enim tunc ejus attractione, aquæ maris altius ſublatæ, lapſu graviore deinde ruerent, & habitabilis terræ quantitatem ſingulariter imminuerent.

360. A Luna ad atmoſphæram deſcendamus. Hæc aere conſtat, fluido quodam tenui & elaſtico, quod ad altitudinem quadraginta ſaltem milliariorum terram circumdat; Media enim dici poteſt hæc altitudo inter illas, quas permulti Authores ſtatuerunt vel per crepuſculum, vel per barometrum, quæ ſunt rationes duæ illam inveniendi, etſi per neutram accurate determinetur, ut oſtendit Jacobus Bellogradus in ſua, *De altitudine atmoſphæræ æſtimanda*, diſſertatione, & cum ipſo Fortunatus a Brixia (1). Quot autem uſibus aer inſervit, tot finibus deſtinatus eſt. In eo habemus inſtrumentum tam neceſſariam ad conſervationem omnis viventis, ut ſine ipſo & extra ipſum nihil ſit ſuperſtes. Ille ſua agitatione promovet in animalibus & plantis aſcenſum ſucci nutritii, eumque per totum corpus diſtribuit, humorumque requiſitam fovet circulationem. Illo deficiente vel ipſius actione impedita ipſe ignis, qui totus quædam actio videtur eſſe, iners jam eſt. Languet enim ſenſim flamma intra machinam pneumaticam, & tandem extinguitur aere ab illa extracto, eademque ocyus compeſcitur, etiam dum in incendium excre-

(1) Brix. Phyſ. partic. num. 406. & ſeq. pag. 113.

excrevit in caminis, quotieſcunque aditus aeri impediatur, obturata per madentem pannum vel alio modo, ejus apertura. Finge aeris ſphæram ſublatam, jam aquæ, & alii liquores cum commixtis exhalationibus vi ſolis attenuatæ non poterunt niſi parum a ſolo extolli. Finge reſtitui, jamque ſcalam vaporibus comparaſti, cui innitentes altius extollantur & ſuſtineantur, donec ibi concreſcentes iterum decidant in pluviam, vel nivem, vel rorem. Finge iterum aerem abeſſe, nulli jam haberentur venti, qui nihil aliud ſunt, quam torrentes aeris, quorum aliqui æſtus mitigant, alii frigus: hi exhalationes diſſipant, illi extollunt: per aliquos opportunæ ad pluviam nubes congregantur, per alios optata ſerenitas reſtituitur: per omnes navium ingentes moles promoventur, per quas invicem ſibi ſuccurrunt homines, commutantes inter ſe, quæ uno in loco rara ſunt, cum iis, quæ alibi ad vitam commode ducendam abundant. Quid quod ſine illo muti eſſemus omnes, cum in eo conſiſtat ſonus, qui dicitur objectivus. Nulla proinde non jam oblectatio ex cantu, & harmonia, ſed ne colloquutio quidem, atque commercium. Deeſſet etiam modus nunciandi per ſonitum campanæ toti populo per amplam urbem habitante ea, quæ ſæpe magni intereſt illum eodem tempore ſcire, ut conveniat ad conſulendum de Republica, ad reſiſtendum inimico, ad reſtinguendum incendium. Adde quod ſine aere nullus eſſet diei candor, per quem, quæ procul etiam a nobis ſunt, & per ſe non fulgent, conſpicimus, & integro horizonti dominamur; Hic enim conſiſtit in reflexione radiorum ſolis ex particulis aeris, a quibus late diſpergitur ſupra objecta, & ex his iterum reſilit etiam in noſtros oculos. Haberetur etiam importunus, & nobis pernicioſus tranſitus a luce Solis ſupra horizontem ſtantis ad ſubitas tenebras, illo infra ipſum occultato, & contraria ratione tranſitus a tenebris & nocte ad ſubitam lucem & diem. Proinde remotis crepuſculis nos quidem dies duabus circiter horis breviores haberemus, qui vero remoti magis ab æquatore habitant, integris etiam menſibus in profunda nocte verſarentur. (1) *Ipſe*, ſic olim Tullius, *aer nobiſcum videt, nobiſcum audit, nobiſcum ſonat; nihil enim eorum ſine eo fieri poteſt*. Multa alia ab aere provenientia commoda videri

(1) Tull. de Nat. Deo. lib. 2. cap. 33.

deri poſſunt copioſe & erudite expoſita a Derhamo per quatuor prima capita ſuæ Phyſico-Theologiæ, & poſt ipſum a Pluche (1).

361. Ab aeris conſideratione non recedam, niſi adnotata prius duplici ipſius ſpecie, quarum altera eſt illa, cujus pondus cognoſcitur & æſtimatur per ſuſpenſionem Mercurii in tubis Torricellianis ad altitudinem pollicum Pariſienſium circiter 28. Altera vero ea eſt, de cujus quidem exiſtentia, non vero determinato pondere quiſque certior fieri poteſt per tubos, quos dicam Aſclepianos, ſiquidem P. Joſephus Aſclepius in Collegio Romano Matheſeos Profeſſor, primus in ſua, *De nova & facili methodo elevandi mercurium in tubis ad altitudinem conſueta majorem*, diſſertatione, Romæ edita anno 1767, non ſolum docuit modum, quo quis facile videat mercurium ſuſpenſum in tubis indefinitæ amplitudinis, & longitudinis, ſed etiam per relata ibidem experimenta, quibus inſtituendis ipſemet adjutor fui, plane perſuaſit, ſuſpenſionem hanc non pendere, (2) *neque ab attractione vitri cum mercurio, neque ab ullo alio intra tubum impedimento, quocunque tandem nomine illud inſignire, aut vi donare libeat*, & propterea aliud fluidum omnino eſſe admittendum prorſus diverſum ab aere vulgo cognito, cujus rationem habeant neceſſe eſt Phyſici in conſideratione effectuum naturalium. Quod cum fecerint, manifeſtos etiam reddent fines aliquos a Deo intentos in ejuſdem creatione. Interea quoniam Diarium Sapientum ad Januarium anni 1769 (3) referens hoc inventum, ſtimulos cuique ſubjicit ad illud tentandum, dicens magni intereſſe Philoſophos, advertam pro iis, qui unice legerint hoc diarium, opus eſſe ad purgandum mercurium ab aere communi repetitis operationibus longe ſæpius, quam bis aut ter, quando tubi longiores ſunt, nec unquam obtineri præclaram hanc ſuſpenſionem, quoties aliqua ejus aeris quantitas quantumvis minima, dummodo ſenſibilis, remaneat, ſed poſſe, dum minima eſt, reddi inſenſibilem modo, quem docet (4) diſſertatio, quæ etiam refert habitam hac via ſuſpenſionem ad altitudinem non ſolum pollicum 84, ſed etiam 112, non tamen ad plures dies, ſed ſolum ad

(1) Plu. Spett. de la Nat. to. 6. Entr. 1. L'Ais.

(2) Aſcl. num. 9. pag. 18.

(3) Journ. des Savanſ. art. Nouv. Litter. pag. 126.

(4) Aſcl. num. 4. pag. 10.

ad plures horas ; diuturnam enim per dies & etiam menſes ſuſpenſionem non obtinuit Author, niſi in tubis longe infra tam ingentes altitudines. Advertam rurſus, præter arundines, quibus alligari & fulciri debent tubi longiores, ut libere poſſint tractari, neceſſarium eſſe, ut illorum parietes ſint craſſiores, quod artifices præmoniti utique exequentur. Tandem prætermittendum non cenſeo, poſt editam diſſertationem, in tubum, cujus amplitudo pollicem excedebat, ab Auctore immiſſa fuiſſe fruſtula grandiora ſuberis, ſpongiæ, arundinis, ferri, aliaque hujuſmodi, quin tamen, mercurio ab aere per aquam probe purgato, minus valida fuerit ſuſpenſio. Quis jam eam exiſtere attractionem ſibi ſuadeat, quæ a nullo alio corpore impediri aut minui poſſit, præterquam ab aere?

362. Relicta atmoſphæra terram peragremus, quam fingamus eſſe ubique unius, ut dicam, indolis ſine magna illa fovea Oceano, qui continet cum aquis in eo incluſis ſalia, & alia principia vegetationis: ſine montibus, qui exhalationes maris recipiant, & congregent, & per ſubjectos campos diſtribuant, ſine diverſitate in ſtratis, & ſuccis illam componentibus, nonne terram fecimus jam deſertam prorſus & inhoſpitam? Nulla enim poſſunt eſſe nec animalia nec vegetabilia, nec foſſilia, ubi deeſt omnis materia apta ad diverſas concretiones, quæ pertinent ad viventium omnium conſtitutionem, atque conſervationem. Ex eo enim quod habeantur terræ calidæ & frigidæ, lentæ & friabiles, leves & ponderoſæ, pingues & macræ, pullæ & gilvæ, flavæ & rubeſcentes, & aliæ, poſſidemus tot mineralia metalla lapides foſſilia. (1), *de quibus*, inquit Jo. M. de Turre, *non meliorem invenies tractatum eo, quem edidit Georgius Agricola*, idemque notat Pluche (2), admirans a nemine poſt annos jam ducentos, qui de his ſcripſerunt, fuiſſe ſuperatum. Finis autem horum manifeſtus eſt, quoniam ex illis habemus materiam ad domos, inſtrumenta ad artificia, pretium ad merces, remedia ad morbos, ornamenta ad delicias. Et quo major eſt horum uſus, major etiam eorumdem copia. Ita ſaxa ubique obvia ſunt, tum illa, ex quibus villæ conſtant, quæ agricolas recipiunt: &

 urbes

(1) Tur. Phyſ. Gen. Proem. pag. 8. in notis pag. 397.
(2) Plu. Spett. de la Nat. Tom. 6. Ent. 4.

Digitized by Google

urbes conſurgunt, quæ cives cuſtodiant: & arces ædificantur, quæ provincias tueantur: & viæ ſternuntur, quæ, quaſi totidem canales, bona unius regionis in alias ad mutuam felicitatem derivent: tum illa etiam, ex quibus ad cætera inter ſe colliganda calx conficitur; Hæc enim ſaxa, quæ calcaria dicuntur, Joannes Gotſchaldus Wallerius in ſua Mineralogia apud eumdem Turre (1), teſtatur ubique reperiri ſub forma lapidis vel albi, vel griſei, vel ferrei, vel rubri, vel viridis, vel nigri.

363. Quid primo adſpectu minus utile argilla? Sed hac ſublata deficit materia ad conficienda vaſa, quæ ſunt in uſu ad cibos comparandos, & menſis apponendos apud maximam generis humani partem: Deficiunt putei & fontes; aqua enim e Cælo cadens non inveniens tenacem argillam, quæ illam ſuſtineat, ocius & directe telluris viſcera, ejuſque voragines penetrabit, & quin humanis uſibus quicquam profuerit, per vias oculis noſtris impervias diſſipabitur. Fac rurſus eamdem terram uniformiter ubique diſpoſitam, neque hic in campos extenſam, illic in colles aſſurgentem, ibi in montes elevatam, jam de rebus ignotis loquutus eſſet Virgilius dicens:

Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ,
Arborei fætus alibi, atque injuſſa vireſcunt
Gramina.

Ipſi autem montes per omnia pene mediterranea loca longiſſime excurrentes, & ingens maris alveus in medio terræ effoſſus, & illi longe minores fluminum, per totum continens diſperſi, quot quantiſque finibus deſtinati ſint vidimus jam ſupra. Fac tandem terram, & quæ in ipſa ſunt, non fuiſſe diverſis coloribus diſtincta, perit jam omnis prompta objectorum diſtinctio, quæ neceſſaria eſt ad vitam tuendam; Sicuti enim cum omnia propter tenebras nigra evaſerunt, vel candida propter nivem, quæ ſingulis adhæſit, opus eſt tentamento ad diſcernendum unum ab alio, ita idem accideret, ſi ſingula uno eſſent modo colorata. Perit etiam magna noſtrorum ſolatiorum pars, quæ a varietate & diſtributione diverſorum colorum in montibus & campis, in herbis & floribus, in veſtibus & ornamentis dependet. Hos igitur

(1) Tur. Phyſ. part. tom. 1, num. 374. pag. 283.

tur fines intendit creaturarum omnium magnificus ſimul,& beneficentiſſimus Auctor.

364. Finem aliorum elementorum aquæ & ignis quis neget eſſe corporum omnium, & vitæ hujus noſtræ conſervationem? Plutarchus commentariolum edidit de inſigni utriuſque uſu per modum problematis, *Aquane an ignis ſit utilior*. Sed leges Romanæ litem dirimunt, parem utriuſque neceſſitatem ſtatuentes, dum, ut habet Tullius, *jubent ei, qui de majeſtate damnatus ſit, aqua & igni interdici*. Profecto ſemel quod aquæ nobis negentur, evadunt jam campi omnes ſterilis arenarum congeries, & tota terræ ſuperficies ſpoliata omni vegetabilium non ſolum ornamento, ſed etiam annona, in qua animalia alimentum habent vel immediate vel mediate, omnibus etiam incolis privetur neceſſe eſt. Hinc ſuæ ſunt in quavis habitata regione perpetuæ aquæ dulces: & ſiqua in regione hæ minus abundent congregatæ in flumina & puteos, vel omnino deficiant, proviſum alio modo novimus. Sic in inſula Jamaica ſunt ex Levvthorpio (1) quædam plantæ, quæ abundanti ſuo humore ſupplent aquæ dulcis penuriam. Sic in aliis locis Viatores & Venatores inveniunt teſte Derhamo (2) in arboribus cæſis vel perforatis ſufficientes ſibi fontes paratos. Sic a quamplurimis Auctoribus, quibus addo Leſſium (3), citatis a Ludovico Morerio in ſuo Dictionario ad articulum *Fer*, non quidem primæ ejuſdem editionis anni 1674, quæ unico tomo conſtabat, ſed aliarum poſteriorum, quarum illa anni 1740 tomos octo complectitur, ſcriptum fuit, inſulæ cuidam Canaricæ, quæ Ferri dicitur, plenæ cæteroqui habitatoribus & animalibus, nullas conceſſas aquas dulces, niſi illas, quæ ab arboribus quibuſdam quotidie perabundanter ſtillant, vel per modum pluviæ a ſingulis foliis cadunt, ſi credimus Aldrovando, (4) qui iconem etiam hujus arboris nobis exhibuit, quæ ab alio etiam authore apud Johannem Bahuinum proponitur (5). Sed hoc alii recentius inter fabulas rejiciunt, ut Morerius ipſe in editione anni 1740 adnotat. Tam evidentes ſunt hujuſmodi aquarum fines, ut ad illas obſervandas frequentiſſime Sacra Scri-

(1) Levv. Compend. delle Tranſaz. Vol. 2. pag. 699.

(2) Derh. Phyſico-Theol. B. 10. in nobis pag. 423.

(3) Leſſ. de Provid. num. 61. pag. 644.

(4) Ald. Dendrologiæ lib. 1. pag. 35.

(5) Bau. Hiſt. plant. lib. 4. cap. 25. pag. 464.

Scripturâ nos excitet, ut in agnitione & confeſſione omnia regentis & moderantis Dei perficiamur. *Deus*, inquit, *eſt*, (1) *qui ligat aquas in nubibus ſuis, ut non erumpant pariter deorſum: qui* (2) *facit ventis pondus, & aquas appendit in menſura: qui* (3) *aufert ſtillas pluviæ, & effundit imbres ad inſtar gurgitum: qui* (4) *præcipit nivi ut deſcendat in terram, & imbri fortitudinis ſuæ. Flante* (5) *Deo concreſcit gelu, & rurſus latiſſime funduntur aquæ. Frumentum deſiderat nubes, & nubes ſpargunt lumen ſuum, quæ luſtrant per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne, quod præceperit illis ſuper faciem orbis terræ. Quis* (6) *eſt pluviæ pater? vel qui genuit ſtillas roris?* Hæc in libro Job. Et in Pſalmis: (7) *Adorate Dominum, Vox Domini ſuper aquas. Ponis* (8) *nubes aſcenſum tuum, ambulas ſuper pennas ventorum, emittis fontes in convallibus, inter medium montium pertranſibunt aquæ. Operit* (9) *cælum nubibus, & parat terræ pluviam. Flabit* (10) *ſpiritus ejus, & fluent aquæ.* Et in Eccleſiaſtico: (11) *In magnitudine ſua poſuit nubes. Pulchritudinem candoris nivis admirabitur oculus, & ſuper imbrem ejus expaveſcit cor*. Et in Hieremia: (12) *Ad vocem ſuam dat multitudinem aquarum in Cœlo, & elevat nubes ab extremitatibus terræ.* Et in Amos: (13) *Qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ, Dominus nomen eſt ejus*. Et tandem in Actis Apoſtolorum: (14) *Non ſine teſtimonio ſeipſum reliquit, benefaciens de Cœlo, dans pluvias, & tempora fructifera.*

365. Quid dicam de ignis ſcopo. Quis non videt eo ſublato, omnia fore jam ſtupida & torpida? Ab igne habemus perpetuo, quæ nobis ſunt vel neceſſaria vel utilia ad vitam. Si terra aer aqua tantopere nobis proſunt, id habent per ignis actionem: recedente illo intolerabilis fit aer propter frigus, in lapidem aqua convertitur, terra omnem negat vegetationem. Ignis, qui magis ſenſibilis eſt, & quaſi tractabilis vaſa comparat ad inſtruendos, & continendos cibos, vel ex terra ſubacta, vel ex metal-

(1) Job. 26. v. 8.
(2) Ibid. 28. v. 25.
(3) Ib. 36. v. 27.
(4) Ib. 38. v. 6.
(5) Ib. v. 10.
(6) Ib. v. 28
(7) Pſal. 28.
(8) Pſal. 103.
(9) Pſal. 146.
(10) Pſal. 147.
(11) Eccli. 43. v. 16. & 20.
(12) Hier. cap. 10. v. 13.
(13) Amoſ. cap. 5. v. 8.
(14) Act. cap. 14. v. 16.

Digitized by Google

metallis jam antea per ipſum domitis improbo labore, cujus ſpecimen dat Pluche (1) in eo, quo opus eſt ad ferrum liquefaciendum. Ille perficit arma ad domandas feras, ad repellendos hoſtes, ad artes omnes exercendas. Ille duros ſcopulos convertit in calcem, vinculum ad colligandos inter ſe minores lapides, ut quaſi fuſile ædificium exhibeant. Ille vitrum largitur, quod, dum aditum luci permittit, eumdem ventis intercludit. Ex hoc fiunt omnis generis vaſa ad continenda, quæ diligenter ſervari volumus a corruptione, & exhalatione: & tot elegantiſſima artificia, quæ volumus impoſita menſis, diſpoſita in ſcriniis, & pendentia e lacunaribus: & pulcherrima ſpecula, quæ excogitata a Sidoniis dicit Plinius (2), ſed redacta ad eam amplitudinem, ut ſint ex præcipuis domorum ornamentis, primo quidem a Venetis, qui ea noverunt producere ad amplitudinem quatuor circiter pedum quadratorum, deinde vero a Gallis, qui nunc perveniunt ad duplo etiam majorem. Ex Vitro pariter formantur perſpicilla ad remedium viſus infirmi, teleſcopia ad proſpiciendum remota, microſcopia ad inſpiciendum minuta, thermometra & barometra ad deprehendendas atmoſphæræ viciſſitudines circa calorem & gravitatem, & ſexcenta alia inſtrumenta, quibus Phyſica promovetur. Per ignem demum creantur quodammodo novæ diverſorum corporum ſpecies, quot Chemia præſtat & admiratur.

366. Quando ignis conſideratus ſeorſim a particulis & corporibus, ſub quibus non tam oculis, quam tactui ſenſibilis eſt, nihil aliud ſit quam lux, jam quot ſunt bona, quæ a luce in nos derivantur, ſunt autem innumerabilia & talia, ut ſine ea tota rerum materialium natura in ſitu jaceat & ſquallore, & quaſi ſine anima, totidem ſunt ulteriores fines, propter quos ille conditus eſt. Porro lucem & ignem non eſſe quid diverſum, multi tenent, ſed multi etiam negant, contendentes eſſe duo fluida diſtincta inter ſe realiter, quorum alterum, lux, per totam hanc rerum creaturarum congeriem æquali in quantitate intra æqualia ſpatia ſit diffuſum: alterum vero, ignis, ſit dumtaxat commixtum corporibus cum ea lege, ut æqualiter diſtribuatur in omni ſpatio ab

(1) Plu. Spect. de la Nat. tom. 6. Ent. 4. Les mines. (2) Plin. Hiſt. nat. lib. 36. cap. 26.

Digitized by Google

ab illis occupato, præſcindendo a cauſis particularibus, quæ illum magis in unum locum congregent, quam in alium. Dicunt enim haberi cum ingenti frigore lucem magnam per hyemem, in cubiculis, feneſtris apertis, & in altis montibus die ſereno, etiam ſub Æquatore, contra vero haberi in tenebroſo cubiculo, ubi ſudatorium ſit, & prope terram per æſtatem in ipſa concubia nocte, magnum æſtum: ergo lux & ignis non ſunt idem. Quæ argumenta cum aliis multis urget Pluche (1), deſciſcens a contraria ſententia, in qua olim fuit, dum dixit (2) *demonſtrari poſſe ignem & lucem eſſe eamdem rem*. Sed quando lumen lucis dependeat a motu quodam diverſo ab illo, a quo dependet ipſius ardor, jam ſubſtantia lucis & ignis poterit eſſe eadem, & omnia in contrarium argumenta facilem habebunt ſolutionem.

367. Ut oſtendam jam in partibus etiam Mundi tenuioribus palam apparere immediatum aliquem finem, propter quem determinato quodam modo ſingulæ conditæ ſunt a Sapientiſſimo Creatore, propono mihi primo ortum animalium, & video ea, quæ ex oviparis procedunt, incluſa fuiſſe ſub ovi camerato cortice, ut eo protegerentur ab aeris injuriis preſſione & intemperie: illa vero, quæ ex viviparis veniunt, ovo ſaltem viſibili & aeri expoſito carere, quia jam formata in lucem emittuntur. Rurſus quoniam ſanguis, qui continuo moveatur, deſtinatus eſt ad vitam animalium perfectiorum, quicunque inſpiciat ſtructuram ductuum, per quos decurrit, videt duplicem illorum ſpeciem arterias & venas, in quibus aliis omiſſis ſingularum valvulæ in oculos incurrunt: ſed quia arteriæ recipiunt ſanguinem a corde per ipſius ſyſtolem, ne ille in ejuſdem diaſtole in cor recideret gravitate ſua, valvulæ erant ipſis apponendæ, quæ cor verſus clauderentur, atque tres ex his conſpicuæ ſunt in principio arteriæ tam magnæ, quam pulmonaris, quæ a figura creſcentis Lunæ, ſemilunares dicuntur. Contra vero quia venæ receptum ſanguinem ab arteriis debent in cor iterum effundere, ne in ſyſtole cordis ille reflueret, valvulis inſtructæ ſunt, quæ in contrariam cordi partem clauduntur. Et duæ ex his occurrunt ad ingreſ-

(1) Plu. Spett. de la Nat. Tom. 4. Ent. 11. Le Feu. Id. Ibi. Entr. 12. Theori. du Feu.

(2) Id. Ibid. tom. 3. Uſage du ſpetta. §. L' Hiſtoire.

Digitized by Google

ingreſſum venæ pulmonaris in ventriculum cordis ſiniſtrum, mitrales dictæ a figura mitræ ſibi propria, tres vero habentur, ubi vena cava cum dextro cordis ventriculo conjungitur, tricuſpidales ex figura appellatæ. Sed qui Anatomem conſulat, tum plantarum, tum animalium, quæ ſingulas quantum poteſt partes ab aliis diviſas oculis ſubjicit, ille hujuſmodi in ſingulis artificium, texturam, diſpoſitionem, magnitudinem, denſitatem detegit, quæ plane prædicant ſingulas deſtinatas eſſe ad peculiares fines, qui omnes in plantis quidem conſpirant in unum illud, ut ipſæ vegetent ad uſum & commodum animalium, in his vero, ut ea vivant, & ſua vita fruantur, & præclaram ſui ſpeciem creaturis, quæ rationalibus cognitionibus capaces ſunt, exhibeant, & hinc ad laudem ſui & omnium creatoris excitentur. Si quis minus intelligat hæc ita eſſe, animadvertat, quam cito vel ſubito aliud evadat ab illo, quod prius erat animal, in quo vel muſculus deficiat a ſua tenſione, vel cerebrum obſtruatur in aliquo ex ſuis ſinibus, vel os unum e ſuo loco tantillum dimoveatur, vel nervus in aliquo membro impediatur, vel materia aut ſitus cuique parti proprius alteretur. Dignæ ſunt, quæ in hac re legantur ſubtiles meditationes circa organa ad motum animalium deſtinata, quæ acute Alphonſus Borelli conſideravit.

368. Sed ut quid diſtinctius dicatur, proponamus nobis ante oculos noſmetipſos, & videamus, quinam ſit finis immediatus in eo, per quod ex parte animæ bruta omnia ſuperamus, ex parte vero corporis bruta ipſa ſaltem aliqua, & ex aliqua ſaltem parte nos ſuperant; illis enim, non vero nobis ſufficiens indumentum ab ipſo ortu conceſſum eſt, & victus quaſi in propatulo poſitus, quin opus habeant labore & anxietate ad hæc ſibi comparanda, nec armis extra ſe conquiſitis ad horum cuſtodiam, & ſui tutelam. Equidem dicam, finem datæ nobis rationis, in qua conſiſtit illud, quo omnia bruta ex parte animæ ſuperamus, eſſe ut acquiramus cognitiones omnium præclariſſimas, inter quas ſunt illæ, quæ ſpectant ad ipſum noſtri Creatorem, ejuſque perfectiones, & nobis procuremus felicitatem non ſolum pro hac vita, ſed pro alia immortali, cujus ingenitum augurium Divina revelatio perſuaſit non eſſe chimæricum. Hæc ſuadent illa Eccleſiaſtici,

(1) *Poſuit oculum ſuum ſuper corda illorum oſtendere illis magnalia operum ſuorum, ut nomen ſanctificationis collaudent, & gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus.* Utrumque confirmat, quod vulgo etiam dicitur, quod omnis homo ſcire deſiderat, & beatus eſſe: Finem vero dati nobis corporis nudi inermis debilis, dico eſſe, ut vitam ſociabilem viveremus. Bruta quæ ad mutuam vitæ communionem deſtinata non ſunt, omnibus, quæ ſibi ad vivendum neceſſaria ſunt, inſtruuntur intra breve infantiæ tempus, pro quo quamdiu hoc durat, proviſum iiſdem eſt per vehementem matrum amorem, qui ceſſat, & in odium etiam convertitur, quando jam ſibi poſſunt conſulere, & ſeorſim vivere. At quia homo ad vivendum ſimul cum aliis creatus eſt, opus erat, ut mediis opportunis inſtrueretur ad hunc finem, quorum illud eſt maxime urgens, ſuamet neceſſitas, cui non poteſt ipſe ſolus ſuccurrere, abunde autem per aliorum auxilium. Hæc enim neceſſitas multi generis eſt, utpote quæ complectitur ea, quæ ad hominis habitationem victum & veſtitum pertinent, & quibus non ſatisfit niſi per plures artes & diſciplinas, quot videmus in quavis bene ordinata Republica exerceri. Hinc Divina Providentia factum eſt, quod ſupra obſervavi (§. 113.), ut diverſas inclinationes, & aptitudines diverſi homines habeant, ne deſint, qui tot diſtinctis officiis fungantur, ex quibus pendet omnium & ſingulorum felicitas, vel commodior conſtitutio. Quare qui ſe ab omni aliorum communione ſeparat, jam fruſtra habet eam vim mentis, qua pollet, & brachia & manus, quibus præditus eſt, & ipſi eidem inutilis eſt tot tantarumque rerum creatarum apparatus, quem videt & intelligit præparatum ſibi eſſe ad vitam commode ducendam. Legimus quidem fuiſſe viros Sanctiſſimos, qui in ſolitariis locis vixerunt. Sed imprimis dum hos admiramur, jam fatemur victum ab illis fuiſſe ingenitum vitæ ſociabilis amorem, nec ignoramus hujuſmodi conſilium ab iis ſuſceptum, non ex odio aut averſione generis humani, ſed timore amittendi vitam immortaliter felicem, vel conſequendi cumulatiorem in ea beatitatem, impellente etiam & adjuvante Spiritu Dei ad opus hoc, quod ipſi iidem experiebantur difficile & moleſtum. Deinde nemo horum ſeceſ-

(1) Eccli, cap. 17. v. 7.

ſeceſſit ab aliis, niſi ſecum deferens diverſa ab illis accepta inſtrumenta, & multas cognitiones neceſſarias ad vitam, quibus omnibus excogitandis unus homo vel impar omnino eſt, vel viribus deficiet, antequam aliquid exequi, & opportune perficere poſſit. Concipe hominem, qui diffracta per tempeſtatem navi nudus feliciter enataverit in inſulam omnibus incolis vacuam. Nonne ille quamvis a viribus animi & corporis bene comparatus ſit, intereat brevi neceſſe eſt? ubi nulla eſt domus, in quam ſe recipiat, nullus ignis, nullæ veſtes, nullus opportunus cibus, & omni omnino caret inſtrumento, quo hæc ſibi ſufficiat. Rurſus pauci ſunt, qui hoc genus vitæ prorſus ſolitariæ per longum tempus peregerint, iiſque per miraculum ſuppeditata etiam fuerunt neceſſaria ad vitam, ut fertur de S. Paulo Eremitarum parente; Communiter enim multi ſimul congregantur, quorum vita proinde ſolitaria dicitur, non quia excludat conſortium omnium omnino hominum, ſed eorum dumtaxat, qui in urbibus commorantur, in quibus plus nimio multos vident corruptis moribus, ut timeant, ne illis ipſi quoque inficiantur cum detrimento tranquillitatis, & æternæ ſalutis deſperatione. Præterea quoniam in hac ipſa ſolitudine ipſi vel in ſtudia, vel in opera mechanica, vel in preces incumbunt, quæ vel per ſe, vel per ipſorum intentionem ad bonum commune pertinent, jam plus cæteris aliis homines diligunt, eorum ſocietatem fovent, & pars ſunt Reipublicæ omnium præſtantiſſima.

369. Finem hunc, quem noſtræ conſtitutionis conſideratio patefecit, extra controverſiam ponit utrumque Divinum Teſtamentum, quod perficit hanc inclinationem in amorem ſocietatis, prohibens quemquam odiſſe, jubens mutuo ſe amare tamquam fratres, quorum unus idemque eſt Pater Cæleſtis, & negans licere cuivis privato quemquam damnare, ut ſibi aut aliis noxium, & multo minus illum ut talem punire. Quid clarius his verbis? (1) *Mandavit unicuique de proximo ſuo*, & illis ſæpe repetitis in Lege Evangelica, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*. In quæſtione igitur de origine vitæ hominum ſociabilis minus accurate loquuti ſunt illi Philoſophi, qui hanc dixerunt eſſe indigentiam, quam ſinguli habemus de aliorum opera ad vitam

 tuen-

(1) Eccli. cap. 17. v. 12.

tuendam & ſuſtentandam; Re enim diligenter conſiderata in hac indigentia invenimus ſolam rationem medii, quo Sapientiſſimus noſtri Conditor uſus eſt, ut vitam ſocialem viveremus. Eadem proinde hujus origo ſtatuenda eſt ac naturæ noſtræ, ut ſatis expreſſit S. Thomas dicens, (1) *Eſt homini naturale, quod ſit animal ſociale, quod ex hoc oſtenditur, quod unus homo ſolus non ſufficit ad omnia, quæ ſunt humanæ vitæ neceſſaria*.

Cum hæc doceant nos de fine creationis hominis, prout ex viris ac fæminis conſtat, non eſt diſſimulandum ipſummet virum conditum eſſe ad dominatum & gubernationem: fæminam vero in ipſius adjutorium, quemadmodum in Geneſi legitur. Hinc proprietates viri ſunt majeſtas quædam oris, corporatura ad graves labores apta, robur membrorum, vigor mentis, & indoles inimica otii, quæ ſe prodit ab ipſa pueritia nunquam quieta: & multo magis in adoleſcentia, quam omnium maxime delectant luſus, qui celeres motus & exercitium virium requirunt: & in ipſa matura ætate, in qua ſi relaxationem, quærit a contentione mentis in rei aut publicæ aut privatæ adminiſtratione, hanc non invenit, niſi in novo aliquo labore vel deambulandi vel equitandi vel venandi, vel alia ſibi jucunda ſed laborioſa exercitatione. Contra vero fæminæ proprietates ſunt venuſtas quidem in forma, & gratia in operando, ſed ſtatura humilior, & vires minus validæ: dexteritas in manibus, ſed tarditas in pedibus: ſuavitas in moribus, ſed anguſtiæ in animo: ſedulitas in agendo, ſed limitata ad ea, quæ confinia domus non transgrediuntur: ea demum ſunt, quæ oſtendunt fæminam factam eſſe non ad æqualem poteſtatem cum homine, ſed in adjutorium illi ſimile.

370. Illuſtre etiam exemplum finis intenti a Divino artifice, quod in brutis animantibus elucet, non eſt prætermittendum, poſtquam ſcriptum eſt, (2) *Interroga jumenta, & docebunt te, & volatilia Cæli, & indicabunt tibi, & narrabunt piſces maris.* Sed quænam eſt horum doctrina, atque narratio? ſcilicet, quod *omnia hæc manus Domini fecerit*. Ipſa enim conformatio animalium relationem oſtendit ad elementum, in quo vivunt, ad regionem quam habitant, ad cibum quo utuntur, ſicuti ſtatim intelli-

(1) S. Tho. lib. 3. con. Gen. cap. 129. num. 4. pag. 387.

(2) Job. cap. 12. v. 7.

Digitized by Google

telliget, qui paulum conſiderationis adhibeat, dum eà intuetur, vel obſervationes in hac re ab aliis factas, ut a Leſſio (1) & Derhamo (2), animadvertat. Harum ſpecimen ipſe pariter hic ſubjiciam. Habitant terram aridam beſtiæ quadrupedes, & quia ſunt quæ carnibus paſcuntur, ideo habent agilitatem ad prædam aſſequendam, & arma ſatis robuſta ad illam retinendam & diſcerpendam. Ad hos fines illorum rictus ſuperne & inferne prædirus eſt geminis dentibus, longis validiſque, pedes armati unguibus acutis & falcatis, quas in vaginas condunt cum incedunt ne atterantur, & exerunt dicto citius, cum præda potiuntur. Et quia ſunt alia, quæ vegetabilibus vivunt, alias etiam ungulas, alios dentes habent. Horum ſeries continua & æquabilis, & anteriores quidem acuti ſunt ad incidendum, poſteriores vero latiores ad pabulum comminuendum: Ungulæ autem altius aſſurgentes inſtar calceorum, & ejus firmitatis, quæ opportune corporis pondus ſuſtineant, & ejus formæ, quæ reſpondeant locis, in quibus paſtum ſibi inquirant, ſolidæ pro brutis, quibus campi, bifidæ pro illis, quibus loca abrupta ad hunc finem fuerunt deſtinata. Collum etiam ſingulis aptatum eſt ejus extenſionis, quæ ſtantibus ſufficeret ad cibum e terra ſibi arripiendum. Quare camelis prægrandibus eſt etiam longiſſimum: elephantis autem multo majoribus non quidem data colli proceritas, ne forte minus decentior eſſet illorum forma, aut minus robuſta: ſed ſupra os collocatum inſtrumentum verſatile, longum, cilindricum, agile, plicatile, proboſcidem vocant, qua tamquam manu omnia facillime apprehendunt, & ori admovent.

371. Habitant piſces aquam, quæ tantam terræ partem & quidem ad inſignem altitudinem contegit. Hinc ea ſunt ſtructura corporis, qua facile per illam moveantur. Caput pleriſque præ corpore anguſtum & acutum ad ſecandas aquas: ſquammæ a capite averſæ, ne obſtent natatui: Cauda lata & expanſa & maxime flexibilis, qua tamquam gubernaculo motum ſuum in omnem partem dirigant, & qua velociſſime contracta per continuas oſcillationes caput verſus, totos ſe antrorſum promovent,

(1) Leſſ. de Provid. num.76. pag 647. pag. 189.
(2) Derh.Phyſico-Theo.B.4. cha. 11.

vent, beneficio fluidi tam cito non cedentis. Habent pinnas ex utroque latere diſpoſitas, & etiam ſupra & infra dorſum. Harum officium non tam eſt, ut illis ſe tamquam remis promoveant cum ſint tenuis longitudinis, quam ut motum ſuum facile dirigant, qua volunt. Sicuti enim navis ſtatim vertitur in eam partem, in qua remi inhibentur, ita etiam piſcis ad dexteram movetur, ſi contrahit ſupra ſuum corpus pinnas dexteras, & viceverſa. Eſt etiam alius hujuſmodi pinnarum finis præcipuus, ſcilicet ut venter deorſum, tergum vero ſurſum ſemper vergat. Fac enim ut otioſæ illæ maneant, vel quia vita abſit ab animali, vel quia illas reſcideris, videbis ad primum aquæ motum ſtatim deorſum tergum, utpote ſpina onuſtum, verti, & ventrem ſurſum. Habent ſaltem aliqui branchias ad fauces poſitas, quarum uſus creditur ad emittendam aquam, quam continuo reſpirant, vel illam, quæ importune influit cum cibo. Certe qui branchiis carent, habent fiſtulas vel foramina, per quas aquam emittant. Habent aliqui pariter intra ſe veſicas aere plenas, quas forte pro libito diſtendunt, & comprimunt, ut diſtenſione volumen amplificent, & per gravitatis ſuæ diminutionem e fundo aquarum aſcendant, & compreſſione a ſummo ad imum aucto pondere deſcendant, vel in quavis altitudine cum fluido æquilibrentur. De illis, qui his carent, dicam cum Pluche (1), vel habere aliquid æquivalens, cujuſmodi eſt cavitas aliqua, quam ope muſculorum pro libito dilatant, & contrahunt: vel eſſe e natura piſcium, qui parum ſe extollunt ſupra fundum aquarum, ut ſoleæ & paſſeres: vel eſſe paris fere gravitatis cum fluido, in quo vivunt, ita ut exiguo pinnarum conatu poſſint ſe elevare, & diutius ibidem conſiſtere.

372. Vivunt aves in aere vitam ſuam magna ex parte. Hinc ea ſunt figura, quæ a roſtro acuminato, & capite minuto incipiens ſenſim amplificatur, ut facilius medium aereum proſcindant, quemadmodum naves in prora fiunt graciliores & anguſtiores ad iter expeditius per aquas. Suſtinentur oſſibus firmis quidem ad machinæ ſtabilitatem, ſed intus vacuis ad minus ejuſdem pondus. Veſtiuntur pennis eo artificio factis, ut magnum ſpatium ſub tenui materiæ quantitate occupent, ut facilius in

(1) Plu. Spettac. de la Natur. tom. 2, Entr. 4. Les Poiſſonſ. pag. 309.

in aere ſuſtineantur, eæque ita collocatæ ſunt, ut inter volandum corpori magis applicentur, ne aer ſubintret. Alas habent utrinque poſitas leviſſimas & æquales, quæ quaſi totidem remi poſſunt facile explicari & agitari ad volandum, & rurſus contrahi ad decorum corporis integumentum. Eædem nervo robuſtiſſimo ſingulis armis connectuntur, & pennis conſtant longis, levibus, & craſſiori ex parte cavis, ut multum aeris occupent, in eoque vibrentur, & corpus facile elevent, & in quamcunque pro libito directionem promoveant. Cauda inſtruuntur non ſolum pro æquipondio capitis & colli, quod maxime in volando neceſſarium erat, ſed etiam pro quodam quaſi temone, ut ſe, quo placeret, ſtatim converterent. Eſt illis ſub gutture adnexus ſacculus, quo multum cibi congregari poteſt ſenſim devolvendi in ſtomachum ad animalis nutritionem, quoties iter haberent per loca aquis aut nivibus obſita. Quæ carnivoræ ſunt, roſtro donantur valido & adunco ad diſcerpendum, & unguibus firmis, & acutis ad apprehendendum: Anates, Anſeres, Cycni, & aliæ, quæ ex aquis paſtum habent, palmipedes ſunt ad natandum: collum habent oblongum, & lato terminatum roſtro, ut in profundum poſſint immergere: pennis etiam inſtructæ ſunt quodam quaſi oleo linitis, quod aquam reſpuit, & cujus quaſi penum abundantiorem, quam ſit in aliis avibus, inveniunt in veſicula circa caudam poſita, ex qua roſtro illud exprimunt, & ſupra plumas, prout oportet, deducunt. Paſſeres & pleræque ex parvis avibus, quæ fructibus ſeminibus & inſectis palam poſitis veſcuntnr, roſtro ſunt brevi & delicato, & pedibus quaſi digitatis ad ramos arborum, quibus inſideant, amplectendos. Scolopax, Falcinellus, Ciconia, & aliæ, quibus cibus paratus eſt in vermibus ſub ipſa humo vel fimo abſconditis, longo roſtro donatæ ſunt per modum paxilli, vel ligonis. Picus, qui vivit ex formicis & animalculis habitantibus inter corticem, & penitiores partes arborum, roſtro præditus eſt acuto & robuſto, quo ligna etiam penetrat, poſtquam percuſſa indicant per obtuſum ſonitum carioſa eſſe: & ungues habet in brevibus cruribus ſatis aduncos: & linguam prælongam & viſcoſam, qua ſibi glutiat irretitos vermes. Ardea, quæ piſcatione vivit, eſt longo collo & pedibus, & nuda cruribus, ut intra aquam longius etiam a litore expedi-

peditius incederet & venaretur: eſt rurſus armata roſtro non ſolum longo, ſed etiam dentato, ut piſces labiles commode retineret, & prædita alis pro mole corporis amplis, ut ad longa etiam itinera ſufficiens eſſet.

373. De ſtultitia Spinoſiſtarum, qui oculos negant datos ad videndum, aures ad audiendum, & alias corporis partes ad particularia quædam munia, certi ſumus; Nam ex dictis ſupra (§. 143.), his ſenſibus deficientibus deficiunt omnino ea commoda, quæ per illos habentur, ut eadem reparari nequeant ullo uſu, aut exercitio aliarum partium corporis. Quis enim unquam vidit ſine oculis, aut audivit ſine auribus? Quis ſine manibus fuit aut domi inſignis artifex, aut belli egregius miles? Nonne tamquam prodigia nominantur aliqui, qui ſine manibus nati, tantum induſtria profecerunt, ut pedibus ipſis aſſueverint aliqua manuum officia exequi, ſcilicet cultros tractare, calamos acuere, characteres formare, ori cibum admovere, & ſimilia, ſi credimus authoribus a Jacobo Pontano (1) citatis, qui tamen hæc referentes monent, pedum digitos fuiſſe in his hominibus monſtroſe longos. Quod dentes dati non ſint ad mandendum, minus ſtulta propoſitio eſt, quia neque omnes habent conſtructionem aptam ad munus conterendi cibos, cum alii tamquam cunei ad eos ſolum ſcindendos, alii tamquam clavi ad eos ſolum perforandos appareant deſtinati: neque præterea unice dati ſunt ut inſtrumentum ad victum, ſed etiam ut arma ad defenſionem, præter alios uſus, cujuſmodi eſt, quem ſupra (§. 95.) obſervavi, proprius homini, ut loquelæ inſervirent. Ceterum, quod inter fines dentium primarios ſit prima quædam, & rudis alimentorum comminutio, perficienda deinde per ſtomachum, & alia organa, luculenter oſtendit, quod obſervatur in avibus, quæ quoniam dentibus inſtructæ non ſunt, duos habent ventriculos, non ſolum ex fine paulo ante dicto, ſed etiam ut in eorum primo recondita ſemina aliquantulum macerata deinde in ſecundo penitus diſſolvantur, ope etiam ſaxulorum, quæ glutiunt, (2) *non ad cibum*, ſic Honoratus Fabri ex Harvejo, *ut aliqui putarunt, neque ad refrigerium, ut vulgus venatorum putat, ſed ad dentium ſupplementum, non ſine*

(1) Pont. Attica bellaria. Syntag. par. 1. Hiſtor. 50. pag. 48.

(2) Fab. de Homin. lib. 1. prop. 21. num. 5. pag. 227.

ne aliquo rumore, ut patet experientia, quem ſi aures admoveas, facile audies: hinc ubi ſaxula leviora ſunt, illa egerunt, aliaque paulo aſperiora vorant.

374. Non eſt diſſimulanda alia contra illos evidens argumentatio, quod animalia omnia ab ipſo ortu utuntur hujuſmodi organis ad eadem omnino officia, etiamſi vel nunquam fieri poſſit, ut cognoſcant ſe illis inſtructa eſſe, ut dici debet de brutis: vel antequam id poſſint cognoſcere, ut accidit homini per plures ætatis ſuæ annos; Tunc enim ſolum quando adoleverit, & non vulgaria ſtudia excoluerit, poteſt aliquantiſper intelligere admirabile aliquorum ſaltem artificium ad uſum, quem præſtant, opportuniſſime accomodatum. Exemplo ſunt homines, & multa animalia, quæ non aliter, cum in lucem venerunt, incipiunt vitam, in eaque perſeverant, quam per continuam agitationem pulmonum, qui ſunt organum ad hoc munus, quod nullo alio ſuppleri poteſt, ſingulariter conſtructum. At nullum brutum ſcit illos ſe habere, & quam pauci ſunt etiam inter homines, qui ſaltem noverint, quod eſt omnium facillimum cognitu, ipſos modo dilatari ad novum aerem excipiendum, & modo coarctari ad illum excludendum, qui calore jam nimis rarefactus, vel alio modo ea elaſticitate privatus eſt, quæ requiritur ad viſcerum actionem, ſanguinis motum, & totius corporis incolumitatem.

Similiter homines & quadrupedia, cum primum nata ſunt, ſugunt lac ex matrum uberibus, quin cognoſcant illa ad hunc finem lacte turgeſcere, ſibique datum eſſe os ejus conſtructionis, ut inde alimentum ſibi capiant: & quin modum intelligant, quo hujuſmodi partes ad hunc uſum optime aptatæ ſint, cum id ultimis hiſce temporibus cognitum primo fuerit ab ipſis philoſophis poſt detectam gravitatem aeris, & exinde conſequentem aſcenſionem fluidi lactis in vacuum ſuperne factum, ut Nievventitius (1), & Pluche (2) obſervant, & Jo. Criſtophorus Sturmius (3) explicat. Idem dico, tum de fiſtula, per quam culices & pulices ſorbent ſanguinem animalium, quibus inſederint, poſtquam exerto aculeo intra ipſam latente, ſed qui viſibi-

(1) Nie. The Relig. philoſ. Contempl. 3. ſec. 11. pag. 35.

(2) Plu. Spett. tom 5. entret. 3. Gouvern. de l' Homme. §. Quel concourſ. pagin. 76.

(3) Stur. Coll. Exp. tent. 6. num. 7. pag. 39.

Id. Ibid. Appen. Auct. 6. pag. 56.

lis in culicibus fit microſcopio apud Philippum Bonanni (1), cutem penetrarunt, & venulam perruperunt: tum de oblonga papilionum proboſcide › quam deprehendit idem Bonannius (2) brevi dividi in duas antlias, in magnam longitudinem extenſas, & ſub finem ornatas pluribus quaſi papillis, per quas cito florum herbarumque ſucco explentur, dum eas explicant, quas ceteroquin convolutas in ſpiram circa os ad hunc uſum diſſectum facile geſtant: tum de tubo apum, quem per modum ſcalpelli librarii intra ſe;includunt, & cum volunt aperiunt, & foras ad idem exercitium!producunt. Galenus poſt ſimiles animadverſiones concludit: (3) *Qua igitur ratione dici poteſt animalia partium uſus a partibus doceri?*

LAUS DEO

INDEX

(1) Bon. Microg. curioſ. cap. 6. §. 1. pag. 41.
Id. Ibid. §. 5. pag. 61.

(2) Id. Ibi. §. 3. pag. 48.

(3) Gal. de Uſu part. lib. 11. cap. 3.

Digitized by Google

INDEX RERUM

A

Ægyptii falſo jactant nimis magnam antiquitatem. Pag. 339.
Æra Chriſtiana creditur deficere annis tribus. 333.
Aer quam utilis. 408.
Æs pro numiſmatis, & campanis quibuſnam conſtet. 108.
Æternitatem Mundi qui tenuerint. pag. 226. & ſeq.
Alarum diverſæ formæ. 77.
Aloe. 69.
Alphonſus Rex condemnavit conſtructionem Mundi. 177.
Americæ mentio apud Veteres. 342. Ejus detectio. 237.
Amor amicitiæ excludit amorem ordinatum ad commodum amantis, non ad Deum. 381.
Amphibia. 42.
Anaxagoras non fuit primus, qui Deum auctorem Mundi dixit. 140.
Anchora in montibus reperta non pertinuit ad homines antediluvianos. 300.
Anima Adami non fuit creata ante ipſius corpus. 250.
Anima Mundi admiſſa fuit ab aliquibus. 257. & 263.
Animæ hominum non ſunt pars Dei. pag. 255. Nec ab æterno. 226. Nec materiales. 281. & ſeq. Nec omnes ſimul creatæ. 260. & ſeq. & 270. & ſeq. Nec compoſitæ ex ſubſtantia quadam ſpirituali. 226. Nec conjunctæ corporibus in pœnam peccati. 261. Nec incluſæ in involucris reconditis in Adamo. pag. 267. & ſeq. Sed creantur ſucceſſive. 249. & ſeq.
Earum perfectiones. 99.
Annum incipiebant ab Autumno Orientales. 325.
Antipodes ignorati a veteribus. 240.
Apes naſcuntur ex ovo: illarum tres ſpecies. 54. metamorphoſis. 53. Aculeus. 54. & 416. Opera 55. Indoles. 56.
Aquæ fortis ſeparantis metalla ignotus inventor. 238.
Aquarum utilitas. 115. & ſeq. Illæ occupant dimidium ſuperficiei terreſtris. 115. Gratis dicitur continuo diminui. 244. & ſeq.
Aranei. 49. Sex ſaltem habent oculos. 79.
Arbores habent truncum conicum, & ramos poſitos ad angulum 45 graduum. 70.
Arbores ſilvaticæ. 65.
Argillæ uſus. 412.
Ariſtotelem tenuiſſe æternitatem mundi non eſt certum. 226.
Arteriæ habent valvulas, quæ cor verſus clauduntur. 416.
Artium quarumdam inventores. 238.
Artificia ſimpliciori modo facta, non proinde ſunt meliora. 206.
Aſclepiani tubi demonſtrant exiſtentiam fluidi longe ſubtilioris, & gravioris aere. 409.
Aſini laudes. 46.
Aſtra, & eorum combinationes non ſunt ſigna rerum humanarum. 396. & 398.
Aſtrologorum prædictiones condemnandæ. 396. & 399.
Atmoſphæræ altitudo quomodo inveſtigetur. 408.
Aves maximæ, mediocres, minores, mini-

Digitized by Google

minimæ. 43. & ſeq. Illarum ſtructura. 422. Et nidi. 82. Cur aliæ multos, aliæ paucos pullos producant. 139. Cur duobus ventriculis præditæ. 424.
Auguſtinus animam Adami fuiſſe creatam ante corpus dubitanter dixit. 250. Circa aliarum originem dubius fuit. 252. & 254. Ejus interpretatio de operibus ſex dierum. 314.
Auris. 91.
Aurichalci elementa. 108.
Aurum album, alias Platina del Pinto. 26.
Autumno conditus eſt Mundus. 323. Et hinc incipiebant annum Hebræi & Orientales. 325.

B

Balænarum magnitudo, & uſus olei, quod ab ipſis extrahitur. 36.
Behemot eſt vel beſtia, vel Diabolus. 266.
Belemnites dubium an ſint conchilia. 39.
Beneficii notio poſtulat cognitionem, & libertatem in dante. 392.
Beſtiæ feroces. 48.
Bombyces in Europam ſæculo VI. introducti. 51. Illorum cura, & metamorphoſes. 52.
Bona eſſe, quæ Deus creavit, quia illa elegit, & mala rurſus, quæ non creavit, falſum eſt. 372. & ſeq.
Boni cur ſæpe miſeri in hac vita. 158. & 361.
Bonitatis objectivæ notio. 183. Hæc bonitas non fuit ratio determinans Deum ad rerum creationem. 181. 370. 372. & ſeq.
Bonum minus in quo ſenſu ſit aliquod malum. 194.
Boves lactariæ dant quotannis fructum ſcutatorum decem. 46.
Braſſica. 61.
Bruta non poſſunt dici miſera. 392. Ea creata ſunt propter hominem. 382. 387. & ſeq. Et ante peccatum omnia erat illi morigera. 393. Etiam poſt peccatum habemus illorum dominium. 392. & ſeq. Eorum multitudo & varietas. 35. 78. Structura interna & externa. 80. 81. Diverſitas in eorum cornibus. 78. & oculis 79. & 80.
Burneti opinio de formatione Mundi eſt contraria Scripturæ. 305.

C

Caccaî arbor ſimilis malo aureo. 67. Illud Maranionis quomodo dulceſcat. 68.
Cæleſtia corpora non ſunt creata unice propter hominem. 396. 398. & ſeq.
Caffè fructus eſt arboris, quæ in diverſis locis naſcitur. 69.
Calcaria ſaxa ubique reperiuntur. pag. 412.
Calcographiæ epocha. 239.
Calorem quotidie minui gratis dicitur. 247.
Cameli, 47.
Candor diei eſt a reflexione lucis in atmoſphæra. 409.
Canes. 47.
Canis Carcharias. 36.
Cannabis 63.
Caprarum utilitas. 46.
Cariophylla ex unica jam inſula veniunt. 66.
Carnium eſus nunquam fuit prohibitus,

Digitized by Google

tus. 389. Et conceſſus homini eſt, non imperatus 395.
Carteſius male negavit patere finem creationis ullius rei. 404. Illius philoſophia phyſica cur male audiat. 152.
Caſus ſumitur pro negatione vel omnis, vel intelligentis cauſæ. 121. Qui dixerint caſu extitiſſe mundum 122. Illi falſum dicunt. 126. & quod oſtenditur impoſſibile moraliter 127. phyſice. 131. & metaphyſice. 134.
Cereviſia. 62.
Cete variæ ſpecies. 36.
Chaldæorum obſervationes inſignis antiquitatis ſunt fictæ. 327.
Characterum typographicorum elementa. 108.
China, cortex arboris Peruanæ, nota in Italia ab anno 1649. 70.
Chyli formatio; & aſcenſus per ductum thoracicum. 98.
Cinnamomum ex ſola jam Ceylano venit. 66.
Coccus. 69.
Cochleæ. 56. Earum teſta concreſcit ex humore ab ipſis exſudante. 57. Quatuor oculis ſunt præditæ. 80.
Cocholatis etimologia. 67. Optima quomodo fiat ex caccao Maranionis. 68.
Cognitio Angelorum matutina, & veſpertina. 315.
Colibrius avis minima. 44.
Combinationum numerus ex datis elementis quomodo inveniatur. 129. Quæ apta ſit inter multas ineptas non poteſt caſu exiſtere. 128. 150. & 156.
Cometæ ſunt corpora mundo coæva, 6. Illorum numerus. 7. Non ſunt meteora ſublunaria. 9. Moventur circa Solem. 8. Per ellipſes valde eccentricas. 12. Quare inſignes patiuntur coloris viciſſitudines. 12. Non tamen omnes moventur ab Occaſu in Ortum. 9. Neque per Zodiacum 11. Nihil boni aut mali prænunciant. 11 Cur prædici nequeat illorum reditus. 10. Sunt qui dicunt poſſe habere ſuos incolas. 107.
Conchylia a multis tractata ſunt. 37. Quæ in montibus reperiuntur, ſunt monumenta diluvii. 298.
Conſervatio rei non diſtinguitur realiter ab ejus creatione. 220.
Contingens eſt, quod eſt mutabile. 234
Corallia diſputatur ſintne plantæ, an teſtacea. 39. Quæ inveniuntur in montibus, teſtantur diluvium. 298.
Cornua brutorum diverſarum formarum. 78.
Corpus olim ſignificabat ſubſtantiam mutabilem, vel limitatam. 284.
Correctionis notio. 176.
Creationis notio. 209. & 220. Illius poſſibilitatem demonſtrari poſſe ſapientiores propugnarunt. 225. Ea non diſtinguitur realiter a conſervatione. 220. Sola terra creata eſt unice propter hominem. 396.
Creatura ab æterno corruptibilis repugnat in uno ſenſu, non vero in alio. 212. Si daretur, non poſſet dici æterna. 219. Eaque certa eſſet de ſua dependentia a Deo 217.
Crepuſcula ſunt effectus lucis reflexæ ab atmoſphæra. 409.
Cudvvorthus male ſentit de Providentia. 349.
Cutis textura. 96.

D

DÆmones habere corpora aerea putarunt aliqui. 286.
Dentium forma & uſus. 86. & 425.
Dependentia in exiſtendo non excludit æternitatem. 217.
Deus libere omnia creavit. 179.
Non determinatus a rerum bonitate objectiva. 181. Non poteſt creare irrationalia tantum. 381. Non fecit hunc Mundum potius quam alium, quia leges omnium ſimpliciſſimæ erant in hujus creatione. 206. Nec illum creavit & gubernat juxta leges generales excogitatas a Malebranchio. 110. Nec facit omne id quod cognoſcitur a nobis eſſe melius. 203, Ordinat omnia ad gloriam ſuam, & etiam ad felicitatem noſtram. 382. Habet de omnibus & ſingulis providentiam 350. & ſeq. Juſtos bonos, non vero malos aliquando affligit in hac vita. 160. Ordinator peccatorum eſt, non auctor. 346. Ipſum inter & hominem habet locum amicitia. 381.
Dies quando ſignificet tempus. 314.
Diluvium male explicat Burnetius. pag. 305.
Dominium juriſdictionis refertur ad rationalia, proprietatis vero ad irrationalia. 394. Hoc habent homines in bruta, 392. & ſeq.
Duratio infinita non repugnat in creatura. 222.

E

EClipſis ſolaris anularis ignorata a Keplero. 241.
Eclipticæ obliquitas an fuerit ante diluvium dubitatur. 405.
Electionis notio. 190.
Elephanti. 47.
Equorum ſpecies. 45.
Erucæ. 50.
Eſdræ libri 3. & 4. apocryphi. 245.

F

FActum ex nihilo plures ſenſus habet. 210.
Felicitas eſt nomen æquivocum. 158.
Feminæ attributa. 420.
Ficus habet fructus ſine floribus, 65.
Ficinus accuſatur male ſentire de Providentia, 348.
Filiorum ſimilitudo cum parentibus etiam in ingeniis unde oriatur. 281
Finis creationis Mundi per modum cauſſæ realiter vel ſaltem per rationem diſtinctæ a Deo, ſive finis cujus nullus eſt. 370.
Certe non eſt felicitas creaturæ rationalis. 374. 377. 380. & ſeq. Non bonitas objectiva mundi. 181. 370. & 372. Non gloria Dei. 372. Hæc eſt finis cui ultimus creationis. 376. & ſeq.
Finis cui immediatus creationis terræ & brutorum eſt homo. 382. & ſeq. Sed homo non eſt hujuſmodi finis crationis aliarum rerum. 398. Finis cui proprius ſingulis rebus palam eſt in ſingulis membris. 146. & 417. In ſingulis brutis. 421. In aere. 408. in aqua. 115. 413. In ventis. 409. In ſaxis 411. In argilla. 412. In montibus. 112. In igne. 414. In luce. 415. In Sole 405. In Luna. 407.
Finis cujus, quia, cui, qui, & quo notiones. 367.

Flo-

Flores maſculi, feminei, hermaphroditi. 73. Eorum uſus. 71.
Diverſæ formæ, odores, colores. 72. & modus, quo hi variari poſſint. 75. Eorum ſtamina. 73.
Pulvis ſtaminum conſtat ex corpuſculis regulariter organizatis. 73. Sine his nulli habentur fructus. 74.
Quomodo fœcundet ſemen. 75.
Ratio phyſica & moralis de brevi florum duratione. 73.
Fluidi ſubtilioris & gravioris aereæ exiſtentia. 409.
Formicæ. 50.
Foſſilium genera. 107.
Fraxinus Calabrica dat mannæ medicinam. 69.
Fructus pro diverſis anni temporibus diverſi. 76.
Fungi. 59.

G

Gaudere de bono, quod ſequutum ſit ex peccato, licet. 199.
Generationes Plantarum & animalium ſunt uniformes & conſtantes. 139. 149.
Gigantis notio. 103.
Glaſtum. 64.
Gloria Dei eſt cognitio perfectionum Dei, & harum laus. 377. Sumpta eſt in alio etiam ſenſu, & multipliciter diviſa. Ibid. Illa non fuit finis creationis mundi per modum cauſæ. 372. Sed per modum termini. 377. & ſeq.
Gloſſopetræ ſunt dentes canis carcharias. 36.
Goſſypium eſt fructus quarumdam plantarum. 69.

H

Hebræi incipiebant annum civilem ab Autumno, & ſacrum a Vere. 325.
Helvetii liber *de ſpiritu* malus. 124.
Herbarum ſpecies aliquæ. 59.
Herodotus pater hiſtoriæ. 331.
Hiſtoriæ pluſquam antiquæ Ægyptiorum & Sinenſium ſunt fabulæ. 339.
Homerus floruit ante Chriſtum minus quam 331 annis. 975.
Hominis pulchritudo & perfectiones. 83. Cur dictus microcoſmus. 401. Etiam poſt peccatum habet dominium in bruta. 393. & ſeq. Ipſe eſt finis cui creata eſt terra, & omnia ipſius animalia. 382. Non vero alia a terra procul poſita corpora. 396. Naturam habet ſociabilem. 418.
Homines natos eſſe caſu qui dixerint. 123. Mille horum milliones creduntur eſſe in terra, & ſeptuaginta milliones quotannis naſci & mori. 86. Diverſa in ſingulis ſunt vultus & vox. 84. Diverſæ inclinationes, 100. Modus quo hæc cognoſci opportune poſſint. pag. 101.
Horologii portatilis epocha. 239.

I

Ignis idem forte ac lux. 415. Ejus utilitas. 414.
Incarnatio Verbi Divini habuit pro motivo primario excellentiam myſterii. 200.
Incendium totius terræ olim extitiſſe male affirmatur. 394.
Indiſcernibilium principium Leibnitii impugnatur. 172.

Inſe.

Digitized by Google

Inſectorum partitio. 49. Varii motus & forma. 78.
Intermundia Epicuri. 104.
Inundationes, peſtes & alia oſtendunt Providentiam. 366.
Involucrorum opinio ad explicandam generationem viventium impugnatur. 248.
Ipecacuana eſt radix arbuſculæ Braſilianæ. 70.
Irenæus gratis dicitur credidiſſe animas eſſe corporeas. 284.
Iris an fuerit ante diluvium, dubitatur. 406.
Juſtinum tenuiſſe animas eſſe partem Dei non eſt certum. 260.

L

LActantium credidiſſe animas eſſe partem Dei non eſt certum. 258.
Lapidis ſpecies. 108. Qui figurati ſunt, plerunque figuram habent in imaginatione intuentium. 142.
Si ea ſit realis non eſt a caſu. 143.
Modus quo pingi poſſint per artem. 144.
Lattæ elementa. 108.
Libere Deus omnia creavit. 186.
Hæc Dei libertas evidens eſt in multis. 185. Eaque componeretur cum creatione ab æterno, ſed clarius ſe prodit in creatione temporali. 216.
Linum. 63.
Luna habet montes, & atmoſphæram 23. & maria. 24.
Revolvitur circa axim. 27.
In plenilunio ne, an in novilunio, creata fuerit incertum. 329.
Ejus utilitas. 407.
Lupini quomodo dulceſcant. 68.
Luſciniæ cantus. 44.
Lux primo die creata juxta aliquos fuit fluidum tenue, quod ſine certo motu non apparet. 309. & 318.
Idem fortaſſe eſt ac ignis. 415.
Ejus utilitas. 415.

M

MAgnitudinis notio. 103.
Malebranchius male ſentit de Providentia, 349. & 355
Modo bene, modo male de fine Creationis mundi. 368.
Mali cur ſæpe felices in hac vita. 158. & 361.
Malum imperfectionis in partibus poteſt pertinere ad perfectionem totius. 205.
Malus aurea. 66.
Manethonis hiſtoria nullius eſt pretii. 339.
Mannæ medicina venit ex Fraxino. 69.
Manus deſcriptio. 92.
Ejuſdem uſus. 93. 94.
Mare non mutavit primum ſuum locum. 295. Et commentitia eſt lenta quædam ejus tranſmigratio. 298. Ejuſdem altitudo uſque ad certum terminum cognoſcitur per bolidem. 295. Mediterranei & aliorum fabuloſæ & abſurdæ origines. 301. Ejus ſalſugo. 290. & ſeq.
Materia primo creata habuit formam partim terræ, partim aquæ, partim cæli. 308.
Materiam eſſe a ſe & æternam non eſt certum veteres tenuiſſe. 225. & ſeq. Falſum vero id creditum a SS.Patribus vel non curatum. 225.
Falſum etiam data materia a ſe ſolvi quæſtionem de cauſa mali phyſici. 234.

Maxi-

Maximum & minimum non eſt proprietas omnium curvarum. 188.
Mel. 55.
Metalla naturalia. 26.
Et artificialia. 108.
Miſeria eſt nomen æquivocum. 158. Quæ ſunt pœna culpæ, pertinent ad perfectionem mundi. 203. Non arguunt tamen animas peccaſſe antequam corporibus unirentur. 264. Sed arguunt fortaſſe peccatum originale. 265.
Monocerotes. 36.
Montes primarii facti fuerunt die creationis tertia. 111. & 197. Et ſapientiſſime diſpoſiti. 113. & 296. ad magnam noſtram utilitatem. 112. & 114. Montes ſecundarii per terræmotus extiterunt. 111. Lazarus Morus aliquos factos cenſet die creationis quinta. 300. Omnes quotidie deprimuntur. 242.
Motus ab æterno controvertitur an ſit poſſibilis. 244.
Moyſes author Pentateuchi eſt ſcriptor omnium antiquiſſimus. 330.
Mundi anima admiſſa ab aliquibus. 257. & 263.
Mundi ætas non eſt accurate nota. 330. Ea eſt incerta, ſed intra limites ſatis anguſtos. 334. & ſeq.
Mundi d vertæ ſignificationes. 105.
Mundi ſtructuram laudant paſſim boni Philoſophi. 117. & ſeq. Pauci non boni accuſant. 109. & 121. Aut caſui adſcribunt. 122. Ille non ruit in pejus. 241. Eſt quaſi liber, quem mortalis non poteſt totum intelligere. 362. & ſeq.
Mundus ab æterno ex neceſſitate ipſi intrinſeca repugnat. 209. Non vero ex neceſſitate extrinſeca. 214. Non eſſe tamen ab æterno eſt de Fide. 229. 236. Et a poſteriori conſtat. 236. & ſeq. & 287. & ſeq. Ille non renovabitur ſæpius. 336.
Mundus creatus Autumno. 323. Repente quantum ad materiam. 304. die dominico. 309. Formatus ſex dierum ſpatio. 309. Sed non per ſolas leges mechanicas. 153. Nec caſu, quod eſt impoſſibile 126. & ſeq. In quo ſenſu dici poſſit totus creatus propter hominem. 401.
Mundus infinitus non eſt, ſed ignota eſt ejus figura. 313.
Mundus intelligibilis Platoni eſt ratio, qua a Deo factus eſt. 404.
Mundus optimus eſt in aliquo ſenſu. 163. Non vero in ſenſu abſoluto. 169. & ſeq. Mundos in infinitum meliores repræſentat pyramis, quæ in infinitum tendat. 188.
Muſca avis. 44.
Muſculorum uſus. 87.
Mutabilitas eſt character contingentiæ. 234.
Myologia. 87.

N

Neceſſitas exiſtendi infert immutabilitatem. 234.
Nervorum ſubſtantia, uſus, & numerus. 88.
Nigritiei cauſa in hominibus. 85. & 337.
Nihil ſumptum eſt in pluribus ſenſibus. 210. Nihil album Chymicorum. Ibid.
Nili origo. 114.
Numerorum myſteria non debent adhiberi in rerum explicatione. 317.

Nux muſcata venit ex Banda, una ex Moluccis. 67.

O

OBſervationes aſtronomicæ pluſquam antiquæ Chaldæorum & Ægyptiorum ſunt commentitiæ. pag. 338.
Occiſio brutorem non eſt prohibita ab illo, *Non occides*. 289.
Non eſt injuſta nec crudelis. 391.
Oculi animalium pro eorum diverſitate diverſi. 79. & ſeq.
Deſcriptio oculi humani. 89.
Olei foſſilis ſpecies. 107.
Omiſſio operationis melioris non ſemper eſt culpabilis. 192. & ſeq.
Omnipotentiæ notio. 171.
Perperam dicitur diſtingui a Sapientia Dei, aut cum hac pugnare. 175.
Opera ſex dierum. 311.
Optimiſtarum aliqui. 165. & ſeq.
Orca differt a Balæna. 36.
Ordinis notio. 131.
Origo vitæ hominum ſocialis. 420.
Offium hominis numerus. 86.
Oves dant fructum quotannis unius ſcutati. 46.

P

PApiliones diurni & nocturni. 53.
Paradiſus terreſtris ubi fuerit, dubium. Præcipuæ de hac re opiniones. 320. & ſeq.
Peccatum non pertinet ad perfectionem mundi. 178. 195. & ſeq.
Eſt occaſio plurium bonorum. 202.
Illius dedecus emendat pœna. 203.
Non eſt eſſentiale creaturis. 205.
Neceſſarium dicitur ex hypotheſi. 201. In quo ſenſu illud Adami dicatur neceſſarium & felix. 198.
Peccatum originale quomodo contrahatur. 277.
Pediculos ſibi proprios habent multa animalia, etiam inſecta. 57.
Pentateuchus eſt liber omnium antiquiſſimus. 330. Habet omnes veræ hiſtoriæ characteres. 331.
Phocarum ſpecies multæ. 42.
Piper propagatum eſt per varia loca non per ſemina, ſed per translatas plantas. 67.
Piſces aliqui maximi, medii, & minimi pretii. 26. Aliqui de his ſcriptores. 37. Horum fœcunditas. 41. ſtructura 421. Et ſuperficies eſterna. 77.
Piſcis volans. 42.
Planetæ primarii & ſecundarii. 2.
Illorum diſpoſitio. 34.
Ad quem finem creati ſint, quis penitus deprehendat? 29.
Primariorum diametri, ſuperficies, & ſoliditates. 3.
Non conſtant ex metallo. 26.
Sed ex materia opaca. 21.
Et denſa in certa pro ſingulis ratione. 22. Revolvuntur perpetuo circa Solem. 2. Et circa ſuum axim. 27. Non habent lucem ſibi propriam. 20. Habent montes. 23. atmoſphæram. 24. Et aquas naturæ ſaltem analogæ noſtris aquis. 25. In qua ratione ſit ſingulorum calor. 21. Siqui ſunt in illis incolæ nequeunt eſſe ejuſdem cum terreſtribus naturæ. 102.
Inutilia quædam contra hanc opinionem argumenta 103.
Plantæ maſculæ, femineæ, hermaphroditæ, androgynæ, & polygamæ

gamæ. 73. Earum multitudo. 58.
Plato meminit aliquo modo de America. 342. Cenſuit mundum habere animam. 257. & 263. Gratis dicitur tenuiſſe ipſius æternitatem. 223. Rationem, qua factus a Deo fuit, vocavit mundum intelligibilem. 404. Putavit animas hominum fuiſſe ante corpora. 273. Et modo dixit eſſe particulas Dei, modo negavit. 257.
Pluches opinio circa ſigna & idola Ægypti. 340.
Pluviæ utilitates. 364.
Poſſibilitatis abſolutæ notio. 183.
Potentia activa præſcindit a præexiſtentia paſſivæ, non vero paſſiva a præexiſtentia activæ. 233.
Præadamitarum hæreſis. 335. Confutatur. 241.
Protei verſus. 129.
Providentia de minimis cur non conveniat Principi. 357. & ſeq.
Providentiæ Divinæ notio. 346. Authores qui illam ex profeſſo propugnarunt. 353. Argumenta quibus evincitur. 350. Ad hæc pertinet diverſitas inclinationum hominum. 100. & Inundationes, peſtes, & aliæ calamitates. 366.
Putredo eſt cauſa ſolum materialis plantarum & animalium. 148.
Pythagoras injuria dicitur condemnaſſe eſum carnium 384.
Pyxis Nautica inventa a Gioia. 337.

R

Regnorum Judæ & Iſraelis initium anno 975. ante Chriſtum. pag. 331.
Rhabarbarum eſt radix arbuſculæ Scythicæ. 70.
Rubia. 64.

S

Salis ſpecies. 107. Salſifodina Villiſcæ. 291.
Salſugo maris nondum ſatis obſervata. 290. Non naſcitur ex ſalibus illuc per flumina ductis. 291. Neque ex ſtratis ſalis in fundo maris diſſolutis. 291. Probabilius eſt eſſe illi coævam. 292. Ejus utilitas. 116.
Sanconiathon dubium an extiterit. pag. 122.
Sanguinis compoſitio. 97. Quot una hora circulationes compleat. 99.
Saxorum uſus. 411. Calcaria ubique reperiuntur. 412.
Semina plantarum diverſimode a natura ſunt munita. 76.
Senſus poſſent eſſe plures quam quinque. 187. Sed male contenditur eſſe plures. 89.
September inaniter dicitur menſis nefaſtus, aut contra. 328.
Septimus dies ſacer apud omnes gentes. 310.
Sex dies creationis non poſſunt ſignificare ſex rerum creatarum gradus. 312.
Sicera. 62.
Sinenſes falſo ſe de pluribus jactant. 342. Videntur eſſe colonia Ægyptiorum. 343.
Sol, Luna, & Stellæ die quarta dicuntur facta juxta aliquos, non quantum ad ſubſtantiam, ſed quantum ad modificationes. 310.
Sol poſitus in Æquinoctio autumnali cum primo creatus. 323.

Ejus maſſam continuo minui gratis dicitur . 247. Ejuſdem utilitas pag. 405.
Spiraculum vitæ cur dicta ſit anima . 259.
Spiritus quoſvis creatos conjunctos eſſe corporibus dixerunt Platonici . 285. Et Leibnitius . 286.
Splanchnologia . 89.
Stellæ fixæ ſunt totidem Soles 13. Et centrum ſyſtematum planetariorum noſtro ſimilium . 17. Quorum numerus aliquo modo invenitur . 18. Sed hujuſmodi planetæ nobis neceſſario ſunt inviſibiles . 19. Viſæ per teleſcopium apparent tamquam lucida puncta . 14 Viſæ oculo nudo cur ſcintillent . 14. Earum diſtantia a nobis pluſquam ingens . 15. Et parallaxis tam tenuis , ut nondum ſit determinata . 16. Numerus illarum quæ cognitæ ſunt . 30. Nam aliæ ſunt innumerabiles . 33. Dividuntur in aſteriſmos ſeptuaginta & unum . 30 In quibus ſunt ſigna zodiaci magni olim uſus . 31.
Stellæ nebuloſæ ſunt congeries plurium ſtellarum . 31. & 32.
Stellæ temporariæ . 32. & 137.
Stomachi animalium vis diverſa : illa humani par omnibus ſimul ſumptis . 80.
Stuppæ origo & uſus . 63.
Subſtantiæ completæ & incompletæ notio juxta Peripateticos . 211.
Sues . 46.
Syſtema univerſi nobis eſt incomprehenſibile . 361. & ſeq. & 365.

T

TAbaccum notum & uſitatum a duobus ſæculis . 64.
Talparum oculi . 79.
Temporis realis notio . 213.
Terra creata eſt propter hominem . 382. & 385. Nunquam paſſa eſt univerſale incendium . 394. Ejus diameter . 6. Figuram habet ſphæroidis lati . 242. Aridæ ſuperficies forte æqualis illi , quæ aquis obruitur . 115. 242. 245. Eam eſſe centrum mundi male probavit Ariſtoteles . 20. Et fuiſſe prius cometam commentus eſt Whiſtonus . 306. fuiſſe autem Solem Leibnitius . 306.
Terræ foſſilis ſpecies . 108.
Tertullianus male animas hominum credidit corporeas . 283.
Teſtudinum ova . 41.
The ſunt folia cujuſdam arboris vel arbuſculæ . 69.
Tineæ . 51.
Tracheæ munus . 96.
Tradux animarum non poteſt admitti . 273. Neque promotivus . 274. & 275. Neque deciſivus . 274. Qui illum admiſerunt , notantur . pag. 275.
Triticum . 61. Ejus in lolium metamorphoſis falſo credita . 138.
Tubera . 59.
Typographiæ epocha . 238.

V

VAcuum totale in mundo aſpectabili non datur . 243.
Vainilia eſt fructus plantæ Americanæ . 70.
Vaporatio quotidiana quanta ſit . 246.
Vegetationes philoſophicæ . 142. & 144.
Venæ habent valvulas , quæ in contrariam cordi partem clauduntur . pag. 416.

Venæ lacteæ. 98.
Ventorum utilitas. 409.
Verbum Divinum non eſſe creaturam quia eſt ab æterno, in quo ſenſu ſit bona argumentatio. 218.
Via lactea eſt congeries plurium ſtellarum 32.
Vinum. 61.
Virginitas commendatur a Scripturis. 270.
Viri attributa. 420.
Vites. 62.
Vitri uſus. 415.
Voluntas creata, non vero Divina perficitur per electionem objecti melioris. 193.
Voltaires libellus *ſomnium Platonis* malus 125. Libri a ſe confictiantiquitatem prædicat. 343.
Whiſtonus male explicat formationem Mundi. 306.

Z

ZOna torrida eſt habitata. 240.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ERRA-

Digitized by Google

ERRATA. CORRIGE.

Pag.	lin.	Errata	Corrige
9.	2.	ipſarum	ab ipſarum
41.	11.	[illegible]lla	ulla
42.	[illegible]	quæ	qui
5[illegible]	36.	[illegible]nini, b[illegible]fac	hominibus, ac
105.	15.	nimis	nimio
136.	4.	m[illegible]di, ex	media, &
256.	37.	Athemin	Atheiſm
250.	30.	proprior	propior
304.	1.	*materiam creatus*	*materiam non tamen omni destitutam forma creatus*
307.	24.	Deum	Deus
310.	9.	[illegible]facta animalia.	facta volatilia, & aquatilia. Sexta demum animalia.
32[illegible]	20.	Huerius	Huetius
349.	36.	par.2.	par.1.
353.	33.	de Leg.	de Nat. Deor.
369.	39.	art.10.	art.1. O.

Digitized by Google

Digitized by Google